




1
6
648
















# IVSTI VELSII HAGANI, IN CEBETIS THEBANI TABVLAM COMMENTARIORVM LIBRI SEX, TOTIVS MORALIS PHILOSOPHIAE THESAVRVS.

*

In quibus nonnulla per occaſionem tum de ſtudiorum, artium, & ſcientiarum abuſu & corruptela: tum contra ea, quæ noſtra hac ætate in religione exorta ſunt falſa & abſurda dogmata, ad catholicæ & orthodoxæ ueritatis propugnationem & defenſionem, paſſim differuntur.

Σὺν θεῷ καὶ νῷ τὰ πάντα ἀποδείξεσί τε καὶ μεθόδῳ. καὶ γὰρ αἱρέσει δουλευτέον οὐδενί, καὶ ὅ γε θυμὸς καὶ πᾶν τὸ ἄλογον τῷ λογιστικῷ τῷ κατορθοῦντι ὑπήκοον θετέον.

Ὁ ἀναγινώσκων νοείτω.

LVGDVNI,
M. D. LI.



# ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO Antistiti D. Antonio Perrenot à Grantuella, Episcopo Atrebatensi, Cæsareæ Maiestati à consilijs, Domino ac Patrono suo in primis uenerando & colendo,

Iustus Velsius Haganus S. P. D.



QVOD felix faustumq́; sit, amplissime ac dignissime Antistes, iã tandem prodeunt in lucem, atq; adeo in tuo nomine apparent, nostrorũ in Cebetis Thebani tabulam commentariorum libri sex, utinam non minus perfecti ingenio, quàm sunt summa & cura & uigilijs elaborati. In quibus non is solùm nobis, quem enarrationis proprium esse Galenus asserit, propositus fuit scopus, ut quæ in autore nostro essent obscura perceptúque difficilia explicatione conueniẽti aperta efficeremus & perspicua, sicq́; lectorem ad eorum, quæ hoc opere continentur tantum, intelligentiam adduceremus, quod sa-

nè nec infeliciter quidem, ut uidemur, præstiti-
mus: sed etiam, quod magnificentius esse arbi-
tror, huc intuiti sumus, & consilium nostrum re-
tulimus, ut in unum commentaria Cebetem com
ponentes, ad reliquos quoque autores, qui in con
simili uersati sunt argumento, ac de uita & mori-
bus scripserunt, intelligendos, déque ipsorum
scriptis rectè iudicandum studiosis aditum pate-
faceremus, & omnino moralis aperiremus philo
sophiæ fontes. Neque enim aliud esse existima-
ui, quod aut professioni meæ conuenientius, aut
ijs, qui in studijs humanitatis ac literarum uer-
santur, utilius, aut hoc etiam tempore, quo ma-
xima est perturbatio uitæ, & studiorum omni-
um confusio opportunius à me fieri posset, quàm
si ab erroribus, qui latè nimis, proh dolor, disse-
minati iam sunt, nec serpere tamen adhuc desi-
nunt, & opinionum hac fluctuatione, quæ ex re-
centiorum quorundam (quales autem hi quiue
sint, nihil attinet dicere) lectione contrahitur, ad
ueterum illorum exquisita doctrina & singulari
industria conscripta monumenta, præcipuè au-
tem Platonis & Aristotelis, iuuentutis studia tra
ducerem. Atque utinam omnium, qui philoso-
phiam, aut aliam quamuis liberalem doctrinam
atque ingenuam profitentur, hæc animo senten-
tia

tia ſederet, melius certè aliquanto cum morta-
lium rebus ageretur. Nunc uerò, cùm cõtrariam
penitus uiam, eorum, qui in docendi uerſantur
munere plurimi ineant, & à laudatiſsimorum
quidem ueterum, à quibus ſolida & altis radici-
bus nixa eruditio atq; doctrina comparetur, co-
gnitione ſtudioſorum animos cogitationésque
auocent, ad inepta uerò quædam, maléque affe-
ctata, & uel ab ipſis, uel ab alijs eiuſdem notæ
hominibus coacta & coaceruata compendia ad-
ducant: fit ut opinatores quidem, quiq; falſæ eru
ditionis perſuaſione inflati, quæ neſciunt, ſcire ſe
arbitrentur, de ijsq; & temere inconſideratéque
pronuntient, & conſtantiſsimè aſſerant, habea-
mus permultos, ſapientes autem, ueráque rerum
cognitione & ſcientia inſtructos, pauciſsimos.
Neq; uerò minimam ego hanc paſsim nunc graſ
ſantium uariorum ac multiplicium errorum &
hæreſeum cauſam eſſe iudico, maximéque ue-
reor, niſi maturè huic occurratur malo, ne mul-
torum opinione maius orbi terrarũ det incom-
modum. Vt hominum fortunis & externis pro-
ſpectũ ſit bonis, nemini in iudicio, niſi prius exa-
minato, & legitimè approbato, cauſam dicere li-
cet. Ad artem medicam, quæ corporis incolumi-
tati conſulit ac prouidet, exercendam promotio-

nē est opus. In animum autem, atque eius adeo
præstantissimam partem, qua sola ad dei simili-
tudinem accedimus, quiuis impunè nulloq́ pro
hibente, imò & adiuuantibus nonnullis in suam
suorúmque perniciem grassatur nec promotio-
nis ullius, nec eruditionis solidæ, ut de uita inte-
rim & moribus taceam. Verum hîc scio ridebūt
nonnulli γέλωτα σαρδόνιον, dicentq́, quid promo-
tio facit ad eruditionem? Quibus ego sic breui-
ter respōdeo: Non eam quidē doctiorem quem-
piam facere, sed rectè usurpatam eruditionis at-
que doctrinæ, quoddā esse indicium & insigne.
Id autem idcirco & hic esse necessarium, ut qui-
bus tum suos, tum suorum animos liberalibus
artibus & disciplinis, reliquáque cognitione in-
formandos tutò committere queant homines,
nouerint, qui ex ijs, quæ cuiusque professionis
sunt propria, utpote imperiti, dignum ab indi-
gno, ab inerudito insciòque eruditum & scien-
tem discernere nequeūt. Quòd si hac alicubi ab-
uti cœptum est, ut minus etiam docti & digni in
nonnullis Vniuersitatibus numerata approben-
tur pecunia, & eruditionis ac doctrinæ insignijs
decorentur, non eam illico ob causam promotio-
nes damnandæ sunt & reijciendæ, sed potius tol-
lendus abusus. Vt autem ad docēdi munus qui-

uis

uis repentè ac temere prosiliat, quod & Imp. Iuliani ante inuentum etiam promotionum, qui nunc certè obtinet, usum constitutio, C. de prof. & med. apertissimè uetat, id uerò minimè permittendum existimo. Neque enim leuis res est, quod nec ipse ignoras, prudentissime & religiosissime Præsul, sed longè maxima, hominum animis fingendis formandisq; præesse: & omnino, quod Socrates in Platonis Protagora asserit, uerissimum est, longè maius in comparandis disciplinis, quàm cibarijs, positum esse periculum: quòd hæc quidem qui emerit, & in alijs quibusdam uasculis asportare, & priusquam in corpus ingerat, diligenter, etiam aduocato medico, examinare possit, quid horum assumendum sit, aut reijciendum: illas uerò non alio ullo uasculo excipere liceat, quàm animo ipso, ac sic omnino ex earum statim perceptione aut detrimentum maximum, aut emolumentum reportare. Quare coërcenda prorsus hæc nostri temporis immoderata est libertas & licentia, non professionum solùm, sed etiam, quo illa uetus, quæ quondam opibus, imperio, gloria floruit, Cicerone in oratione pro L. Flacco teste, uno malo concidit Græcia, concionum: & seueritas quædam maior hîc adhibẽda, si modo mortalium rebus aflictis ulla ra-
tione

tione sit consulendum. Iam uerò nec illud negligendum arbitror, quo haud scio, an grauius ac perniciosius unquam orbi terrarũ extiterit malum. In omni natione, omniq́ue lingua, à quouis etiam impudenti audaculo, cuiusuis argumenti eduntur libri, non ad ueterum sentiendi dicendiq́ue normam elaborati: sed sentẽtijs quidem absurdi & monstrosi, dictione uerò, aut curiositate nimia inepti, aut inertia dissoluti, aut futilitate leues, aut animi quadam impotentia insectandiq́ue libidine, feruidi, petulantes, furiosi, aut alio tandem quouis modo inornati & incompti. Conqueritur de nimia hac etiam suæ ætatis scribendi impunitate & licentia Galenus, atq́ue adeo remedium quoddam huic malo commonstrat, nec nostris tẽporibus, ut arbitror, inutile. Ascribam autem ipsius hîc uerba, quæ ab initio eius operis habentur, quod contra Iulianum malè Hippocratis Aphorismos repræhendentem instituit. Præstabilius quidem esset, inquit, quemadmodum legislatores consimilem accusatores temerarios pœnam subire cogunt, quam sustinuissent accusati, si quidem iudicio conuicti fuissent: sic & qui temere ac falsè contra ea, quæ non didicerunt, dicunt, pœnam suo dignam delicto suscipere. Cæterum quoniam, nescio quomodo,

do iniuriarum quidem actio cōceditur, nulla autem lex lata est de temere repræhendentibus, merito arbitror, contra præstantissimos uiros dicere audēt homines ineptissimi. Oportebat igitur, ut in Aegypto quondam eorum, quæ in artibus inueniebantur, quódque communi eruditorum consessu iudicatum columnis quibusdam inscribebatur in sacris locis sepositis: sic & apud nos esse consessum quendam iustorum simul & eruditorum uirorum, qui recentia & noua examinantes scripta, in publicis quidē locis quæ bona sunt reponerent: è medio autem tollerent quæ mala. Melius autem esset, si ne scriptoris quidem nomen seruarent, ut in Aegypto antiquitus. Prohiberetur enim hoc ipso nec minimè ambitiosorū immoderatū in honoribus appetendis studium. Nūc uerò cùm scribere quidē liceat omnibus, & iudiciū quibuslibet permittatur, apud hominū uulgus in pretio habentur, qui audacissimi sunt & temerarij maximè. Hactenus Galenus. Qui quidem si de sui temporis scriptorum libertate immoderata, quæ minus certè, quàm nostræ huius ætatis, nocere poterat, tum quòd nondum inuenta arte typographica, nec latè admodum spargi, & ad multorū manus peruenire exemplaria possent; tum quòd & pauciores, nec omnino nul

lius eruditionis in eo uersarentur argumento, in quo si quid forte peccaretur, in corporis id potius, quàm animi uergeret detrimentum, tam grauiter conqueritur, & de remedio tam anxio & solicito est animo: quid hoc tempore faciendū censemus, quo præstantissimæ quidem illius & utilissimæ artis opera, seu abusu potius, à pestiferis quibuslibet, indoctis etiam imperitisq; hominibus tot non homines dico, non domus: sed resp. & nationes inficiuntur, ac opinionum imbuuntur prauitate & erroribus, quæ animum quidem ipsum deprauent, morumq; corruptelam inuehant: familias autem & resp. omnemq; adeo coniunctionem congregationemq;, qua homines iure & legibus sunt sociati, diuellant ac distrahant, summámque, ut uno uerbo dicam, rerum omnium perturbationem ac confusionem introducant. Sed de his & alijs quibusdam consimilibus aliâs fortasse uolente & fauente deo, cōmodior dabitur commentandi differendiq; locus. Nunc ad Commentaria nostra reuersi & illud dicamus, nonnulla quidem de studiorum, artium ac scientiarum abusu & corruptela in his disseri: nonnulla uerò & contra falsa quædam & absurda, nostra hac ætate in religione exorta dogmata, quod cur à nobis sit factū, breuiter explicabo.

cabo. Neq; enim temere & nulla ratione: sed illuc quidem τῆς δυσπαιδείας eiusq́; amatorũ me induxit explicatio: & alioqui ab argumento minimè ea existimem aliena, cùm & ad autorem exquisitius intelligendum, & ad uitam moresq́; non minimi sint momenti: eorum autem, quæ à nobis confutantur falsa dogmata, partim quidem talia sunt, quæ Moralem & Ciuilem disciplinam funditus euertant, ut hac merito ratione à nobis & ea labe factentur & conuellantur, & contraria stabiliantur firmenturq́; tanquam hypotheses quædam nostræ subijcienda tractationi: partim uerò & huiusmodi, ut commodius aliquanto philosophiæ præsidio redargui posse uideantur, quam ego minimè in huiusmodi disputationibus reijciendam existimo, multo autem minus, quòd hodie faciunt nonnulli, in totum damnãdam, quod pleraq; sine hac non satis in Theologia (id enim in præfatione, ad D. Viglium Zuichemũ Phrysium, Iureconsultum clarissimum, ac supremi Cæsareæ Maiest. & secreti apud Bruxellam consilij præsidem, Simplicij commentarijs in Prædicamenta Aristotelis conscriptis, quæ non ita multo pòst edentur, præponenda, à nobis demõstrabitur) explicari posse commodè uideantur, ut omittam interim, hanc non unà sui parte τῇ θεο-

λογίᾳ ἀντίστροφον εἶναι. Eamq; adeo ob cauſam nec à noſtra profeſsione alienum exiſtimaui & hæc attingere, quòd omnino ita res ſe habeat, quòd, cùm ſic ad ſe mutuo hæ, ut diximus, profeſsiones ſint affectæ, ad philoſophiæ abſolutionem & perfectionem, ut non ſcientifica Theologiæ cognitio, quam Theologorum propriam eſſe iudicamus, at eruditio tamen quædam, quæ παιδεία Græcis dicitur, requiratur: non primæ ſolùm philoſophię, quam & Theologiam ueteribus Græcis appellatam nouimus, ratione: ſed etiam propter Moralem & Ciuilem diſciplinam, quarum principia, qui rectè de his pręceperũt, ex intima Theologia petiiſſe animaduertimus. Quare & hac ratione noſtra fuerint examinanda argumenta, non tanquam exquiſitiſsima quędam, planéque ſcientifica: ſed ut dialectica & erudita, quæ κατὰ παιδείαν dicuntur Græcè: quæ tamẽ, ſi cum aduerſariorum leuiculis, & uel ſophiſticis, uel rhetoricis (uix enim unquam legitimè dialecticas in ipſorum ſcriptis, multo autem minus demonſtratiuas inueneris) conferantur argumentationibus, ſcientificæ quædam uideri poſsint. Cæterum nos, quæ in commentàriis his diſſeruntur, non ſimpliciter ipſis ut credatur poſtulamus, quod tamen in iis ſcriptis, ubi nulla uſquam demonſtratio, ac ne

legitima

legitima quidem certè ratiocinatio conſpicitur, impudenter exigere non erubeſcunt quidam: ſed primum quidem & maximè Catholicę & Orthodoxæ Eccleſiæ, ad cuius tamen conſtantiſsima & ueriſsima dogmata totũ hoc, ut cõfidimus, nobis elaboratũ eſt opus, iudicio, ſumma cũ reuerentia tũ hæc ipſa, tum quæ uel ſcripſimus, uel etiã ſcripturi ſumus, ſubijcimus: deinde uerò & lectori ſuum iudicium liberum relinquimus, quod hac ſanè ratione optimè ab ipſo exercebitur, ſi candido & ab omni affectu libero animo (quod permulti hodie, præcipueq́, qui nouum hoc, ut modeſtiſsimè dicam, doctrinæ ſequuntur genus, facere nequeunt) noſtra hæc & leget & cognoſcet: planéque confidimus, ſi quidem id faciat, futurum, ut nec ipſe ſine fructu in his uerſetur, nec nos ſuſcepti laboris facile pœniteat. Tibi autem potiſsimum, religioſiſsimè Præſul, idcirco hæc noſtra in Cebetis Thebani tabulam commentaria dicanda cenſuimus, quòd tum propter multiplicem humanarum rerum uſum & peritiam, ac liberalem & dignam homine nobili & primario à te perceptam doctrinam, optimè de his iudicare te poſſe animum induxerimus, tum arbitrati ſumus, ea tui nominis ſplendore & à maleuolorum obtrectationibus tutiora, & apud ſtu-

 dioſos,

diosos, quiq; interiores sectantur & reconditas literas, magis gratiosa futura, ac sic proinde, ut uerisimile est, maxima cum utilitate multorum manibus terenda. Vale, amplissime & dignissime Antistes: & hoc sex librorum opus, quod in tuo apparet nomine, eiusq; autorem tuæ Cels. obseruantissimum solita tua beneuolentia complectere. Argentorati Cal. Ianuar. Anno

M. D. L.

*

# Index rerum insignium, quæ

IN HISCE IVSTI VELSII COMMENTArijs continentur. ubi meminerit candidus lector, numeris arithmeticis paginas indicari, p. autem elemēto, paginæ principium, nempe nouem primos quosq; uersus: m. mediam partem, alteros scilicet nouem uersus: f. uerò finem eiusdem significari.

A

προαί

Stoici

FINIS.

# IVSTI VELSII HAGANI IN CEBETIS THEBANI TABVLAM COMmentariorum liber primus.



PRAEFATIO.



*Ntequam Cebetis tabulæ explanationem aggrediamur, quædam nobis adhibenda videntur, quæ audientiū animos ad huius vtilißimi operis auscultationē instruant ac præparent. Sunt autem hæc potißimum. Nam primū quidem, quis sit scopus, quò sunt, quæ in hoc libro habentur, referenda omnia, constituere propositum est. Deinde, quod proximum est, de vtilitate & tabulæ huius opportunitate, quæ certè est maxima, quantum instituto nostro satis est, disseremus. Tertiò autem, quæ orationis forma, quis character, dicetur, quod nō modicam & idipsum vtilitatē habere ad autorem rectius intelligendum videatur. Quartò verò de materia agendum, quam ex veterum sententia, in hypothesim seu argumentum, & personas, loca & tempora partiemur ac diuidemus. Quibus explicatis, ad autoris enarrationem veniemus, nōnullis tamen quæ ad vocum quarundam multiplicis potestatis & significationis distinctionem pertinent, ne quæ nos homonymia perturbet, præmißis.*

*Quod igitur ad scopum attinet, id mihi spectasse uidetur autor, vt totius vitæ humanæ descriptionem quandam desi-* Scopus libri.

gnaret & conficeret, quantumq; rerum natura pateretur, eam sub aspectum penè subijceret. Nam id præcipuè veteribus studio fuisse video, vt tum pingendo, tum fingendo, mortalium rebus cõsulerent, et à vitijs quidem & malis quoquo modo auerterent: ad bona aũt & virtutes iacentia hominũ ingenia excitarent, & nunc huc nunc illuc fluctuantes voluntates, maximã autem partẽ, quæ humanarũ rerum est cõditio, in deteriora propendentes, ad honesti formã traducerent. Atq; id quidem in hac tabula admirandum est maximè, quòd tam solidã & expressam vitæ humanæ effigiem cõtineat, vt nõ in vmbra & imaginibus versari, sed ipsam potius rem intueri te credas. Et primũ quidem ipsam in vitã, quæ sit, tanq̃ in viã ingreßionem, Deum immortalem qua dexteritate subijcit, dum omnes quidẽ in ipso etiã statim ortu, insitas & quasi cõsignatas in animis notiones habere facit, sed quarũ tamẽ vis ac potestas generationis vinculis veluti cõstricta, multoq; immersa vuido, ignaua torpensq; reddatur, vt tantum nõ penitus extincta existimetur. Deinde verò orto iam et paulatim succrescente homine, quoniã animi pars vtraq;, & quæ rationis est expers, & quæ eiusdem cõpos & particeps, sese proferre & vires suas exerere incipit, quis hæc quidem obscurius adhuc & segnius, illa verò expreßius atq; illustrius, alteri certè opiniões obijcit, has quidem veras, illas autem, quarũ longè maxima est turba, falsas: alteri verò quæ ratione caret parti, voluptates, sed vtiles, quæq; secundum naturã sunt paucas, noxiarũ infinitã multitudinem:

vtri-

vtriq; autē simul cupiditates, has quidē naturales & necessarias, illas verò, & quidē plurimas, inanes & superuacaneas. Verūenimuero cùm tenerior hæc ætas adulterina à bonis secernere & internoscere nequeat, fit plerūq; vt pro veris falsa, pro solidis expreßisq; adumbrata, pro vtilibus noxia, pro naturalibus deniq; ea amplexetur, quæ cōtra naturā sunt, inq; eius perniciē vergūt. Atq; ita quidem instructus homo, viæ ignoratione temerè oberrat. Procedente verò ætate cùm iam actionis compos redditur, suiq; quodāmodo iuris esse incipit, in fortunam incidit, vbi sanè varij se casus, multæ vicißitudines offerunt. Nam hi quidem bonis exuuntur, ditātur alij: ijdem rursus non ita multò pòst spoliati lugent, ad alios bona transferuntur. Tanta est in fortunæ donis muneribusq; inconstantia. Neque verò ea solùm sic sua subinde repetere, alioq; transferre solet munera, sed etiam aliæ quædam sunt, quæ his insidientur bonis immanißimæ belluæ, intemperantia nimirum, luxuria, insatiabilis cupiditas, & assentatio,

Virginei quarum vultus, fœdißima ventris
Proluuies, vncæq; manus, & pallida semper
Ora fame.

quæ quidē nō solū quæ à fortuna data sunt, sic vniuersa absorbeant, vt nulla Charybdis quantumlibet vorax nec plura nec citius, sed in corpus etiā, ipsumq; adeò animum grassantur, nec antea quiescunt, q̄ nos omnibus spoliatos, & proinde in omne flagitij genus protrusos, cruciatui tandem supplicioq; tradant, vbi sanè ægritudine, dolore, lamentatione et anxietate afflicti confectiq;, ad extremam

*infelicitatem deuoluimur, ibiq; quod superest vitæ in omni calamitate & miseria degimus: nisi fortè pœnitudine ducti resipiscamus, aliaq; opinione concepta, & cupiditate castigata, ad veram cōtendamus disciplinam. Cæterum ne sic quidem omne adhuc periculum euasimus, sed restat nescio quæ Circe, quam Græci* ψευδοπαιδείαν *vocant, apud quam Ulyssis exemplo, vt aliquam fecisse moram nō incōmodùm, ita hîc tanquam ad scopulos Sireneos consenescere vitiosum est, & à vero fine plurimum abducit. Quare si quid ab hac haberi potest vtile, id totū arripiendum, neq; vlla prætermittenda occasio. Sed citò hinc discedendum, matureq; ad veram disciplinam & eruditionē contendendum. Ad quam sanè cùm pergimus, duæ sese nobis adferunt* ἡμιτελεῖς ἀρεταὶ *à Theage appellatæ, Tolerantia & Continentia, quarum altera quidem cupiditatem in malas ruentem voluptates sic coërcet ac reprimit, vt vel inuita rationem sequatur, viribus nimirum ipsius labefactatis atque conuulsis. Neq; enim fieri potest vt persuasa rationi obediat, sed subacta oppressaq; ipsam sequatur. Altera verò, animi excelsi magnitudinem & robur non deycit illa quidem (minimè enim id faciendum) sed vt ferociorem quendam equum domare conatur & mansuefacere, vt rationis frenum admittere, eiusq; ductum sequi nō detrectet. Atque ita quidem his animæ partibus præparatis, ad veram accedimus eruditionem: cuius sanè officium est, vt ab omnibus ignorantiæ & erroris sordibus, omni falsæ eruditionis persuasione & arrogantia, simpliciterq;*

pliciterq́; malis omnibus purgatum animum, recta persuasione & veritate imbuat, quæ sub ipsa quidem primò se profert, atque adeo nascitur, sed non vsquequaq; firma & stabilis: sub scientia verò adolescit atque perfecta redditur, firmissimumq́; robur accipit, vt inconcussa stet, nullis fallaciũ argumentationũ machinis vsquam impellenda. Ad quam quidem scientiam reliquasq́; virtutes cùm peruentum fuerit, summa veluti manus homini imponitur, fitq́;, vt græcè significantius dicam, κατηρτισμένος καὶ ἡρμοσμένος ὅλος, omnibus nimirum inter se animæ partibus in honesti studio exactè conspirantibus. Et sic quidem affectus homo, beatus euadit, nec quicquã deinceps ab ijs sibi metuit, quæ antè ipsum infestabant. Nam exquisitè horum omnium naturas percipit, nec in boni maliq́; discrimine amplius hæret. Vnde & alijs optimè consulere potest, & periculis quæ hinc & inde imminent cõmonstratis, rectam vitæ rationem præscribere. Et scopus quidem propositi operis hic est, vberius fortè ac fusius quàm quis faciendum iudicet expositus. Verùm quoniam ad vtilitatem probandam nõ parum id conducere videretur, minimè sum veritus latiori oratione hîc vti, simulq́; cum scopo hypothesim aliquo modo persequi. Quod igitur ad vtilitatem attinet, nemini dubium esse potest qui vel minimum intueri valeat, quin hæc sit longè maxima. Nam cùm omnino quæ in vitam incurrũt errata omnia, alia quidem ex hoc pendeant, quòd non rectè de vniuscuiusque vitæ fine sit constitutum, alia verò ex consecutionis ignoratione

Vtilitas.

eorumq́ quæ ad finẽ referuntur, necesse nimirũ fuerit rectè vitam instituere volenti, & fines discernere posse, verumq́ à falsis distinguere, & in medijs quæq́ huc ducant nusquã decipi. Quod certè Cebetis hæc tabula pulchrè mihi præstare uidetur, cùm & verũ vitæ humanæ finẽ cuiusmodi sit accuratè cõmonstret, quæq́ huc ducãt vniuersa, ostensis simul diuerticulis flexionibusq́, ad quæ maxima hominũ multitudo exorbitans deuoluitur, ac proinde à vero fine longißimè quidẽ abducitur, ad fallaces autẽ & fucosos subinde se applicat, nõ parua cùm externorũ bonorũ, tum verò corporis & animi iactura. Ac de vtilitate quidẽ hæc nunc dicta sufficiãt: erit enim et paulò pòst de ipsa nõnihil adhuc disserendũ, cùm ad eum autoris locũ peruenerimus, ubi Senex anteq̃ tabulæ explicationem aggrediatur, quid cõmodi & incõmodi hæc habeat, ostendit.

*Orationis forma.* Sequitur vt de orationis forma, quã Græci χαρακτῆρα vocãt, agamus. Sunt igitur huius genera quidem prima & simplicia duo: alterũ quod in actione imitationeq́ totũ cõsistit, cuiusmodi Comœdiarũ & Tragœdiarũ esse dicimus: alterũ omnis imitationis expers, sola narratione rerũq́ expositione cõtentũ. Huius generis est eorũ character, qui dithyrambos scribũt, rerũq́ gestarũ historias, citra omnẽ personæ introductionẽ. Tertiũ autem ex vtrisq́ cõpositũ, vt apud Græcos quidẽ Homeri vtrũq́ poëma, apud Latinos verò Maronis Aeneidos opus, partim quidẽ rerũ expositione, partim verò personarũ imitatione variegatũ & distinctum. Tot igitur genera cùm sint, propositũ hoc opus ad mixtã orationis

for-

formã referemus, q̃ hæc quidẽ ut res gestas, illa verò vt sermones & colloquia cõtineat, et rebus quidẽ gestis narrationẽ adhibeat. Cuius duæ potissimũ sunt virtutes, vt & distincta personis, rebus interpuncta sit, & illustrẽ habeat explanationẽ: sermonib. verò & colloquijs singulorum accuratã & exquisitã imitationẽ, quæ in vitæ morumq́ discriminib. ingenij et instituti varietate, ætatũ et sexuũ differentijs, alijsq́ similib. plurimũ cõsistit. Verumenimuero quoniã inueniuntur nõ nulli, quorum est et Diog. Laër. qui hãc diuisionẽ ut tragicã potius q̃ philosophicã exagitent ac reprehendãt, & aliã proinde philosopho magis cõuenientem adferãt, agè sanè & illa proposita cõsideremus, ad quodnã eius membrum huius Cebetis tabulæ oratiõis formã referre oporteat. Diuidunt itaq́ horum alij orationis formã, cõsimili vt superiores ratione, in duas species simplices, & tertiã ex his compositã. Et simpliciũ quidem specierũ alterã, præceptionis faciũt, rerumq́ explicationis: disceptationis quæstionisq́ alterã. Quæ verò ex his mixtis cõstat, hãc partim in præceptis tradendis, rebusq́ explicãdis versari volũt, partim verò in cõtrouersijs disceptationibusq́ tractãdis. Laërtius autẽ in vita Platonis, mixtæ orationis formæ nulla mentione facta, reliqua duo simplicia genera in quasdã rursus species partitur ac diuidit. Id quidem q̃d præceptiõis esse diximus: cuius hæc sanè est ratio, vt credentẽ et velut spõtè sequentẽ præeundo ducat, vt græcæ vocis ἐτυμολογία ostendit, ὑφηγητικὸν enim ab ipsis appellatur: in eã quæ cõteplationi indulget partẽ, & quæ actionẽ instruit. Quarũ

priorem rursus, in naturæ obscuritatem, & disserendi subtilitatem: posteriorem verò, in eam quæ de vita & moribus, & quæ de Republica disserit. Quod verò genus in disceptatione quæstioneq; positum est, quo non credentem, interdum verò & aduersantem ac repugnantem, vel ad consensionem & quasi confeßionem adducere, vel argumentis conuincere & refutare conamur, in eam quæ ingenij exercitationē continet speciem, Græci γυμναστικὸν vocant, & quæ contentioni & certamini est accōmodata. Quarum vtranque rursus in duo secat membra. Illam quidem, in id quod institutionis seu eruditionis quis dixerit, seu quocunque tandem modo, quod Græci translatitiè μαιευτικὸν ab obstetricando vocant, cōmodißimè explicari posse existimet: cuius ea nimirū est ratio, vt instituat & erudiat, et ad alicuius inuentionem adducat, dubitareq; faciat: & quod πειραστικὸν ab ijsdem, quòd ingenij & eruditionis periculum faciat, appellatur. Hanc verò in ostentationi accōmodatam orationis formā, qualis sophistis & adulterinis rhetoribus, ijsq; quos composito nomine σοφιστορήτορας appelles, tribuitur, & quæ confutandis sophistis, eorumq; argumentis euertendis inseruit. Verùm in hac quidem posteriore diuisione, quam Laërtij esse diximus, id fortasse culpent nonnulli, quòd inæquabilis, varia & multiplex sit, vt nunc quidem formæ, nunc verò finis, interdū & materiæ esse uideatur. Sed cùm alioqui sub orationis formæ diuisione, Philosophiæ quoq; partes quodāmodo comprehenderit, non putaui esse alienum ab hoc instituto,

tuto, & illam hoc loco subiecisse. Quod igitur ad priorē quidem partitionem attinet, mixti hanc Cebetis tabulam generis esse statuimus, non quòd perpetuo & æquabili temperamēto hæc inter se iuncta copulataq; sint, sed quòd cùm prior pars, eaq; longè maxima in explanatione consumatur, posterior quandam contineat de ijs quæ nec bona nec mala sunt, quæ ἀδιάφορα Stoicis, Ciceroni indifferentia, ad Græcorum imitationem dicuntur, breuem quidem illam, sed subtilem argutamq; disputationem. Quam sanè mixtionis rationem quòd adiunctione appositioneq; fiat, propriè compositionem appellamus. Ad Diogenis verò Laërtij diuisionis, ex eo quòd in ipsa præpollet ac superat, id referetur genus, quod præceptionis esse diximus: eiusq; eam speciē, quam, quòd circa actionem versetur, Græci πρακτικὴν, recentiorū nonnulli hos imitati, actiuam appellare solent: & huius rursus ipsius (recipit enim & hæc diuisionem) ad eam partem quæ de vita est & moribus. Atq; hac quidem ratione nō solùm de orationis forma constitutū esse videtur, sed non minus & illud explicatum esse, ad quam Philosophiæ partem præsens hoc opus pertineat. Reliquū igitur fuerit vt de materia agamus, quæ cùm, vt diximus, in hypothesim diuidatur & personas, loca & tempora, hypothesis autem superius iam exposita sit, nunc ad reliqua progrediamur. Et primū quo in loco habiti sint hi sermones consideremus: habet enim hæc nō solùm arguti quid, sed etiā vtilis, quodq; philosophi animaduersione sit non indignum, cōtemplatio. Est igitur huius con

Materia.

Locus.

*gressus & colloquij locus, Saturni templum: quod optima sanè ratione ab autore factum videtur. Nam cùm hîc vitæ humanæ effigies & imago quædam subijciatur, neque tabulam, in qua hæc picta continetur, alibi suspensam, neque quibus hæc explicatur, sermones & colloquia alio in loco, quàm in Saturni templo, instituta esse conueniebat. Simulachra enim rebus vt respondeant quarũ sunt simulachra, ratio exigit. Cùm igitur duplex sit vita, altera quidem omnis corruptionis atqueadeo mutationis expers & diuina, altera verò quæ ortum & interitum agnoscit, in qua est & hæc humana, illa certè in æuo degitur perpetuo, hæc verò tempori est subiecta. Quare vt vita humana sub tempore continetur, sic & tabula, in qua eius simulachrum est depictum, non alibi rectius reponatur, quàm in eius numinis fano, qui temporis autor ac deus fingitur, vt & ipsa Græci nominis ratio quodammodo indicare atque innuere videtur:* κρόνος *enim quasi* χρόνος, *vt vult apud Ciceronem Balbus, dicitur. Hancq; ego veram huius vocis notationem existimem, quòd reliquæ ferè vt coactiores sunt, ita particulariũ potius affectionum & effectuum, quàm vniuersæ ipsius naturæ & substantiæ, explicationem contineant. Siue enim dictum velis* κρόνον, *quasi* κόρον, *id autẽ est, vt interpretatur Plato,* καθαρὸν καὶ ἀκήρατον τοῦ νοῦ, *id est, mentis puritatẽ & perfectionẽ: siue vt alij,* ἐκ τοῦ κρᾶν καὶ κιρνᾶν ἕκαστα τῶν γενεθλιωμάτων, *id est, eo quod natalitia cuiusque dona misceat & temperet, siue vt Chrysippus vult,* διότι καθύγρων ὄντων τῶν ὅλων καὶ

ὄμβρων καὶ καταφερομένων πολλῶν, τὴν ἔκκρισιν τούτων ποιεῖ, *id est*, *quòd cùm humida essent vniuersa, imbresq; largi deciderent, horum secretionem faceret: hæc omnia certè ad particularia quædam temporis opera pertinebũt. Nam & mens & ratio vnà cum ætate adolescit & perficitur, & generatio omnis, mixtioq; ac temperatura & secretio sub tempore omnino continetur. Iam uerò & quod fingunt Poëtæ Saturnum liberos suos deuorasse, & vomitione rursus eiecisse, an non id manifestè ostendit, nihil aliud per Saturnũ ab ipsis, quàm tempus fuisse significatũ? quòd hæc eius sit natura, quòd ea quæ ab ipso procreata sint, non ita multò pòst absorbeat & consumat, aliaq; eiusdem speciei in locum priorum rursus proferat, vtq; simpliciter dicam, ortum & interitum longa serie continuet. Quod enim in tempore fit, id tempori tribuere solent homines. Quanquam nõ sum nescius, aliter hanc fabulam apud Ciceronem libro de Deorũ natura secundo exponi, vbi latinæ vocis rationem aßignans, Saturnus autẽ, inquit, est appellatus, quòd saturetur annis. Ex se enim natos comesse fingitur solitus, quia cõsumit ætas temporum spacia, annisq; præteritis insaturabiliter expletur. Verùm & hæc quoq; eòdem pertinet fabulæ interpretatio. Optima itaq; ratione ab autore factũ videtur, quòd hæc in Saturni tẽplo suspensa fingatur tabula. Sed & ipsi sermones quib. hæc explicaretur tabula, nõ alibi, q̃ vbi hæc suspensa esset, institui poterãt, quod nulli nõ manifestißimè patêre arbitror. Et de loco quidẽ hæc propémodũ sufficiãt. Quod ad tempus*

*Saturnus cur liberos suos deuorasse, & rursus euomuisse fingatur à Poëtis.*

*Tempus.*

autem attinet, quoniam de eo aperti nihil in hoc opere habetur, nec nos certi quippiam adferre possumus: id tamen, nobis quod verisimile videtur atque adeo consentaneum, dicemus. Habitum igitur hoc colloquium inter medio inter solis ortum & meridiem temporis spacio, probabile est: quod hinc conycio, quod hoc diei tempus, ei maximè ætati proportione respondeat, quæ ad deligendum quam quisq; viam viuendi sit ingressurus, potißimũ videatur idonea, vt ex ijs patêre potest quæ de Hercule, vt est apud Xenophontem secundo τῶν ἀπομνημονευμάτων, cõmemorat Prodicus. Simili autem ratione & de anni tempore constituere possumus, veris quidem finem, æstatis verò initium, huic congressui conueniens

Personæ. tempus pronunciantes. In personis verò (id enim erat reliquũ) hæc sunt præcipuè quæ animaduertenda videntur, quòd qui tabulam, quæ vitæ humanæ effigiem & imaginẽ continet, explicat, vnus fingatur, senex, & indigena. Quibus verò hæc explicatio fit, plures quidem, sed nõ magno numero, fortasseq; tres aut quatuor: insuper iuuenes, & peregrini, ac hospites. Quibus sanè, quod ad eum cui explicatio tribuitur, attinet, nihil aliud innui videtur, quàm quòd rarißimi omnino sint, quibus vitæ humanæ ratio ac conditio perspecta exacteq; cognita sit, vt ex multis adeò millibus vix vnus atq; alter talis inueniatur. Neq; verò quouis hæc tempore contingat peritia, sed maturiore ad ipsam opus sit ætate: quodq; nec ea absolutè sufficere videatur, sed requirat insuper vt per omnem vitam hoc vnicè studio habeat, ut & sui

tempo

temporis optimis aures præbeat, & in rerum experientiam animũ habeat maximè intentũ, & nusquam peregrinantem, creberq́; sit & multus in earũ rerum, quæ in vitam incurrunt, causis inquirendis inueniendisq́; : hinc enim vitæ vniuersæ peritus euadet, eritq́; hic quasi quidam indigena. Quod verò ad auditores spectat, numerus quidem illorũ aliquis, non autem vnus, statuitur, quòd plures huiusmodi inueniantur qui bona indole præditi, recta monentẽ audiũt, ipsiq́; obtemperãt, quàm qui ipsi alijs consilio præesse possint: neq; tamen magnus, sed admodum exiguus, quòd longè maxima multitudo ita sit affecta, qualem hominẽ nequam & inutilem describit Hesiodus:

ὃς δέ κε μήτ' αὐτὸς νοέῃ, μήτ' ἄλλου ἀκούων
ἐν θυμῷ βάλληται, ὁ δ' αὖτ' ἀχρήϊος ἀνήρ.

Eam verò ob causam iuuenes finguntur, quòd in eam potissimũ, vt superius diximus, ætatem, alicuius vitæ generis instituẽdi deliberatio incidat, quòd vt sui iuris homo tum esse aliqua ratione, inq́; sua potestate incipit, ita pleraq; suo arbitrio facit, & actionis compos redditur, vtpote adultiorẽ perfectioremq́; eam partẽ iam obtinens, quã Græci τὸ λογιστικὸν vocant. Peregrini autem & hospites, tanquam vitæ rationum adhuc ignari, vt qui iam primùm se ad vitæ illud biuium applicuerint. Atque hæc quidem sunt quæ ad præparandos auditorum animos, præfanda nobis esse duximus.

Reliquum est vt ipsius autoris enarrationem aggrediamur, si prius tamen, vt polliciti sumus, vocum quarundam

multiplicē potestatē & significationē distinxerimus. Nam cùm in præcedentibus vitæ humanæ descriptionem quandam designare & conficere autori propositū esse dixerimus, vita autē pluribus à Latinis vsurpetur modis, quemadmodum & ζωὴ & βίος à Græcis, fieri certè nō potest vt distinctā scopi notionē quis habeat, citra harū vocum multiplicis potestatis distinctionē.

ζωή. Definitur itaq; à Græcis ζωὴ (vt ab hoc potissimū nomine tanquā vniuersaliori exordiamur) secundum primā & cōmunem maximeq; latè patentē notionē, παρατήρησις καὶ μονὴ τῶν ὄντων, id est, rerum cōseruatio & mansio: cui opponitur θάνατος, id est, mors, rerum naturæ quædam dissolutio & discessus.

θάνατος. Cæterum cùm plures sint animæ facultates in quibus vita hæc consistit, undeq; veluti efflorescit & cognoscitur, plures etiam ipsius differentias statuere par est. Unde non solùm αἰσθητική τις καὶ κατὰ τόπον κινητικὴ ζωὴ, id est, vita in sensu & secundum locū motione consistens fuerit, sed etiā λογικὴ καὶ γνωστικὴ, καὶ αὖ πάλιν φυτικὴ, id est, ratione & cognitione instructo animali conueniens, & rursum quæ ad plantarū naturam pertinet. Et secundum reliquas animæ facultatū differentias pari ratione aliqua omnino vita constituatur. Neq; verò solùm earū quæ suapte natura ingenerantur virtutū discrimina, vitas differentes efficiūt, sed nihilominus etiam quæ quòd in voluntate sint positæ, voluntariæ appellantur, quas vel institutio ac doctrina, vel cōsuetudo exercitatioq; gignit, nō paucas vitæ ostendunt differentias. Itaq; & φιλόσοφόν τινα ζωὴν, καὶ θεωρητικὴν dicūt Græci,

&

& εὐζωΐαν, καὶ περικλικλὴν, καὶ ἔντεχνον ζωὴν, & in huius generis reliquis differentijs consimili modo vitæ quædam notatur. Iam verò & morum & ingenij qualitates ac conditiones & vitæ degendæ rationes ζωὰς appellare solent: vnde θηλειώδης dicitur ζωὴ, καὶ μαλακὴ, et ζωὴ πίθου, cuiusmodi nobilis illius Diogenis Cynici fuisse legitur. Sed & vitæ spacium, quæque ad vitam degendam opportuna sunt & necessaria, & facultates ac possessiones, ζωὴν nonnunquam nominant Græci, vt & apud Homerum est inuenire. Quanquam posterioribus his aliquot differentijs, βίου frequentius quam ζωῆς appellationem tribuere consueuerunt, cuius talem nobis significationum distinctionem tradidit Philotheus. Apponemus autem ipsius autoris orationem græcam, à nobis in latinum sermonem conuertendam: τὸ τοῦ βίου ὄνομα πολλαχῶς εἴρηται. λέγεται γοῦν βίος ὁ τόπος, καθ' ὃν φαμὲν ἀμφίβια ζῶα, ἃ καὶ ἐν τῇ χέρσῳ καὶ ἐν τῷ ὕδατι βιοῦν δύνανται, ὡς αἱ φῶκαι, καὶ οἱ κροκόδειλοι, καὶ τὰ λοιπά. Βίος καὶ τὸ ἐπιτήδευμα, καθ' ὃ φαμὲν τὸν ἄνθρωπον ἰατρικὸν βίον μετιέναι, κἀκεῖνον φιλόσοφον. Βίος καὶ ἡ ζεῦξις τοῦ γάμου, καθ' ὃ λέγεται ὅτι βίον ὁ ἄνθρωπος οὗτος μετηγάγετο. Βίος καὶ τὸ ἦθος τῆς ψυχῆς, καθ' ὃ φαμὲν ὅτι σώφρονα βίον ἔχει καὶ κόσμιον ἢ τὸ ἀνάπαλιν ἀκόλαστον. Βίος καὶ ὁ χρόνος τῆς ζωῆς ἡμῶν. διὰ τοῦτο γὰρ τὴν ἀποχώρησιν τῆς ψυχῆς, ἀποβίωσιν προσαγορεύομεν. Id est: vitæ nomen multis vsurpatur modis. Dicitur enim vita, locus: qua ratione amphibia dicimus animalia, quæ tum in terra, tum in aqua vitam degant, vt vituli marini, crocodili, & reliqua his consimilia. Vita & institutum exercitiumque appellatur, qua significatione dicimus, hunc quidem hominem medicam vitam degere, illum verò philosophicam. Vita & nuptiarum

*coniunctio, quo genere dicitur, hic homo vitam aliò traduxit. Vita & animi mores, qua ratione temperantem & moderatam dicimus vitam, & rursus intemperantem. Vita & viuendi tempus: eam nanque ob causam animæ separationem excessum è vita appellamus. Ex his Philothei verbis quinq; colliguntur huius nominis significationes tantū, quarum prima & tertia, aut alieniores esse videntur, aut certè ab ipso non rectè explicatæ. Quis enim vnquam locum, aut viri & mulieris legitimam coniunctionem, vitam dixerit? quæq; ab ipso pro argumentis adferuntur exempla, minimè id docere videntur. Neque enim ex loco ἀμφίβια dicuntur animalia, sed ob diuersam ac dissimilem vitæ victusq; rationē, quæ in loco quidem instituitur, & ex eo aliquousq; animaduertitur, non tamen idem quod locus est, sed res penitus ab ipso diuersa. Consimili autem modo cùm inquit, ὁ ἄνθρωπος οὗτος τὸν βίον μετήγαγε, nihil aliud ex his verbis, vt mihi quidem videtur, intelligatur, quàm quòd vitam aliò, id est, ad alium statum transtulerit: ex quo certè minimè conficitur, nuptiarum coniunctionem vitam appellari. Iam verò neque omnes τοῦ βίου significationes enumerauit, quásque posuit, in eas temerè magis incidisse, quàm methodo aliqua ad earum inuentionem vsus fuisse videtur. Quam ob causam nos ratione & via, vniuersam huius vocis vim ac potestatem explicemus. Id igitur primum omnium est animaduertendum, tam latè nōnunquam apud Græcos huius nominis vsum patêre, vt omnibus tantum non τῆς ζωῆς significationibus*

cationibus accõmodetur, interdum verò ſic contrahi, vt ad ſolos homines pertineat, aut certè ea tantùm quæ rationis ſunt participia: vnde Ariſtoteles, βίος ἐστὶν, inquit, ζωὴ λογική. Verùm vt certo ordine & methodo eius ſignificationes omnes comprehendamus, ſic habetote, βίον vt & ζωὴν, quanq̃ hoc quidem magis propriè, illud verò minus, animæ cuiuſuis in corpore præſentiam, vt notionis definitione res explicetur, eſſe, ſiue plantalis illa, ſiue animalis ſit, aut etiam rationalis. Ex quibus ſanè differentijs & vitæ rurſus differentes conſtituuntur. Atque ſecundum hanc quidem τοῦ βίου ſignificationem, ἀποβίωσις dicitur, τῆς ψυχῆς ἀπὸ τοῦ σώματος ἀποχώρησις: itemq; πλουτᾶν τὸν βίον καὶ μέχρι οὗ αὐτῷ ὁ βίος ἦν, & quæ eiuſdẽ ſunt generis. Quanq̃ hæc omnia vſitatius rationis compoti, vt diximus, animali tribuantur. Secundũ eius autem differentiarum acceptionem ἀνθρώπινον, καὶ κατ᾽ ἄνθρωπον βίον dicimus, rurſusq; βοσκημάτων βίον, atque item φυτικόν. Quoniam autem harum animæ ſeu partiũ ſeu ſpecierum quis dicere malit (vtrunq; enim eſt non incõmodum, vt aliàs probabimus) ſuas quælibet & proprias obtinet facultates, ex quibus actiones profluunt, nõ rarò tum facultates tum actiones, vitas appellare ſolent veteres, non alia, vt arbitror, ratione, q̃ qua medicorum nõnulli ſanitatem & morbum in actione conſtituerunt, in primis nimirũ inhærentes notionibus, minimè autẽ ad ſubſtantiam eorum ſeſe promouentes. Sic igitur animalia nõnulla, οἱ πολιτικὸν καὶ δημιουργικὸν βίον μετιέναι, alia verò μονόβια dicuntur, vt rurſus ἀμφίβια quædam. Na-

*tura enim vnicuiq; animali, ipsi conuenientes facultates & actiones debet. Itaq; cùm multæ sint, vt inquit Aristoteles, alimenti species, vitæ etiam diuersæ tum animaliũ tum hominum sunt. Pari autem ratione & λαγῶ βίον ζῆν dicitur, quæq; reliqua his sunt similia. Huc pertinent quæ à Græcis ἔθη appellantur, id est, cùm animalium, tum hominum ingenia moresq;, non quidem studio & exercitatione comparata, sed à natura insita. Cùm verò homo nõ solùm primas has & suapte natura ingeneratas facultates actionesq; obtineat, sed harum etiam adminiculo alias sibi comparet, fit vt & προαίρεσις & ἦθος & ἐπιτήδευμα, βίος nõ rarò nominentur. Itaq; φιλόσοφον βίον dicimus, & περιπατητικὸν, καὶ Πυθαγόρειον καὶ Παρμενίδειον βίον, & rursus σώφρονα καὶ κόσμιον, & ἀκόλαστον, pariq; ratione μηχανικὸν, στρατιωτικὸν, γεωργικὸν, & βάναυσον. Iam verò & victus ratio, quã δίαιταν Græci vocant, quòd vitam hac tueamur & conseruemus, nõnunquã βίος appellatur, vnde nimirũ βίος μεμαλαγμένος & ἀληλεσμένος, rursumq; ἀκανθώδης καὶ σκληρὸς dicitur. Eodemq; genere, inquit Cicero, hominum vita plurimũ distat à victu & cultu bestiarum. Et quoniam huc ab hominibus opes facultatesq; comparantur, quæq; reliqua sunt necessaria & opportunũ vsum obtinentia, & his quoq; interdum βίου appellatio tribuitur: & ἀβίους ἀνθρώπους, qui his destituuntur, appellamus. Postremò verò & vitæ tempus βίος nominatur, qua ratione βίος βραχὺς ab Hippocrate dicitur. Et græcæ quidem huius vocis tot sunt significationes. Eædem autem & latinæ*

fuerint. Tot igitur modis vita cùm dicatur, scopũ autẽ huius libri esse statuerimus, vitæ humanæ, id est, τοῦ βίου τοῦ ἀνθρωπίνου (est enim hæc vox altera huc accõmodata magis) descriptionem, vitam pro vniuerso vitæ humanæ cursu accipere oportet, id est, eo quod ex naturalibus facultatibus actionibusq́; itemq́; acquisititijs, quæq́; huc spectant studia, mores & instituta, constat & compositum est. Ac sic quidem, quod in scopo ambigui hærebat, distinctum cùm sit, nunc ad ipsum conuenienter autorẽ transeamus, eiusq́; solertem ac subtilem humanæ vitæ descriptionem mente acri, &, vt ita dicam, sagaci intueamur.

PRAEFATIONIS FINIS.

# CEBETIS THEBANI TABVLA.



IN Saturni ut deambularemus fano usu ueniebat, in quo multa quidem cùm alia donaria contemplabamur, tum uerò tabula quępiam ad templi ingressum suspensa erat, in qua peregrina quædam pictura, quæq́ singulares haberet fabulas, continebatur: quas quænã essent, & ad quæ tempora pertinerent, coniectura assequi minimè poteramus.

*In hac præfatione, quæ ad eum vsque locũ protenditur, vbi inquit,* Accepta igitur uirga, *hæc potissimũ contineri quis dixerit: in primis congressus occasionem: deinde eorum præparationem, qui ad tabulæ explanationem adhibendi sunt auditores: quæ quibus partibus constet, suo dicemus loco. Nunc de priori illo agamus, consideremusq́ quàm opportunum huic sermoni initium dederit. Incipit enim à narratione, qua primùm quidem exponitur, quomodo peregrini ac hospites, vt ferè fieri solet, loca ciuitatis celebriora dum spectant (quod tamen non additur, causam autem paulò pòst intelligemus) Saturni quoq́ templum sint ingressi, ibiq́ singula oculis lustrantes, in huius tandem tabulæ, cuius explicationem sibi propositam habet autor, contemplationem inciderint. Atque id quidem hîc animaduertendũ est maximè, neq́ nimium longè hoc esse repetitum narrationis principium, neq́ vt quis dixerit, abruptum, sed quammaximè*

*oppor-*

*portunum & coueniens. Id hoc pacto potissimum cognoscatur. Nam si hoc modo exordiretur, vt & à patria discessum, totiusq́ itineris rationē exponeret, quoq́ huc delati modo, singulis in ciuitate insignioribus lustratis locis tandem in Saturni templum peruenissent, vbi & alia permulta, & hanc tabulam spectassent, in eandem nimirū incurrisset reprehensionem, in quam Ennianum illud:*

*Utinam ne in nemore Pelio securibus*
*Cæsæ cecidissent abiegnæ ad terram trabes,*
*Néue inde nauis inchoandæ exordium*
*Cœpisset, quæ nunc nominatur nomine*
*Argo, qua vecti Argiui delecti viri,*
*Petebant illam pellem inauratam arietis*
*Colchis, imperio regis Peliæ per dolum:*
*Nam nunquam hera errans mea domo efferret pedem*
*Medea animo ægra, amore sæuo saucia.*

*Neque enim quicquā ad propositum faceret negocium, aut à patria abscessus, aut ipsa seu nauigatio, seu per terram profectio: quemadmodum nec quòd reliqua celebriora inuiserint loca: vt taceam interim, id & ex peregrinantiū more, maximeq́ eorū qui liberaliora colunt studia, & ex ijs quæ narrantur facilè intelligi posse. Rursus si citra hanc in Saturni fano deambulationem, vel à Senis congressu, vel à tabulæ conspectu inciperet, necessariorum ad hypothesim omisisse aliquid deprehenderetur. Nam & Saturni templum ex ijs est, vt ex præfatione didicistis, quæ vim aliquā ad argumen-*

*tum obtineant. Et sic quidem recte hinc initium fecisse cognoscitur. Quod ad reliqua huius orationis attinet, de æde quidem Saturno sacra, & cur hîc tabula, in qua vitæ humanæ descriptio facta est, collocetur, in præfatione nostra satis est declaratum. Quænam autem alia illa fuerint donaria, de eo nihil certi colligere possumus. Verisimile tamẽ est huiuscemodi quæpiam fuisse, quæ & ipsa ad temporis omnino rationẽ pertinerent, & sub tempore cõtinerentur. Donaria autẽ quæ vertimus, Græcis ἀναθήματα à seponendo siue suspendendo, vt recte in annotationib. in Euangeliũ Lucæ, Hollandiæ nostræ lumẽ atq; ornamentũ DES. ERASMVS ROT. indicat, appellantur, cuiusmodi sunt quæ Dijs cõsecrata in parietibus & columnis templi suspenduntur. Cæterùm in tabula quòd peregrinam picturam, quæq; fabulas singulares habeat cõtineri dicat, id cuiusmodi sit ex sequentibus cognoscetur. Quod verò inquit ipsos fabulas coniectura non potuisse assequi, quænam essent, & ad quæ pertinerent tempora, id per quàm οἰκονομικῶς ab autore est factum. Præmitti enim dubitationem quandam & conatib' ipsi philosophicæ huius tabulæ explicationi oportebat, quòd, vt inquit Aristoteles, τοῖς εὐπορῆσαι βουλομένοις ἔστι προὔργου τὸ διαπορῆσαι καλῶς, id est, vt sententiam quamproximè vertamus (lepôrem enim & festiuitatem sermonis quæ in προσονομασίᾳ vocumq; affinitate consistit, assequi non possumus) Qui volunt quæ ad rei alicuius cognitionem faciant sibi suppetere, hos operæprecium est rectè prius dubitasse. Neq; verò hac*

*hac ſolùm ratione ſummatim contentus eſt autor ipſorum hæſitationem propoſuiſſe, ſed etiam latiori verborum tractu in ſubijciendis eam perſequitur, ſimul etiam conatum quendam, ſeu appetitionem, ſeu aggreſsionem, ſeu quocunq; tandem modo* ἐπιχείρησιν *quis vertere velit, mirabili quodam artificio adiungens, cùm inquit:*

Neque enim ciuitas nobis id quod pictũ erat eſſe uidebatur, neque caſtra, ſed ambitus erat, alios duos intra ſe ambitus continens, hunc quidem maiorẽ, illum verò minorem. Sed & porta in primo erat ambitu: huic autẽ plurima nobis imminere turba videbatur. Cæterùm intra ambitum, mulierum multitudo quædam conſpiciebatur. Ad primi verò veſtibuli & ambitus introitum ſenex quidam adſtans, ingredienti turbę quid imperantis ſpeciem quandam præ ſe ferebat.

*Ut præcedens narratio apta compoſitione & verborum quodam quaſi tractu, tardiori inambulantes gradu, inſiſtentes etiam nõnunq̃ ac ſpectantes, ita nobis expreſsit, vt nõ narrari, ſed agi potius res videretur, ſic & hæc tam cõmodè nobis dubitantes hæſitantesq; ſubijcit, vt non ſolùm mentis nunc in hanc, nunc in illam ſententiam inclinationem, ac rurſus reuocationẽ cernere te credas, ſed geſtus propémodum ſic affectorũ intuearis: quæ certè narrationis, vt ſuperius dictum eſt, non minima eſt virtus. Nam cùm in picturam intueri eos facit, ambitus ſanè conſpecti, ciuitatis quandã imaginationẽ ipſis ſuggerebant: ſed cùm aut nullæ, aut certè perquam raræ ibi conſpicerentur ædes, ab ea nimirũ cogita-*

*tione recedunt. Et quoniã munita sunt & castra, huc animo feruntur: verùm cùm nec tentoria hîc appareant, castra sanè esse non posse manifestum est. Cúmque nihil occurreret præterea quò animũ referrent, ipsam, vt est, picturã oculis & mente percurrunt, eiusq; insigniora quæpiam sermone persequuntur, quæ & in tabula depicta spectare licet, & satis apertè ab autore referuntur. Et hactenus quidem eorũ subiecta est dubitatio de pictura, cuiusmodi tandem esset. In sequentibus verò & hoc subijcit, neq; quã vim hæc haberet, quidq; significaret, ipsos vlla ratione, quanquã plurimũ laborassent, assequi potuisse.*

Cùm verò de fabulæ inter nos mutuò explicatione multo dubitaremus tempore, senex quispiam assistens, minimè mirũ, ô hospites, inquit, si de pictura hac dubitetis: nam ex indigenis non multi, quid hæc fabula sibi velit, norunt. Neq; enim ab hac ciuitate id muneris profectum est, sed hospes quispiam huc quondam aduenit, vir prudens & sapientia pollens, cæterùm dicto factoq; Pythagoreæ cuiusdam & Parmenideæ uitæ æmulator, qui & fanum hoc & picturam Saturno dedicauit.

*Duo sunt quæ in huiusmodi symbolicis ordine sese comitantur. Nam primũ quidem, quidnam id sit, quod ad aliam quampiam rem significandam adhibetur, scire oportet. Deinde, cuius rei notandæ & adumbrandæ causa, id effectum sit & delineatum, inquirere: sic enim singula singulis applicando, vniuersa fabulæ interpretatio procedit. Cùm igitur in præcedentibus de priori egisset, in his de posteriori*

mentio

mentionem facit, multo quidem ipsos tempore vt fabulæ interpretationem inuenirent conatos esse, sed parum alioqui rem ipsis successisse. Et hæc quidem de dubitatione, quæ apposite admodum conuenienterq́; hactenus præmissa est. In sequentibus autē hoc mihi considera, quàm dextrè dubitantibus hîc senem adesse facit, planè vt dici solet, θεὸν ἀπὸ μηχανῆς, qui primò hospites benignè comiterq́; compellans, quam ex dubitatione animo cōceperant molestiam mitigat, dum quod ijs hîc accidit, id nō ipsorum vitio, aut ingenij tarditate accidere ostendit, sed ipsius potius rei & fabulæ natura, quæ paucis etiam admodum illius loci indigenis cognita esset. Rursus autem, quoniam quæ publicè in ciuitate consecrata & suspensa sunt, maximè verò si recentior adhuc eorum memoria extet, in ijs rudes omnino esse eius loci homines, aut inertissimæ segnitiæ esse videtur, aut stuporis profundissimi: vt huiusmodi criminis suspicione & suos liberet, nec à sua ciuitate hoc profectum donariū inquit, esseq́; admodum vetus, & proinde rarissimis etiam indigenis notū: Hospitem enim quendam eius autorem esse: quem deinceps prædicando, perquàm rhetoricè ab autoris excellentia & antiquitate picturam cōmendatiorem reddit, & desiderium eius cognoscendæ in ijs auget, eaq́; sanè ratione futuræ fabulæ explicationi ipsos præparat. Sed agè singula perpendamus commendationis momenta. Primùm igitur cùm inquit, Sed hospes quispiam huc quondam aduenit, antiquitatis nomine ipsius autoritatē augustiorem reddit. Deinde verò cùm sub

D

ijcit, Uir prudens & sapientia pollens, nõ solùm ingenij vim & bonitatẽ, qua naturæ sponte ad optima ferretur, in ipso fuisse ostendit, sed etiam studio comparatã sapientiæ doctrinam: neq; verò eam quamlibet ac vulgarem, sed raram omnino & eximiam. Postremò verò & philosophiæ genus adijcit, inquiens: Cæterũ dicto factoq; Pythagoreæ cuiusdam & Parmenideæ vitæ æmulator. Atque hîc quidem non solùm à philosophiæ ipsius genere, quod nihil nõ excelsum magnificumq; tractat, estq; in omnibus, vt quis dixerit, sublimipetum, ipsum cõmendat, sed etiã, quod cùm pleriq; inuenirentur quorum vita professioni esset dissimillima, huius & oratio moribus, & mores per omnia orationi responderent: quam veræ sapientiæ germanæq; philosophiæ solidam & expressam effigiem esse, meritò quis statuerit. Neque verò hoc loco mihi laborandum arbitror, vt aut Pythagoræ philosophiam primæ apud Græcos dignitatis fuisse probem: nulli enim non, qui vel aliquousq; in veteribus sit versatus, id notum: aut Parmenidis nil humile cogitantis celsum & erectum ingenium, nil à professione alienum agentis, eximiam raramq; virtutem: satis enim & hæc veterũ, & præcipuè Platonis scriptis nobilitata. Hunc igitur tot nominibus cõmendatum virum, tum templum hoc Saturno, tum picturam dedicasse inquit: hac quoq; oratione insinuans, nõ quemuis è vulgi numero eum fuisse, sed diuitem, & alicuius omnino dignitatis. Nam & hæc, nescio quomodo, quamuis externa sunt, nõnihil tamen & autoritatis addunt & gra-

tiæ,

*tiæ, quòd fortaſſe animi bonorũ quædam iudicentur veluti indicia. His igitur rationibus & autore & tabula cõmendatis, deinceps res exigit, vt ſeni quoque autoritas, præter eam quã ipſi adiungit ætas, de qua ſuperius egimus, concilietur: quod quàm peritè à noſtro fiat autore, conſideremus.*

An'ne igitũ, inquã ego, & ipſum illum de facie noſti? Et quidem admiratus ipſum, inquit, multo ſum tempore. Nam iunior cùm eſſet, multa & ſeria, quæq; nõ leuis eſſent momẽti, adferebat. Et uerò fabulę huius explanationẽ, ſæpe ipſum latiori pertractantẽ oratione audiui.

*Admirabilis hic ſanè ordo, & artificij plena oratio. Nam cùm in præcedentibus & ipſos præmiſſa dubitatione quodammodo præparaſſet, & ſenis interuenientis oratione tabulã & autorem cõmendando, ipſos huc antea etiam propenſos, magis fabulæ interpretationis cognoſcendæ ardore inflammaſſet, reſtare videbatur, vt diximus, vt ipſi quoq; explanatori futuro ſua conſtitueretur autoritas: quod ita cõmodè facit, vt nõ ſtudio conquiſita & affectata, ſed vltrò & naturæ veluti ſponte oblata huius videatur occaſio. Ferè enim ita natura fieri ſolet, vt cùm aliquẽ à quopiam laudari audimus, ſtatim an ipſum nouerit interrogemus. Itaq; hic hoſpitum quendam ex ſene percontari fingit, ipſum'ne autorem de facie nouerit, vt ſic ſeni ſibi quoque autoritatem conciliandi occaſio detur: quod quanta dexteritate faciat, conſideremus: ſimul autem & caſtigatam veterum breuitatem animaduertamus, qui nihil in ſermone ſuperuacaneũ, nihil redundans facilè patiantur. Non igitur*

ipsis verbis se de facie eum nouisse inquit, sed ex coniunctionis copulatiuæ à Grāmaticis appellatæ vi, eoq́ quod maius est subiecto, id potius subindicat: Et quidem admiratus ipsum, inquiens, multo sum tempore: quod mea quidem sententia perinde valet ac si dixisset, non solùm ipsum de facie noui, verumetiam familiarius eo sum vsus: ex quo factum est, vt multo mihi tempore, ob rara quæpiam ingenij & eruditionis dona, vt statim subijcit, admirationi esset. Nam, Iunior, inquit, cùm esset, multa & seria, quæq́ non leuis essent momenti, adferebat. Et verò fabulæ huius explanationem sæpe ipsum latiori pertractantē oratione audiui. Qua certè oratione quantumlibet breui, multa complectitur, partim quidem ad tabulæ rursus autoris cōmendationē facientia, partim verò vt seni autoritas concilietur, ipsiq́ in spem erigantur, fore vt rem iam antea desperatam assequantur, & fabulæ huius interpretationē cognoscant. Itaque ad autoris quidem existimationē facit, quòd ipsum admirationi sibi fuisse inquit: hoc enim ipso ostendit, magnas se, excellentes quasdam & singulares & præter opinionem in eo virtutes animaduertisse, quod ipsum & sequentia manifestè indicant. Nam, Iunior, inquit, cùm esset, multa & seria, quæq́ nō leuis essent momenti adferebat. In quibus cùm iuniorem eum facit, id non sic accipiendum, ac si iuuenis quispiam fuerit, neque enim id huic argumento consentaneum, sed qui frequens est apud autores huiusmodi comparatiuorū vsus, hîc pro contrario positiui cum aduerbio minus vsurpatur,

ac

ac si dixisset, minus senex: vt eius ætatis ipsum fuisse intelligas, quam Græci ἀκμὴν vocant, aut certè nō vltra hanc multum processisse, quòd hæc ætas vt corporis bonitate ad summum profecit, ita animo quoq;, cuius corpus instrumentum est, plurimum iam valere incipiat, cessantibus nimirū illis quæ incrementi tempore obtinebant in corpore, materiæ fluctibus & agitationibus. Erat igitur id in eo præter opinionē, quòd ea statim ætate qua primùm sedatis ac repressis fluctibus verè modestus & frugi, ac, vt quis dixerit, sobrius homo secundum naturā redditur, tantū in eo, nō dico ingenij, sed veræ sapientiæ reluceret, vt tam multa, tamq; seria, quæq; non leuis essent momenti (sic enim σπουδαῖα interpretor) in medium adferre posset, vt non immeritò seni admirationi fuerit. Cæterùm nec illud prætermittendum arbitror, non solùm dicere senem, Et quidem admiratus sum ipsum, sed adijcere insuper, multo tempore, vt firmam & constantē admirationē intelligas, vtpote cui solida & expressa subsit, minimè autem adumbrata causa. Sunt enim quædam, quorum in fronte ostentatio est, sed cùm nihil subsit solidi, diligentius inspecta facilè cōtemnuntur. Et sic quidem tabulæ autoris opinio & existimatio augustior reddita est. Sed ex ijs ipsis senis quoque aliquo modo constituitur autoritas. Nam vt hominū vulgus, qui quælibet cōmuniter obuia mirantur, ita qui magnis & eximijs tenentur rebus, non nisi magni sint oportet. Etsi enim admiratio imperfecti quid, atque adeò ignorationis in se habere videtur, vnde illud Horatij,

*Nil admirari propè res est vna Numici,*
*Solaque quæ possit facere & seruare beatum,*

*adsit tamē huic oportet & generosi aliquid: primò quidem quòd nihil admiremur, cuius non sensum aliquem habeamus, cuius nō quasi adumbratam intelligentiam animo ac mente conceperimus. Deinde verò, quæ admiramur, etiam appetere & amare videmur, esseque ad hæc, vt Græci loquuntur,* φιλοτοιοῦτοι, *maximè verò si stabilis & fixa, cuiusmodi senis fuisse narratur, sit admiratio. Iam verò & hoc æstimatum, nonnihil etiam seni cōmendationis adijcit, quòd inter eius loci homines vel solus, vel certè cū paucissimis, ipsi cum tabulæ huius autore consuetudo & familiaritas intercesserit: nam, vt veteri prouerbio fertur,* ὅμοιον ὁμοίῳ ἀεὶ πελάζει, *id est, Simile simili se semper adiungit. Quòd autē dicitur, Et verò fabulæ huius explanationē sæpe ipsum latiori pertractantem oratione audiui, id præcipue ad propositum facit negocium. Verùm priusquam hoc explicem, illud mihi prius animaduertito, quod philosophicam quandam in se contemplationem habet. Nam ab admiratione exorsus, in cognitionem desinit, id est, ab imperfecto ad perfectius, quæ humanæ nimirum naturæ est conditio. Quare & Aristoteles inquit,* διὰ γὰρ τὸ θαυμάζειν, οἱ ἄνθρωποι καὶ νῦν, καὶ τὸ πρῶτον ἤρξαντο φιλοσοφεῖν, *& cætera quæ sequuntur: vt nimirū admiratio vestibulum quoddam & aditus ad philosophiam esse videatur. Qui enim admiratur rem, veluti eximiā & præclaram admiratur, cuius tamē cognitione vel omnino*

vel aliqua saltem ex parte destituitur. Nam primæ illæ & inchoatæ intelligentiæ & notiones, artificis certè & scientificæ cognitionis pars nulla sunt, ac ne principia quidem: siquidem nondum ijs artifex à nō artifice distat: inuentionis tamen theorematum principia, illas constituisse nihil prohibet. Sed de his aliàs: nunc ad institutum reuertamur, & quam vim superius posita oratio habeat, æstimemus. Inquit igitur, se cùm alia multa ipsum explicantē ac differentem audiuisse, tum huius fabulæ explanationem sæpe & latiori oratione pertractantem: quo quid dici ad rem propositam possit cōmodius? Cùm enim duo sint præcipua quæ in doctore, alteri qui rem tradet, requirantur, primū quidē vt rem exactè distincteq; perceptam cognitamq; habeat, deinde verò vt memoriā eius præsentem: sic enim fiet ut cōmodè procedat explicatio, maximeq; cùm verba, ut inquit Horat.

Prouisam rem non inuita sequentur:

hac vna certè oratione vtrunq; in sene fuisse ostenditur. Nam cùm sæpe audiuisse se dicat, hinc sanè colligitur, explicationem fabulæ & melius ipsi perceptam, & fideliori memoria comprehensam. Semel enim aut bis audita tantū, in summa rarissimè, vt facile ex animo excidunt, ita nec admodum exquisitè cognoscuntur. quorum autē explanatio sæpenumero repetitur, præcipue verò si fusior sit, vt hanc fuisse ex voce διεξιόντος intelligimus (est enim διεξιέναι & διεξέρχεσθαι, vt compositionis ratio indicat, rem perfectè pleneq; à principio ad finem vsque exequi) horū & in pleniorem du-

*cimur cognitionem, dum posterior, vt ferè fieri solet, priori semper aliquid adijciat auditio, & memoriam omnino firmiorem diuturnioremq; retinemus. Quare id ipsum vt ad senis, id est, futuri explanatoris cõmendationem præcipuè facit, ita & hospites in spem adducit, ad fabulæ interpretationis cognitionem perueniendi. Itaq; statim subijcit Cebes:*

Atenim per Iouem, inquã ego, nisi magna quapiã sis occupatione impeditus, hanc nobis edissere. Nam admodum audire desideramus, quidnam tandem hæc fabula sibi uelit.

*Quã vim habeat superior oratio, vel hæc argumento fuerint, quæ hîc ab hospite dicuntur: excitatos enim planè eos, & senis oratione inflammatos apparet. Quare & ab obtestatione numinis, eiusq; summi, exorditur hospes: & nõ simpliciter, Nisi occupatione quapiam impeditus sis, inquit, sed magna, adijcit, vt leuiorem occupationem vix videatur pro excusatione admissurus. Deinde & desiderium huius interpretationis audiendæ vehemens subijcit. At non statim horum cupiditati satisfacit senex, neque etiam se difficilem præbet, sed arte quadam eos tractat, magis etiam adhuc ad fabulæ auditionem ipsos præparans.*

Non recuso, inquit, ô hospites. Verùm id uos audisse oportet, periculosi quid & ancipitis hanc in se enarrationem continere.

*In hac oratione admirabilis quædam imitatio, &, vt græcè significantius dicam, ἠθοποιΐα habetur. Nam vt in præcedenti iuuenilem quendam expressit feruorem, ita & hîc senilis*

*ſenilis cuiuſdam prudentiæ cautionē ac moderationē, qua concitatiores hoſpitum animos nō cohibet ille quidem penitus (neq; enim id faciendum) ſed flectit potius ac temperat. Et ſtatim quidem, quod eam maximè ætatem & id vitæ genus decet,* τὸ τοῦ ἤθους φιλάνθρωπον, *id eſt, manſuetudinem morū, facilitatem & humanitatē, ſed cum grauitate quadam & ſeueritate contemperatā, oſtendit. Cùm enim inquit,* οὐδεὶς φθόνος, *quod verbum verbo redditum, nulla inuidia, eſt, quo ſignificare volunt Græci, nec operam nec induſtriam ſuam denegari, nec aliquod omnino alicui cōmodum in ipſis claudi, nos autem, non recuſo, vertimus, Latinis vſitata loquendi forma, quæq; parem vim obtineat, ſenis exprimit facilitatem & humanitatem. At cùm, Verùm id vos audiſſe oportet, periculoſi quid & ancipitis hanc in ſe enarrationem continere, grauitatem quandam humanitate temperatam ſubijcit. Atq; id quidem eſt quod ad* ἠθοποιΐαν *pertinet. Sed nec illud interim prætermittendum arbitror, & hæc, & quæ ſequuntur ad finem fermè proœmij vſq;, eò ſpectare præcipuè, vt attenti reddantur hoſpites, huius fabulæ explicationi auditores adhibendi. Nam cùm* ἐπικίνδυνόν τι, *quæ vox apud Græcos & in bonam & in malam uſurpatur partem, quemadmodum & hoc loco accipienda eſt, & nos ſanè interpretati ſumus, periculoſi quid & ancipitis, hanc continere enarrationē dicat, certè huiuſmodi quid fabulæ explicationem in ſe habere oſtendit, cuius maximè illorum interſit, vel in hanc, vel in illam partē. Unde ſtatim*

*etiam hoſpes ſubijcit:*

Cuiuſmodi, inquã ego. Quòd ſi attenderitis, inquit, & dicenda perceperitis, prudentes & beati efficiemini. Sin minus, inſipientes, miſeri, acerbi, rudes & indocti redditi male uiuetis.

*Vel ex his, quod à me dictum eſt, manifeſtè patet, vocem mediam, id eſt, quæ in vtranq; valeat partẽ, ἐπικίνδυνον eſſe. Itaq; interroganti ſic reſpondet hoſpiti ſenex, vt doceat, quid boni & vtilis, contraq́; quid mali & incõmodi, ex hac ſit expectandum explicatione: non ꝙ ipſa in ſe, aut per ſe quid mali habeat, ſed pro diuerſa audientis affectione, vt ipſa apertè verba oſtendunt. Nam ſi attenderitis, inquit (quod certè prius eſt: qui enim attentus non eſt, rem vt cognoſcat & aſſequatur fieri non poteſt) & dicenda perceperitis (ſic enim* συνήσετε *interpretor, quo hîc vocabulo admodum appoſitè eſt vſus: eſt enim* συνιέναι, *vt vocis compoſitio indicat,* σὺν ἑτέρῳ ἰέναι, *id eſt, vt quamproximè vertamus, cum altero ire, hoc autem eſt, enarrante & veluti præeunte rem aſſequi & percipere) prudentes & beati efficiemini: quod certè prorſus Socraticè ab autore dictum eſt. Nam, vt autor eſt Ariſtot. libro magnorum Moralium priore, & ad Eudemum libro itidem primo, & ex Platonis non vno in loco ſcriptis eſt cognoſcere, virtutes ſcientias eſſe Socrates ſtatuit. Quæ quidem meo iudicio ſententia nec tam abſurda eſt, vt eam videri volunt pleriq;, de quo tamen paulò pòſt exigente materia & argumento agemus, & commodè explicata ſuum*

*habet*

habet nec contemnendum vsum. Ostendere enim mihi Socrates velle videtur, id quod res est, omnem virtutem ad rectam rationem & prudentiam tanquam normã esse dirigendam, & sic demum veras esse censendas virtutes, si inferiores & rationis expertes animæ seu facultates seu partes, à rectæ rationis præscriptione nusquam auersæ, huic constanter & perpetuò obtemperent. Quoniam igitur & à ratione perfecta & prudentia, quam & scientiam appellare veteribus mos est, vt inferiora omnia à superioribus, suam sortiuntur reliquæ virtutes absolutionẽ, & quodammodo substantiam ac formã, & alioqui id quod scientiæ propriũ est, ijs maximè conuenit, quod Græci τὸ ἀμετάπτωτον, id est, quod flecti & abduci nequeat, vocant: has nimirũ ob causas tum Socrates, tum quicunq; huius opinionis fuerunt, virtutes scientias appellarunt. Sed, vt ad rem redeamus, vt quid cõmodi hæc habeat narratio ijs qui attenderint, dicendaq; perceperint, exposuit, hoc videlicet quòd prudentes sint efficiendi, quodq; deinceps necessariò sequitur, omni virtute ornandi: vt enim docet Aristoteles libro Ethicorũ ad Nicomachũ sexto, vera prudentia cæteras virtutes omnes secum trahit, quibus subiectis beatitudinem consequi necesse est, quæ nihil aliud est, vt græcæ vocis etymologia ostendit, quàm bona animi constitutio: ita econtrà quid mali & incõmodi ijs qui diuersa & contraria ratione sunt affecti, adferat, docet cùm inquit: Sin minus, id est, neq; attenderitis, neque dicenda intellexeritis, insipientes, miseri, acerbi, rudes & indocti

*redditi male viuetis. Quæ profectò vt breuiter sunt proposita, ita vim magnam habent, & conuenientissimũ inter se ordinem. Nam insipientiam vitiositas reliqua, vitiositatem miseria sequitur, cuius rursus sunt comites acerbitas et amarulentia, ruditas, & simpliciter vita mala & ærumnosa. Sed hæc omnia cuiusmodi sint, suo quidque loco tradentur. Nunc ad sequentia pergamus.*

Est enim hæc explicatio Sphingis ænigmati adsimilis, quod illa hominibus proponebat. Siquidem igitur id quis intelligeret, seruabatur incolumis: si uerò non intelligeret, à Sphinge interimebatur.

*Ut ex rationis redditiua cõiunctione patet, ea quæ dicta sunt, ita se habere vt ab ipso sunt proposita probat. Est autem ipsa probatio, vt græcè significantius dicam,* ἀναγωγική, *eius quæ huc in collationis parte adhibetur Sphingis fabulæ occasione. Inquit igitur, hanc expositionẽ Sphingis ænigmati adsimilem esse, quod illa hominibus proponebat. Uerumenimuero vt manifestius pateat quã in eo, in quo conferuntur, similitudinẽ habeant, ipsam Sphingis fabulam quambreuissimè fieri poterit prius proponemus.* Sphingis fabula. *Fingũt itaq; hanc puellam nõ indecora facie, auium pennis, leonis pedibus præditam, infra vmbilicum pilis hirsutam. Addunt nonnulli & longam ipsi caudam. Hoc autẽ monstrum in edito quodam loco situm, circa Thebas, vt fabulantur, prætereuntib. ænigma huiusmodi proposuisse fertur, Quodnam animal vnum & idem mane quadrupes, meridie bipes, vesperi tri-*

pes

*pes esset. Sic enim nõnulli temporis differentijs adiectis propositum volunt. Ausonius autem nulla temporũ mentione facta, sic simpliciter describit:*

*Qui bipes, & quadrupes foret, & tripes, omnia solus.*

*Sed & apud Græcos carmine heroico, incerto, vt arbitror, autore, latius aliquanto idem tractatum inuenio, hac sanè ratione:*

Ἐστὶ δίπουν ἐπὶ γῆς, καὶ τετράπουν, οὗ μία φωνή,
καὶ τρίπουν. ἀλλάσσει δὲ βολὼ μόνον ὅσσ' ἐπὶ γαῖαν
ἑρπετὰ κινεῖται, ἀνά τ' αἰθέρα, καὶ κατὰ πόντον.
ἀλλ' ὁπόταν πλείστοισιν ἐπειγόμενον ποσὶ βαίνει,
ἔνθα τάχος γυίοισιν ἀφαυρότατον πέλει αὐτοῦ.

*Quæ sic in linguã Latinã eiusdem generis carmine vtcunq;, vt arbitror, verterimus:*

*Est bipes in terris, quadrupes, tripes, omne quod vnum*
*Nomen habet, vocemq; inter quod cætera solum*
*Immutat, quæ terra, mare, & circunfluus æther*
*Continet: at pedibus quoties incedere multis*
*Nititur, inualidi mouentur tardius artus.*

*Et quod quidem proposuit ænigma huiusmodi fuit. Talis autem erat statuta conditio, vt id qui soluere non possent, à Sphinge deuorarentur: qui autẽ solueret, ipse quidem seruaretur incolumis, Sphinx verò victa ex edito illo loco sese præcipitem daret. Atq; ipsa quidem fabula, quantum ad præsens negotium attinet, satis, vt arbitror, conuenienter exposita, sic sanè se habeat. Nam quæ alia ad ea quæ iam dicta sunt, affingunt adijciuntq; Poetæ, vt de Iocastæ cõnubio, &*

*Thebarũ regno solueti præmij loco proposito, itemq́ de Oedipo, nihil huic conducunt argumento: quemadmodum nec quæ à Suida veræ historiæ loco cõmemorantur. His igitur hac ratione expositis, deinceps consideremus, in quibus hæc explicatio Sphingis ænigmati aßimilis videatur. Sanè id in sequentibus his verbis docet autor:*

Consimili autem modo, & in hac explicatione se res habet: insipientia enim hominib. Sphinx est. Obscurè autem ac in ænigmate proponit & hæc, quid bonum, quid malum, quid neq; bonũ neque malum in uita sit. Hęc igitur si quis non intelligit, interimitur ab ipsa non semel ac repentè, ut qui à Sphinge deuoratus interibat, sed sensim per totam uitam contabescit ac perit, quo sanè modo qui in cruciatum dantur. Si uerò quis cognouerit, è contrario insipientia quidem perit, ipse uerò incolumis seruat̃, ac felix & beatus per omnem fit uitam.

*Cùm duplex sit insipientia, vt & ignorantia, altera quidem quam Aristoteles, quiq́ eius doctrinæ sunt æmuli, κατ' ἀπόφασιν vocant, id est, vt verbum verbo reddamus, secundum negationẽ: altera verò, vt iidem appellant, κατ' διάθεσιν, id est, secũdum affectionem: illius quidem simplex quædam fuerit ratio & natura, huius autem minimè simplex, sed quammaximè varia & multiformis. Est autem ea quam κατ' ἀπόφασιν vocant, cuiusmodi vulgariũ, quiq́ planè sunt rudes, esse cernimus, quib. & hoc ipsum persuasum est, quòd quæ nesciant ignorent. Quam verò κατ' διάθεσιν, hominũ est falsa & inani scientiæ & cognitionis opinione seductorum,*

*qui*

qui ſibi ſuæ inſcitiæ minimè ſunt conſcij, ſed quæ neſciunt, ſcire ſe arbitrantur. Neq; verò præter rationem id accidere videtur, quòd duplicis hæc ſint ſignificationis. Nam vt autor eſt Galen. lib. de Hippocratis & Platonis dogmatib. quarto, quæcunq; ex priuante particula ᾱ Græcis compoſita ſunt nomina, vt & Latinis arbitror ex illi reſpondente particula in̄, eorũ gemina vis eſt et poteſtas, vt vel priuationẽ ſignificent, vel vitium, aut incõmodum, aut omnino prauitatem, vel quocunq; tandem modo κάκωσιν vertere lubebit. Vt, exempli gratia, ἀφώνους dicimus piſces quidẽ & plantas, quòd vocem prorſus nullam habeant. Citharœdos autem & præcones, quòd vel exilem, vel mollem, vel aſperam, aut obſcuram, aut etiam abſonam & abſurdam obtineant: quæ ſanè omnia ad vocis prauitatem & vitium pertinent, vt quæ apud Ariſtot. lib. quarto τῶν μετὰ τὰ φυσικά, ſeu primæ philoſophiæ, eſt diuiſio, quanq̃ pluribus cõſtat membris, tamẽ ab hac Galeni nihil diſsideat. Verùm de hoc ipſo aliàs dabitur cõmodior diſſerendi locus, in eo nimirum opere, vbi de philoſophicorum vocabulorum vi ac vſu agemus. Nunc autem quantum ad præſens attinet negotium, id ſciſſe oportet, ob hoc geminæ huius ſignificationis à nobis mentionẽ factam, quod & ἀφροσύνη, quam nos inſipientiam vertimus, ex conſimili particula ſit compoſita: vnde vt inquiramus ratio poſtulat, in qua ſignificatione hîc ſit accipiẽda. Sanè quæ κατ' ἀπόφασιν dicitur, & prudentiæ abſolutam priuationẽ ſignificat, eam hoc loco vt intelligamus minimè conuenit, quòd

Velſij liber de vocabulorũ philoſophicorum vi & vſu.

cum Sphinge nullam penitus habeat similitudinẽ, cùm arguta hæc, subtilis ac spinosa, illa cõtrà hebes, tarda, pinguis, &, vt semel dicam, rudis atq; impolita esse videatur. Iam verò, quæ priuationis est natura, cùm ignaua hæc, minimeq; actuosa sit, Græcis ἀργὸς dicitur, hominem certè heluari, & prauis animum opinionibus corrumpere non poterit, quod tamẽ insipientiæ ad Sphingis similitudinem tribuit senex. Altera igitur illa sit oportet, quæ κατὰ διάθεσιν Peripateticis dicitur, & in vitio est habenda. Sed in quonam tandem hæc Sphingi sit adsimilis, consideremus. Et primùm quidem κατὰ τὸ φαινόμενον τοῦ μύθου, vt Græci loquuntur, id est, secundum externam & in promptu positam fabulæ speciem & veluti corticem. Deinde verò, secundũ interiorẽ & reconditam eius vim. Quantum igitur ad externã fabulæ speciem attinet, quomodo similitudo constet, satis, vt arbitror, ex ipso autore intelligi potest. Nam vt Sphinx prætereuntib. ænigma proponebat, quod ad hominis externam & sensibilem naturam atque adeo corpus attineret, ita insipientia, quod ad animum internamq; ipsius naturam. Etsi enim & animi & corporis & externa appellata bona & mala sub hoc ænigmate, quid bonum, quid malum, quid neque bonum neq; malum in vita sit, quodammodo cõprehenduntur, quæ tamen corporis & externa à Peripateticis dicta bona vt organica quædam ad animum referuntur, & pro vtentis conditione aut bona sunt aut mala: eam ob causam ad animum hoc pertinere ænigma nõ male quis dixerit. Rursus autem,

Insipiẽtia quatenus Sphingi similis.

vt Sphinx qui id quod propositum erat soluere non possent, deuorabat, ita & qui hæc dijudicare nequeunt, ab insipientia interimuntur. Quanquã & quædam huic similitudini coniuncta sit dissimilitudo, nec ipsa ab autore omissa. Nam qui à Sphinge deuorabantur, semel ac repentè interibant. Quos autem insipientia perimit, hi sensim & per totam vitam contabescunt ac pereunt, non secus, inquit autor, atque qui in cruciatum dantur. Et vt econtrà, soluenti præmium erat propositum, sui quidem incolumitas, Sphingis autem interitus: sic & ei qui de bonis & malis, itemq; nec bonis nec malis rectè constituerit, vt beatus reddatur, & per omnem vitam in nullam incurrat perniciem, præmij loco est constitutum. Et sic quidem quo ad externã fabulæ speciem, insipientia Sphingi adsimilis fuerit. Quod verò ad interiorẽ & reconditam fabulæ vim attinet, nõ contemnenda sanè sunt quæ à Michaele Psello in allegoria de Sphinge dicũtur. Quare quæ huic instituto maximè sunt conuenientia, inde mutuari non grauabimur, nõnulla tamen nec minus, vt arbitror, probabilia ex nostro ingenio adijcientes. Inquit igitur Psellus, nihil aliud esse Sphingem, quàm hominem ex dissimilibus concretũ. Nam res ex multis constans partibus nostra est substantia: siquidem partim ijs quæ rationis sunt cõpotes coniungimur facultatibus, partim verò rationis expertem naturã sortiti sumus. Nam & quod in nobis primum est, & qui huic proximus est intellectus, & quæ post hunc cogitatio naturalis habetur, & vera opinio cogitationis nimi

Sphingis fabulæ iuxta Psellũ declaratio.

rum conclusio, rationis participia sunt omnia & diuina. Imaginatio verò & sensus, & quæcunque corporis vt subsistant indigent, in rationis expertē & brutam, quæq; ad externa vergat naturā propendent. Possunt igitur hæc & per se ratione distingui. Sed hominis conformatio omnia confundit, & hactenus minimè conspicua sunt. Siquidem igitur statim ad sapiendum philosophicam quis mentem obtineat, & cognoscat quænam res sit mens, & anima quo creata sit, materiā quidem oderit, corpus autem aspernetur ac respuat. Sopitis autem sensibus, & imaginatione longū valere iussa, primùm quidem animam in sua & propria construet substantia: deinde verò intrò ad mentem sese recipiat, & per mentē cum Deo conuersetur. Si verò quoquo modo generationi inhæreat, & sensibus quidem vtatur, vitam autem imaginationi addictam nactus sit, ad ferarum naturam institutis vitæq; genere sese proripit. Quò sanè cùm peruenerit, eorū quidem quæ reuera sunt, nihil esse existimat: ea verò sola esse arbitratur, quæ tantū non manibus iniectis apprehendat. Atenim in huiusmodi vitæ genere & canes sunt rabidi, & syluestres porci, & apri immanes ac feri, hinnientesq; equi, ad vicinā & proximā ipsis vitam à diuina scriptura sic annominati. In altero verò angeli sunt, & Dei filij, imò & dij inquā, secundum illud, Ego dixi dij estis. Sed quoniam tantū inter se distare opposita oportet (hiatus enim magnus firmatus est inter Deum & feram) mediam quoq; quandam inter vtranq; vitam concedi necesse est,

quam

quam Chaldæorũ quidem oracula, ἐπεροφανῆ & ἐπεροκυνφῆ secundum eam quæ ad alterũ fit extremorũ inclinationẽ & vicinitatẽ, ego verò absolutè humanã appellauerim. Triplicem igitur, vt ratio dictauit, inuenimus vitam, ferinam, humanã, & diuinã. Sed in ferina quidem corporea omnia & diuini nihil. In diuina verò, philosophica conuersatio, sensuumq; demolitio. In media autẽ, humana nimirũ, vtrorunq; cõmistio: hîc enim neq; fera sumus, neq; Deus, sed vtrunq;, ac ne id quidem purè. In quanã igitur harum trium vitarum Sphingem inuenisse nos arbitramur? an scilicet in media & humana? Nam hæc neq; homo perfectè est, quòd pubetenus fera sit: neq; exquisitè fera, quòd ijs quæ supra vmbilicũ sunt partibus homo sit: volebat enim vniuersam generationẽ deserere, & prorsus virgo esse pulchra. Sed imaginationi dedita vita tanquã è corpore emergens, hac apprehensa, inferiorẽ eius partẽ in feram cõuertit: eamq; ob causam voce quidem vtitur humana. Quatenus enim à feræ natura recessit, articulata ipsi vox est: quatenus verò ad diuinã vitam nõ plenè se transtulit, obscura & confusa eius pronunciata. Sic enim se res habet, vt quicquid hîc arcani sit vobis aperiam. Omnes entiũ formas intellectus in se continet. An verò & fiendorũ anima, vt quidam certè asserit, alius fuerit sermo, quiq; latioris explicationis indigeat. Imaginatio autem, fallax est res & stulta per se. Cæterũ separata sunt à se mutuò, intellectus inquam & imaginatio, vt in angelo & fera. Et ille quidem omnia simul cognoscit, ex superiori loco fontibus

in ipſum deriuatis, imaginatio verò vnius rei cogitatione occupata diſtrictaq; tenetur. Ambo autem in homine cùm miſceantur, & alterum alterius impleatur, intellectus quidem imaginatur, imaginatio autẽ intelligit. Eamq; ob cauſam & cùm homines nos intellectu operamur, non ſine imaginatione intelligentia eſt: & cùm imaginamur, operatione intellectus non prorſus deſtituti ſumus. Hæc autem accidunt, cùm in nobis pugna corporis ſit & ſpiritus: vincente quidem corpore prorſus imaginationibus dediti efficimur: præualente verò ſpiritu, intelligentiæ puritate vigemus. Cùm verò alternis nũc hoc nunc illud vicibus vincat & vincatur, Sphinges reuera ſumus. Sed & nomen hoc indicare videtur. Nam cùm ex corpore euolare anima parat, ſuperior quidem eius pars excurrit, inferior autẽ ab imaginatione quodammodo conſtringitur, & in generatione detinetur. Propterea quod quidem euolauit, virgo euaſit, & veluti mens incorrupta & integra, & ab externo tegumento nuda. Quod verò conſtrictum tenetur, fera eſt pedibus hirſutis & vnguibus validis: vt quod ad Sphingem attinet, vniuerſum ſit imaginatio mentis & intelligentiæ particeps, aut mens aliquid ſecum inferioris generationis trahens. Et hæc quidem ſunt, quæ de Sphinge commentatus atque meditatus prodidit Pſellus, arguta quidem illa & exquiſitè tractata, ſed quibus nec ſubtilitate, ut arbitror, nec veriſimilitudine cedant, quæ à nobis ſubijcientur. Videntur enim mihi veteres aliò omnino reſpicientes, hanc de Sphinge fabulam confeciſſe.

*confecisse. Neq; enim à veritate multũ abhorret, sed prorsus probabile est veteres illos, qui primi inueniendis artibus & scientijs incubuerũt, cùm sine instrumento, quo vera à falsis, recta à prauis dijudicarẽt & distinguerẽt, parũ se in his proficere posse animaduerterent, ad hoc comparandum sese applicuisse. Deinde verò, vt ferè fieri solet, veri quadam imagine deceptos in Sophisticã incidisse, aut certè eam Dialectices partẽ, quæ dubitare quidem faceret, ad scientiam autẽ & cognitionem minimè adduceret. Hæc igitur ipsa, quæ nõ solùm vulgarem popularemq; sensum præstigijs quibusdã & captionibus irretire solet, sed etiam eorum non paucos, qui quasi maiorum gentium philosophi sunt, præpeditos tenere, vt quos Græci* ἐφεκτικοὺς *&* σκεπτικοὺς, *à perpetua consideratione assensionisq; retentione, Galenus ab autore Pyrrhone, & stupore agresti et importuno, composito nomine* ἀγροικοπυῤῥωνείους *vocat, ea est nimirũ quam veteres Sphingem finxerunt, quod & vocis ratio indicare quodammodo videtur:* σφὶγξ *enim* ἀπὸ τοῦ σφίγγειν, *id est, à constringendo dicta est. Sed qui in dubitationẽ impulsus est, constricto ac vincto, vt in libris* τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ *inquit Aristoteles, adsimilis est. Quòd verò supernè, ijs nimirum quæ extant partibus,* κόρη εὐπρόσωπος, *id est, puella decora facie esse dicatur, id non ita intelligendũ arbitror, ac si vera forma germanaq; pulchritudine cõmendata sit, sed quòd natiuam fuco ac fallacijs speciem sit ementita. Est enim hæc eius protinus natura, vt orationis præstigijs quibusdam & fallacijs, mentis, vt ita dicam,*

*Quid veteres in fingenda Sphingis fabula docere voluerint, ex Velsij sententia.*

*oculos perstringat. Inferioribus autẽ partibus quòd deforma ta in feram multiformẽ desinere fingatur, id quô spectet, ex his potißimũ intellexerimus. Nam cùm ex ijs quidem, quæ sub probabilitatis assumpserat specie, sic inter se cõiunctis, vt fictam & adumbratã argumentationis & omnino ratiocinationis imaginem præ se ferant, portentosam inferat con clusionẽ, ad quam monstrosiores etiam sequantur actiones & operationes (nam, vt rectè inquit Galenus, quæcunq; in omnibus artibus perperàm fiunt, atque adeò in vitæ actionibus vniuersis, ex sophismatibus oriuntur) quis non videt, quàm apposìtè in Sphinge Sophistices nobis naturã delinea rint veteres? Est igitur hæc supernè quidem, virginis specie cõ mendabilis, propter eam quæ ipsi cum vera ratiocinandi fa cultate, atq; adeò philosophia & analytica est similitudo. In fernè verò, fera, ob falsi prauiq;, in quod desinit, naturã. Quod enim falsum & prauũ est, quoniam à veritate & recto, id autem est, à ratione desciscit, meritò feræ & rationis experti naturæ adsimilatur. Neq; verò nihil est quòd auiũ pennis, & leonis pedibus ipsam præditam fingunt: sed his ipsis, altero quidem leuitatem, vanitatem, inconstantiam, & præcipitem lubricamq; huius facultatis naturã notant, vtpote quæ nunc huc, nunc illuc, vt de lamijs fabulantur, nos abducat, paßimq; per auia raptet: altero verò fallacis & captiosi orationis generis violentiam, quæ volentes nolentes nos constrictos tenet, nec temerè elabi patitur. Quòd verò in fra vmbilicum pilis hirsutam hanc faciant, addantq; non-*

*nulli*

nulli & longam ipsi caudam, id Sophistarum garrulitatis, petulantiæ, libidinis, & omnino intemperantiæ, ac, vt semel dicam, vniuersæ vitiositatis est indicium: alterum enim à physiognomicis acceptum signum Sphingi affinxerunt, alterum verò ab animalium caudæ natura. Cæterum quòd editum quempiam ipsi locum aßignarint, id vel conuenientißimè ab ipsis factum videtur: arcem enim rationis Sophistica inuadit, quã eousq; quidem occupat & obtinet, quoad veluti ligatis sensibus menteq; constricta, obscurè ac tanq̃ per vmbram res intuemur, nec nodũ vinculũq; inuenire possumus: vnde & sic affecti ab ipsa interimimur ac morimur, cùm animi mors, ex Hieroclis Stoici philosophi sententia, nihil aliud sit, q̃ ignorantia & vitiositas, quæ varijs homines affectionibus & perturbationib. distendit & excarnificat. At cùm inuento nodo nos expedimus, & ad rerũ notitiam accedimus, præcipitata perit Sophistica, nos autẽ ex cognitione in cognitionem, ex virtute in virtutem proficimus, & vere beati reddimur. Et hæc quidem fabulæ explicatio, mea certè sententia, fuerit. Neq; tamen ea quæ à Michaële Psello sunt dicta improbo, sed hæc nostro instituto conuenientiora existimo. Nam quòd Sphinx soluto ænigmate perire dicitur, qui autẽ soluit seruari incolumis ac beatus fieri, qua ratione Pselli expositioni cõueniat, nõ inuenio. Quantũ autem ad nostrũ attinet autorem, huic per omnia nostra quadrat interpretatio. Nam insipientiam vt suprà diximus acceptam, Sophisticen appellare videtur, & ἀγροικοπυξωνέων

*hæsitationem. Cætera autem, ex iis quæ iam dicta sunt, quomodo autoris sententiæ sint applicandæ, cuiuis est manifestum: quare ad id quod sequitur pergamus. Sequitur autē:*

Vos igitur attendite, minimeq; uestræ peregrinentur aures.

*Quod superius dictum est, hinc manifeste verum esse patet, orationis huius à sene institutæ scopum fuisse, hospites attentos reddere. Itaque nunc tanquam conclusionem quandam subiicit, Vos igitur attendite, minimeq; vestræ peregrinentur aures. Sic enim cōmodissimè verti hoc loco* παρακούετε *posse existimaui. Significat enim* παρακούειν *primò quidem & per se,* τὸ κακῶς ἀκούειν, *id est, perperàm & non recte audire. Id autem duplex est: aut enim* ἀμυδρῶς καὶ οὐκ ἀκριβῶς, *id est, obscurè nec exacte, aut* παρατυπωτικῶς, *id est, deprauatè, cùm aliud videlicet sit quod dicitur, aliud quod ab altero intelligitur. Quoniam autē iis qui aliud agunt, & mentem peregrinantem habent, vtrunque id vsu venire maximè solet, fit vt interdum* παρακούειν, *sit δ'* παρέργως καὶ μὴ μετὰ σπουδῆς ἀκούειν, *id est, obiter & minimè adhibito studio audire: quod sanè hoc loco significari arbitror, vt paulò pòst ostendam. Vult igitur eos non negligenter auscultare, & dicenda recte percipere. Neq; verò à scopo aberrasse ex iis quæ sequuntur ipsum apparet.*

O Hercules quàm magna quadam nos cupiditate incendisti, hæc modò si sic se habeant. Atenim sic se habent, inquit.

*Senis*

Senis orationis vim & efficacitatem hæc hospitis verba manifeste ostendunt, in quibus nõ sat habuit autor nude simpliciterq; affectum orationis vi in ipsis excitatum exponere, sed ab exclamatione, quæ magnitudinis desiderij sit signũ, incipit: desinit autem in dubitationem, metus cuiusdam indicium, quod ab eo conuenientissimè, simul autem & artificiosissimè factum esse videtur. Nam cùm maxima sint bona quæ ex tabulæ huius enarrationis perceptione reportanda esse dicit (quid enim prudentia & beatitudine maius?) cumq; talia, quæ ad eos ipsos maximè pertineant, quod & ipsum per se manifestũ, cùm in his hominis absolutio & perfectio consistat: ad hæc verò, cùm præter omnem expectationem videantur oblata, non immeritò talis animi motus, talis ipsos inuadit affectio, cuiusmodi hac oratione exprimitur. Exprimitur autem huiusmodi, ni fallor, quæ cum summa expectatione & spe, nõnullum tamen coniunctum habeat metum. Et expectationis quidem & spei quæ sint causæ, ex iam dictis haud obscurè patet, ijs certè qui quid spes sit non ignorant. Si enim, vt ex Chrysippi sententia definit Cicero, Spes est boni expectatio: aut potius secundum veriorem sectam, animi ob boni expectationem dilatatio: ea nimirũ quæ in senis oratione cõtinebantur magnifica promissa, huius affectionis causæ efficientes censebũtur. Metus verò, etsi & ipsæ iam dictæ sunt, quia tamen minus sunt euidentes, latiori aliquanto oratione videntur explicandæ. Cùm igitur metus sit vel mali expectatio, vt vult Chrysippus, vel animi

ob mali expectationem contractio, vt alijs sanioris iudicij visum est: aut etiam, vt Aristoteles lib. secundo Rhetoricorum statuit, dolor, aut perturbatio ex futuri mali, aut perniciosi, aut molesti imaginatione: necesse certè fuerit huiusmodi vel expectationis, vel imaginationis aut causam, aut occasionem saltem, in senis uerbis contineri, ne præter rationem id hospiti accidisse videatur. Neque verò ea parte, qua quid non attentos nec intelligentes consequatur mali exponit, minimè enim id vereri videntur ne dicenda nō percipiant, sed qua parte bona & cōmoda enumerat, quæ ijs qui attenderint, dicendaq; perceperint, sunt expectanda. Huc enim dubitatio, quæ metum præ se ferre videtur, spectat. Verùm hoc exactè vt intelligatur, scire oportet, cùm in bonum incidere, in bonis sit habendum: non solùm in malum incidere, sed etiam à bono sperato excidere, malum esse iudicandum. Vtrunq; enim prius dicto contrariū est, quamuis nō secundum idem. Quod quidem cùm sic se habeat, rationi certè consentaneū esse videtur, in plurimis spem metumq; concurrere, præcipuè verò si rerum magnarū & ex improuiso oblatarum vehementiori cupiditate incendamur: quod & his vsu venisse nunc fingitur. Sed spes quidem longè maior, metus verò exiguus supponitur: vnde & senis vnica assertione tollitur, intuentibus ipsis nō tam in id quod dicitur, q̄ in ipsius dicentis personam, cui turpe nimirū esset, talis cùm sit vt superius descripsimus, non ita multò pòst mendacij coargui. Inquit igitur senex, Atenim sic se habent. Ipse verò hospes,

*ſpes, tanquã iam ei prorſus perſuaſum ſit ita ſe rem habere, quod tota hac oratione à ſene confectũ eſt, veluti concluſionis cuiuſdam in modum ſubijcit:*

Haudquaquã igitur nos enarrando anteuerteris, ut qui nõ negligenter attendemus, quandoquidẽ & merces huiuſmodi propoſita eſt.

*Quò ſpectaret vniuerſa ſenis oratio, ab ipſo ſuperius eſt ſene dictũ. Quid verò ea confectũ ſit, hoſpitis nunc verba oſtendunt, qui nõ ſolũ attentionẽ pollicetur, ſed etiã talem quæ nihil fruſtra à ſene dici patiatur, vt ſimulatq; ab ipſo dictũ fuerit, ilicò et perceptũ ſit. Hoc enim eſt, haudquaq̃ nos enarrando anteuerteris. Quod verò ſequitur, vt qui non negligenter attendemus, eius quod præcedit ratio eſt. Is enim qui non negligenter attendit, facilè dicentẽ aſſequitur. Cæterũ quod ſuperius dixerat* μὴ παρακούετε, *quã vim eo loco habeat & ſignificationem, hinc intelligi poteſt, cùm dicat,* ὡς ἡμῶν προσεξόντων μὴ παρέργως. Παρακούειν *enim, vt diximus, ibi ſignificare videtur,* τὸ παρέργως καὶ μὴ μετὰ σπουδῆς ἀκούειν, *id eſt, obiter & minimè adhibito ſtudio audire, quod ibi minimè faciendũ dicebat, hîc aũt ſe nõ facturos pollicentur. Cæterũ quod in fine huius orationis eſt,* ἐπείπερ καὶ τὸ ἐπιτίμιον τοιοῦτον ἐστιν, *id eſt, quandoquidẽ & merces huiuſmodi propoſita eſt, quò ſpectet ex ſuperiorib. manifeſtũ eſt. Et hîc quidẽ primi cõmentariorũ noſtrorũ libri terminus eſto, qui tum noſtrã in hoc opus præfationẽ, tũ proœmij autoris explicationẽ cõtinet. Reliqui verò ſequẽtes, circa quod quiſq; potiſſimũ verſabitur, ſuo loco dicetur.*

# Iusti Velsii Hagani in Cebetis Thebani tabulam cõmentariorum liber secundus.



*N secundo hoc cõmentariorum libro, quæ ad primi ambitus explicationem pertinent, à nobis tractabuntur. Sunt autem hæc potissimũ. Prima in vitam ingressio. Vis rationis homini insita, sed quæ humiditate prægrauata, ignaua quodam modo reddatur. Opiniones, voluptates, cupiditatesq́ variæ, cum quibus vt primũ nati & in lucem editi sumus, necessariò nobis cõmerciũ est, quarumq́ occasione variè agitamur & circunducimur. Fortunæ, in quam nostri quodammodo iuris facti incidimus, varij casus & vicissitudines. Vitia deinceps, inferiores animæ partes seu facultates inuadentia & corrumpentia. Quodq́ ad hæc necessariò sequitur, dolorum & malorũ agmen vniuersum, cum ipsa adeò miseria. Ad extremũ, pœnitudo, eiusq́ vis & facultas in ijs, quibus commodiori vsis fortuna ea contingat. Atque hæc quidem summa eorum sunt capita, in quibus primi ambitus explicatio consumetur. Quibus sic breuiter expositis, nũc ad ipsum autorem progrediamur, consideremusq́ quanto artificio hæc ab ipso tractentur.*

Assumpto igitur bacillo & picturæ admoto, Videtis' ne, inquit, hunc ambitum? Videmus. Hoc uos primùm scire oportet, quòd locus hic uita uocetur, & quòd turba illa numerosa quæ portæ imminet, qui in uitam sunt ingressuri hi sint.

*Hic*

*Hîc nunc ipsum aggreditur negocium, & tabulæ explicationẽ: primoq; quomodo totum illud, quod ex triplici constat ambitu, vocetur, quamq; vim habeat, docet. Vitã enim locum illum appellari inquit. Cæterum vitam hoc loco accipere oportet, vt in scopi explicatione diximus, pro vniuerso vitæ humanæ cursu: in hoc enim nobis & naturales facultates, affectiones, & actiones, & acquisititiæ quæ studio & consuetudine parãtur, quæq; huc spectant reliqua, exquisitè describuntur, vt singulis explicandis manifestè patebit. Incipit autem conuenienter à totius vniuersaliori, &, vt Græci loquuntur, ὁλοσχερεστέρᾳ explicatione, qua præmissa ad singula progreditur, Anatomicos videlicet imitatus, qui prius totum corpus spectandum proponũt, deinde dissecando singula ipsa rimantur. Explicata autem loci in vniuersum natura, ad turbam illam plurimam progreditur, quæ primi ambitus portæ imminet, esseq; hos asserit, qui in vitam sunt ingressuri: quod sanè ex Pythagoræ & Parmenidis sententia, quos etiam in hoc sequitur Plato, dictum esse intelligi oportet. Hi enim viri videntur talem omnino opinionẽ habuisse, animæ quidem speciem eam seu partem, quam λογιστικὴν vocant, nos æstimatricem dicere possumus, omnino esse immortalem, reliquis nimirum quæ rationis expertem naturam sunt sortitæ, morti & corruptioni obnoxijs: certo autem annorum spacio & circuitu, in noua subinde se corpora insinuare. Quò certè respexisse videtur Maro libro sexto Aeneidos, cùm inquit:*

De *anima*, Py*thagoræ* & Par*menidis senten*tia.

*Donec longa dies perfecto temporis orbe*
*Concretam exemit labem, purumq; reliquit*
*Aethereum sensum, atque aurai simplicis ignem.*
*Has omnes vbi mille rotam voluêre per annos,*
*Letheum ad fluuium Deus euocat agmine magno,*
*Scilicet immemores supera vt conuexa reuisant,*
*Rursus & incipiant in corpora velle reuerti.*

*Cùm enim inquit, Purumq; reliquit Aethereũ sensum, atque aurai simplicis ignem, τὸ λογιστικὸν describit ab omnibus affectibus absolutum ac liberũ. Et de hoc quidem vt minimè ambigatur, ita non omnes fortè concedant, quod Platonicorũ nonnulli velle videntur, per æthereum quidem sensum, primũ animæ seu vehiculum seu instrumentũ quis dicere malit, significari, quod tum αὐγοειδὲς, tum ἀστροειδὲς, quod luminosum ac splendidum, astrorumq; substantiæ simile sit, appellare consueuerunt. Per aurai verò simplicis ignem, secundum: quod quoniã ex purissimis constat elementorũ & simplicissimis, hoc autẽ est, syncerissimis portionibus, ijsdem illis autoribus στοιχειῶδες nominatur. Sed potius ad Stoicorũ*
Stoicorũ de anima opinio. *opinionem respexisse Poetam existiment, qui animã spiritũ quendam esse asseruerunt, quemadmodũ & naturã, sed humidiorem quidem & frigidiorem, hanc, sicciorem verò calidioremq;, illam, vt animæ hæc quidem cõueniens quæpiam sit materia, ipse inquam spiritus, species verò & forma, temperatura, redacta nimirum ad æqualitatem quandam & symmetriã aprea & ignea substantia. Neq; verò hîc quempiam*

piam moueat, quòd hac ratione diuersas & aliqua etiam ex parte dißidentes in vnũ cõmiscere sectas videatur, Stoicam inquã & Pythagoricã: minimè enim id apud Poetas nouũ. Neq; existimet, vt sanè arbitrari queant nonnulli, ex Stoicorum sententia, animas absolutè cum corporibus interire, & sic ne consistere quidem hunc in corpora reditum cum ipsorum decretis posse: minimè enim ita se res habet: nam, vt autor est Theodoretus Cyrensis Episcopus libro de Euangelicæ veritatis ex Græcorũ & gentiũ philosophia cognitione, quinto, animas à corporibus seiunctas sibypsis ad vitam sufficere Stoici affirmant. Quare vt non prorsus immortales eas fecerint, at longo tamen tempore absq; corporibus, id autem est, craßis istis & organicam compositionem obtinentibus, subsistere posse asseuerarunt. Verum cùm hæc ad Poetæ magis q̃ nostri autoris explicationẽ faciant, in præsentia quidẽ omittantur. Id autem, quod magis ad rem facit, cõsideretur, an autoris nostri hæc animorũ qui vitam sunt ingressuri descriptio, & reliquis philosophorũ sectis, qui rationis participem animã immortalem fecerunt (nam qui & hanc mortalem esse volunt, eorum vt nimis absurda, quæq; hominis præstantiam præ cæteris animantibus nõ aduertit, iampridem explosa est sententia, & nostræ præcipuè religioni, quam longè verißimã esse cognoscimus, & indubitata fide tenemus) aliqua ratione accommodari poßit. Neq; enim in hoc opere eum solum habemus scopũ, vt autoris sententiã explicemus, sed etiam (quod prius certè & præstantius arbitramur) vt

vniuersa vitæ humanæ conditione cognita & percepta, vndiq; quod ad eam melius & honestius instituendam subsidij habere poßimus, id ipsum quoquo modo nobis comparemus. Quod igitur ad philosophos attinet, præter Pythagoreorum & Academicorũ, in quorum numero & hic noster habendus est autor, sententiam, quæ quantum huic instituto sat est, partim quidẽ superius est explicata, partim verò paßim in sequentibus, vt quilibet postulare locus maximè videbitur, à nobis exponetur, tres fuisse celebres inuenimus opiniones, quarum duas quidem, qui nostræ religionis sunt Antistites, vt falsas reprobarunt, tertiam autem vt legitimam & veritati maximè consentaneã retinuerũt & amplexi sunt.

Peripateticorũ opinio de anima.

Sunt autem, vt breuiter eas exponamus, huiusmodi. Nam nõnulli quidem propagari à parentibus animã voluerunt, ortumq;, vt loquuntur, habere ex paternæ animæ traduce. Atque hanc quidem ab Aristotele quodammodo & Peripateticis, vt qui ad naturales potißimũ causas omnia reducere sunt conati, oriundam sectã, inter latinos Tertullianum & Lactantiũ secutos esse quidam cõmemorarunt. Verùm hi eo peccant maximè, quòd hac ratione animã, quod minimè tamẽ velle videntur, mortalem faciant. Quicquid enim hoc modo, id est, à causis naturalibus ortum habet, id insita quoq; sibi natura ad interitũ fertur. Alij verò olim à mundi initio animas à Deo creatas existimãt, certo autem ipsius iudicio & consilio, vt quanq; vocat ordo, indies in corpora insinuari: cuius sanè opinionis & Græcorum plerosq;,

& Origenem fuisse accepimus. Cæterùm habet non parum incommodi & hæc sententia, atque adeò fluxisse videtur ab Academicorū & Platonis opinione. Unde & fictas & cōmentitias de animæ descensu, & varijs vitarum conditionibus, tandemq; exæquatis omnibus, in pristinum statum totius naturæ instauratione, in ipsorū scriptis fabulas inuenire est, quæ probant quidem nihil, ipsorū autem sectæ absurditatem ostendunt. Præter has autē duas opiniones, & tertia quædam habetur, quæ animas à Deo optimo maximo singulis vicibus ex nihilo creari statuit, & corporibus in matris vtero compactis & coagmentatis & compositionē organicam adeptis infundi: quam, quòd cæteris probabilitate anteeat, & à diuino numine traditis nobis dogmatibus per omnia magis consentiat, inuiolabilis Ecclesiæ retinuit autoritas. Et quòd rationi quidem magis consentaneum sit hoc dogma, hinc facile, arbitror, intellexerimus. Nam cùm animæ quidem (dico autem eius quæ rationis est compos & particeps) corpus sit instrumentū, est quidem ipsa corpore intentione considerationeq; prior, vt finis omnis, idq; cuius gratia fit aliquid, ijs quæ ad ipsum referuntur: ortu autē posterior. Quòd verò & diuinis arcanisq; scripturis magis congruens sit & cōueniens, argumento fuerit primus humani generis parens Adamus, de cuius origine sic loquitur scriptura: Formauit igitur Dominus Deus hominē de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animā viuentē. Ex quo certè intelligere est, & in hominis

Verior de anima sententia.

*generatione, vt in cæteris omnibus sub tempore comprehensis, ab imperfectiori ad perfectius progressionem fieri. Tres igitur cùm sint Philosophorum de animæ, quæ rationis est compos, ortu sententiæ, quòd autoris nostri descriptio & ei quæ secundo loco à nobis exposita est, conueniat, manifeste patet. Nam cùm olim à mundi statim initio, secundũ hanc sectam, animæ creatæ esse fingantur, & ante ingressum in corpora, omninoq; in generationem eas ad primi ambitus portam collocasse, cum hac hypothesi minimè pugnat. De reliquis autem duabus meritò quis ambigat, neque facile qua ratione & ijs hanc accommodet descriptionem inueniat. Sed solertius intuenti & illud patebit, alteri saltem, quam orthodoxam esse diximus, cuius præcipuè nobis habenda est ratio, aliquo modo conuenire posse. Nam & secundum hanc, animæ corporibus in matris vtero, vt diximus, formatis infunduntur: quare in generationem, hoc est, primum ingredi ambitum rectè statuantur: vt quamuis non huc propriè respiciens hæc scripserit Cebes, sed ad Pythagoream, vt superius ostendimus, sectam, nihilominus tamen & hunc nobis vsum præstet. Verũ cùm hæc satis iam sint explicata, ad ea quæ apud autorẽ sequuntur progrediamur.*

Senex autem ille qui superiori stat loco, chartã quandam manu tenens, & altera ueluti quid ostendens, Numen appellatur. Cæterũ ingredientibus imperat, quidnam ipsos facere oporteat cùm in uitã introierint, commonstratq; uiam qua incedere debeant, si quidem in uita seruandi sint incolumes.

*Quem*

Quem hoc loco describit Senem, eum nec Dæmonem cuiusq; vitæ particularem esse præsidem existimo, cuius in decimo de Repub. Platonis libro fit mentio. Et an Prophetæ ratio, quem & ipsum ibidem fingit, ei per omnia conueniat, haud facilè equidem dixerim, neq; adeò multum ad hunc locum pertinere arbitror. Illud tamen satis constare videtur, quem Maro Deum animas euocare facit, eum esse cuius hîc meminit autor Senis. Dæmonem autem ipsum appellari inquit, nos Numen vertimus: quod quam vim habeat, haud difficile erit intelligere, si quæ ipsi ab autore tribuantur, diligenter perpenderimus. Chartam igitur quandam ipsum manu tenere facit: quod nonnulli sic intelligunt, ex Maronis verbis occasione accepta, ac si catalogus quidã sit, eorũ nomina cõtinens, qui in vitã sunt ingressi, qui ingrediuntur, & qui sunt ingressuri. Verũ meo quidem iudicio aliã hæc res vim habet, quod & ab ipso autore paulò pòst ostenditur. Nam cùm duo quæpiã seni attribuat, vnũ quidẽ chartã manu tenere: alterũ verò, veluti quid manu altera ostendere, prius cuiusmodi sit exponit, cùm dicit, Cæterũ ingredientib. imperat, quidnam ipsos facere oporteat, cùm in vitã introierint. posterius verò, cùm subijcit, Commonstratq; viam qua incedere debeant, si quidẽ in vita seruãdi sint incolumes: vt nihil aliud per senem conuenientius intelligas, q̃ principem illam legem & vltimã, quam ex Academicorũ sententia Cicero mentẽ esse inquit, omnia ratione aut cogentis, aut vetantis Dei. Nam ab hac lex illa naturæ à nostris

appellata fluxisse videtur, & notitiæ quædam rerum, quas Græci ἐννοίας vocant. Hæ sanè ex Pythagoreorum & Platonis sententia, ante ingressum in corpora non paruæ, debiles & obscuræ sunt, vt hic ab initio esse cognoscũtur, sed illustres firmæ ac amplæ. Quòd verò deinceps hebetentur, obscurioresq; euadant, id qua ratione accidat, in sequentibus videbimus. Cæterum quanquã hæc Pythagoreorũ & Academicorum sunt propria, paulò tamen pòst & nostris, id est, sanioribus dogmatibus aliqua accommodari posse ratione docebimus. Ut igitur breuiter vniuersam autoris sententiam habeamus, per senem quidem, mentẽ, vt diximus, intelligi par est, & rationem summi illius Dei, quem autor, quòd summa præditus sit prudentia, δαίμονα, quasi δαήμονα καὶ φρόνιμον vocat: sic enim in Cratylo Plato huius vocis vim explicat: nos autem Numen vertimus, quòd eiusdem illius nutu atq; arbitrio omnia regantur. Neq; verò immeritò Senem hunc facit, sed hòc ipso maximam & infinitam Dei prudentiam significare vult, q hac ætate ea maximè in hominibus adulta esse deprehendatur. Per chartam autem, quã ipsum manu tenere ait, vim legis humanis veluti animis inscriptæ indicat: vt mentis & rationis lumen, quo potissimum vita ornatur & instruitur, per alterum illud, quod viam qua incedere debeant, cõmonstrare fingatur. Nam à perpetuo illo lumine tanquã fonte vberrimo, quicquid hîc in hominibus luminis est, fluxisse cognoscitur. Atq; hæc quidem omnia nostris consentanea literis esse videntur. Nam & Daniel antiquum

quum

quum dierũ, ipsum vocat Deum: & vis legis in cordibus nostris scriptæ, quam nõnunquã legem mentis nominat, nonnunquã verò internum hominem, itemq́ luminis naturalis, quo id quod de Deo cognosci potest, manifestum in nobis est, meminit insignis ille gentiũ doctor Paulus. Illud autem hoc loco obiter annotandum existimo, quæcunq́ ab autore in hoc opere tractantur & traduntur, ea nõ ad futuræ, sed ad præsentis tantum vitæ beatitudinem tanquam finem referri. Unde illud nõ minimum nos mouere debet, & ad virtutis & honestatis studiũ incitare, dum perpendimus, quanto solidius nobis præmium sit propositum, quantaq́ huc diuini numinis beneficentia contigerint subsidia, quibus veteres illi philosophi (de gentilib. loquor) vel penitus, vel magna saltem ex parte destituebantur. Sed de his aliàs plura, nunc ad sequentia pergamus.

Quanam igitur uia eos incedere iubet, aut quonam modo, inquam ego.

Cùm duo, vt vidimus, numini tribuantur, de posteriori prius hoc loco percontatur hospes: de priori verò posterius, ad finem fermè huius libri, vt cùm eò loci ventũ fuerit ostendemus. Quærit igitur de via qua sit incedendũ, vt quis in vita seruetur incolumis. Ad quã quidem percunctationẽ haud pauca respondet Senex, sed vt percunctationis natura exigit, vtpote inter quam & interrogationẽ, vt libro de doctrina Christiana tertio refert Augustinus, hoc veteres interesse dixerint, quòd ad percunctationem multa responderi

*possunt, ad interrogationem verò, aut Non, aut Etiam, fusiori ipsi oratione satisfacit, & vniuersam viæ rationem aperit, non solùm quæ ad beatitudinem proxima & quasi compendiaria sit ostendens, sed etiam diuerticulis flexionibusq; commonstratis quæ à recto quoquo modo abducunt. Incipit autem hoc modo:*

Vidés ne, inquit, ad portam solium quoddam positum eo ipso loco per quem ingreditur turba, in quo sedet mulier fucata specie, & ad persuadendum apposita? Video. Sed quęnam hęc est? inquam. Seductio, inquit, uocatur, quæ omnes homines in errorem inducit.

*Aptè sanè congruenterq; vitæ vniuersæ tanquã viæ cuiusdam descriptionem aggreditur, ab ipso in generationem descensu facto initio: quã Plato quidem & Mercurius Trismegistus latius persequuntur, autor autem noster hactenus quatenus præsenti instituto sat est. Neq; enim physicum est hoc opus, sed ethicum. Facit igitur ad portam, id est, ad ingreßionem in vitam, mulierem quandam in solio sedere, eo nimirum loco per quem ingreditur turba, fucata specie, & ad persuadendum apposita. Quibus sanè verbis, meo quidem iudicio, nihil aliud significare velle videtur, quàm ipsam generationis vim & naturam, quæ quòd materiæ & organi, id est corporis suppeditationi sit præfecta, non autem animæ, quæ forma est, & corpore vt instrumento vtitur, meritò mulier ab autore esse fingitur. Quòd autem in solio ipsam sedere facit, eo ipso præsidem illam esse custodemq;*

gene-

*generandorum oſtendit. Fucatam autem ſpecie idcirco ſubijcit, quoniã nulla eius eſſe ſubſtantia videatur, nec id quod producit, vnquam verè ſit, eoq́ intelligentia cum ratione minimè comprehenſibile ſit, ſed opinione cum rationis experte ſenſu opinabile. Ad perſuadendum verò appoſitam eam eſſe dicit, propter voluptatem ipſi admixtam, & omnino cupiditatis vim, quæ ex corpore & corporeis ſcaturire videtur. Hæc enim animi aciem perſtringit, & mentis quaſi luminibus officit. Cæterùm quòd illam ἀπάτην, id eſt, ſeductionem appellet, quodq́ omnes homines in errorem inducere aſſerat, id quid ſibi velit, ea quæ ſequuntur oſtendunt.*

At hæc quid tandem agit? Eos qui in uitam ingrediuntur, ſua ipſius facultate imbuit. Hæc autẽ potio quænam eſt? Error, inquit, & ignoratio. Quid poſtea? Hac potione hauſta uitam ingrediuntur. Vtrum igitur omnes errorẽ imbibunt, an non? Imbibunt omnes, inquit, ſed hi quidem magis, illi uerò minus.

*Multa quidem apud Platonem, quiq́ ab ipſo ſunt philoſophi, de obliuionis poculo, multa item apud Poetas de Lethæo inueniuntur fluuio, quæ omnia commemorare, vt longum, ita ſuperuacaneum exiſtimo, cùm nulli non ſint nota, vtpote paßim obuia. Quam autem & ea vim habeant, quæq́ hîc ab autore de erroris & ignorãtiæ potione recitantur (ſunt enim eiuſdem omnino ſignificationis) breuiter exponam, à Platonis quodam in Timæo loco exorſus: is enim animam propter corporis humiditatem in obliuionem eo-*

*rum, quæ priusquam in corpore illigaretur sciret, venire arbitratur. Inquit igitur hoc modo, eo nimirum in loco, vbi Deos ait hominem fabricatos esse animo immortali in corpore influente & effluente illigato, puerorum videlicet infantium humiditatem his ipsis innuens: At illi in flumen immersi copiosum, neque tenebant, neque tenebantur, sed vi ferebantur ac ferebant, vt totum animal moueretur illud quidem, sed inordinatè quocunque contingeret progrederetur, citraque rationem. Et rursus paulò pòst: Nam cùm plurimus esset qui inundaret & deflueret fluctus nutrimentum præbens, multò etiam maiorem turbam faciunt quæ extrinsecus singulis occurrunt affectiones. Rursusque interpositis nonnullis sic tandem inquit: Et has omnes ob affectiones nunc ab initio animus amens redditur primùm cùm in corpore mortali illigatur. Ex quibus sanè intelligere est, ex Platonis sententia, amentiæ, quod ad ortum nostrum attinet, nimiam & redundantem humiditatem, causam esse, quæ animi aciem retundat & hebetet, notionesque natura insitas obscuret, ac quodammodo extinguat. Quem hoc loco noster secutus autor, Pythagoreorum more, per quædam inuolucra & integumenta suam de generationis vi ac natura nobis proponit sententiam. Vocat autem generationem, quam & naturam vniuersaliori nomine appellat Trismegistus ἀπάτης, apposito sanè, vt mihi videtur, quantum ad hoc institutum pertinet, vocabulo. Est enim τὸ ἀπατᾶν, vnde ἀπάτη, τὸ ἀπάγειν τοῦ πάτου ἤτοι τῆς ὁδοῦ, id est, à recto itinere ac via abducere, quod generationis*

tionis maximè proprium ex Pythagoreorũ & Platonis est sententia. Unde & Mercurius Trismegistus hũc in modum inquit: Homo autem cùm considerasset in patre suo rerum omnium procreationem, ipse quoq; fabricare voluit: vnde à contemplatione patris, ad sphæra generationis delapsus est. Cumq; omnium in se potestatem haberet, opificia septem gubernatorum animaduertit. Hi autem humanæ mentis meditatione gaudentes, singuli eorũ proprij ordinis hominem participem reddidere. Qui postquam didicit horum essentiam, propriamq; naturam conspexit, penetrare atq; rescindere iam exoptabat ambitum circulorum, vimq; gubernatoris præsidentis igni comprehendere. Quiq; arbitriũ & potestatem omnem habuerat in animantia mundi mortalia & ratione carentia, per harmoniam emersit atque exilijt, penetrans ac resoluens potentiam circulorum, ostenditq; naturam, quæ deorsum labitur, velut pulchram Dei formã. Qui cùm naturam contueretur mira pulchritudine præditam esse, actionesq; omnes septem gubernatorum, atque insuper Dei ipsius effigiem possidere, illi amore ingenti subrisit vtpote quæ humanæ pulchritudinis speciem in aqua specularetur, eiusdemq; adumbrationem quandam in terra conspiceret. Ille præterea conspicatus similem sibi formam in se ipso existentem, velut in aqua, amauit eam, secumq; congredi concupiuit. Effectus euestigiò secutus est voluntatem, formamq; carentem ratione progenuit. Natura verò illud in quod tota ferebatur amore complexa, illi penitus sese impli-

cuit atque commiscuit. Quandoquidem solus homo ex vniuersis terrenis animantibus duplicis naturæ censetur: mortalis quidem propter corpus, immortalis autem propter hominem ipsum substantialem: immortalis enim est, cunctorumq; arbitrium obtinet. Cætera verò viuentia quæ mortalia sunt, fato subiecta patiuntur. Homo igitur harmonia superior extitit: in harmoniã verò lapsus, periclitatus, seruus effectus est. Atque ex his quidem Mercurij verbis satis patet id quod superius diximus verum esse, generationi nimirum τῆς ἀπάτης vocem pulchrè conuenire. Iam verò & hoc si quis perpendat, quòd cùm homo mens sit potißimũ & ratio, huius autem conditio sit & natura, ad supera & cœlestia, quæq; verè sunt, vtpote cognata, sese attollere: quæ hinc certè nos auocat, & ad terrena detrahit generatio & natura, nõ immeritò ipsi ἀπάτη appellari videbitur: vt omittam interim, & secundum sacram scripturã, nihil aliud quàm peregrinationem, vitam nostram esse super terram, vt quæ huic initium dederit generatio, non iniuria deceptio nominetur. Et de vocis quidem ratione hæc hactenus. Tribuitur autem deceptioni, quòd nos sua ipsius facultate imbuat: sic enim græca accipienda existimo, ποτίζει τῇ ἑαυτῆς δυνάμει, quod à nullo interpretum animaduersum esse miror. Appellat autem ipsam potionẽ, errorem & ignorationẽ: quod fortasse ἐκ παραλλήλου, id est, vt altera vox alterã interpretetur, dictum existimari potest. Potest autem et ea ratione, vt vtraque suam & propriam vim obtineat. Nam cùm & corpus,

corpus, quæq; hinc veluti efflorescunt rationis expertes facultates, naturæ & generationis sint opera, ad has autem causas omnem animi tumultum & perturbationẽ referat Plato, corporis quidem, vt diximus, puerorũ infantium intemperiem humidam, amentiæ, quam ignorationem noster vocat autor, causam existimare non incommodum: rationis autem expertes facultates, tum quæ ζωτικαὶ & ὀρεκτικαὶ à Græcis dicuntur, vitales & appetitiuas vertunt nonnulli, tum quæ γνωστικαὶ, id est, cognitionis, vt sensus, quæq; hinc oritur imaginatio, & huius ipsius, & erroris insuper. Sed dicat forsitan aliquis, nonnihil incommodi hanc habere expositionem, quòd ea ratione superuacanea videatur meretricum, quarum mox mentionem faciet, descriptio: sub rationis enim expertibus facultatibus & has contineri. Verùm sic si quis sentiat, plurimũ à veritate aberret. Nam primũ quidem, aliud sunt innatæ & insitæ facultates, aliud verò assumptæ & aduentitiæ opiniones, cupiditates & voluptates. Deinde possunt, vt in sequentibus ostendemus, & pro obiectis, quæ facultates moueant & impellant, hæc accipi, vt & sic ab ipsis facultatib. sint diuersa. Et hæc quidem de deceptione eiusq; poculo, quantum ad nostri autoris sententiã. Cæterùm quanquam omnes hanc hauriant potionem, & sic vitam ingrediantur, nõ tamen omnes æqualiter, inquit, sed hi quidem vberius, illi verò parcius. Per quæ sanè verba temperaturarum, quæq; has consequuntur facultatum differentias intelligit. Sunt enim statim & puerorum infan-

*tium, hi quidem humidioris, illi verò, vt in tali ætate consti tuti, ſiccioris temperamēti, vt alij rurſus inter hos quaſi medij, cuius occaſione maior minórue in his inuenitur error et ignorantia. Atque de generationis vi ac natura hæc hacte nus. Nunc quomodo in lucem editi, ab alijs quibuſdam affi ciamur, conſideremus.*

Vide's ne pręterea intra portam mulierū meretricum quandam multitudinē, quæ uariæ ſunt & multiformes? Video. Atenim hæ, Opiniones, Cupiditates, & Voluptates nuncupantur. Cum itaque turba ingreditur, aſſiliunt hæ, & quemlibet cōplectuntur, deinde abducunt.

*Vt quæ hîc ab autore dicuntur cōmodius intelligantur, nonnulla prius hypotheſis inmodum à nobis ſunt ſubijcienda & explicanda: quorum primum fuerit, quòd non vnum ſit anima humana, ſed pluribus & diſsidentibus conſtet partibus. Deinde verò hoc probato conſiderabimus, quot, & quænam hæ ſint partes, quáq; tum per ſe, tum ad ſe mutuò, ratione ſunt affectæ. Atq; his conſtitutis ad autorem veniemus, facilius quid ab ipſo dicatur percepturi. Quod igitur ad primum attinet, nec longa, nec difficilis huius eſſe probatio videtur. Nam qua ratione corpus ex pluribus concretum eſſe elementis oſtendit medicorum princeps Hippocrates, eadem & nos hîc vti poſſumus. Si enim vnū anima eſſet, nullæ in ipſa affectiones, nullæ perturbationes exiſterent. Nunc autem ſunt variæ & multiformes, non igitur vnum eſt anima. Verùm hoc loco forſitan non immeritò quis ambigat, quomodo huic vt firmæ ſatis probationi fidamus, cùm*

*Quòd anima nō ſit vnum.*

*fieri*

*fieri posse videatur, vt anima quidem vniusmodi sit & simplex, ac proinde ex se nullis turbetur affectibus, corporis autem occasione variè afficiatur, ac motibus & mutationibus cieatur & agitetur pluribus. Nos autem dicimus, primùm quidem, vt è corpore nō paucæ affectiones in animū redundent, nō omnes tamen è corpore ortū habere, sed esse quæ ad animū propriè pertineant, quamuis ad earū non paucas & corporis motus & mutatio sequatur. Amor enim & odiū, ira & metus, gaudiū & tristitia, animi nimirum sunt affectiones. Intemperies autem calida, frigida, humida, sicca, ebrietas, tormina, neruorum contractiones, & quæ his sunt similia, corporis. Deinde verò, quomodocunq; & de his affectionibus quis constituere velit, illud tamen quouis magis verum inueniet: quod vniusmodi est & simplex, id quatenus tale est, non solùm à seipso affici patiq; non posse, sed etiam ne ab externo quidem: eoq; quæ à nobis appellantur elementa, verè quidem elementa, id est, corpora simplicia non esse, sed ad horum naturā proximè accedere. Quare Græcorū nonnulli* στοιχειώδη *potius hæc, quàm* στοιχεῖα *nominanda censuerunt. Ipsum enim quod absolutè simplex esset, cogitatione potius concipi, quàm in rerū natura subsistere. Et hæc quidem est, quam ab Hippocrate, vt diximus, mutuati sumus demonstrationem. Est verò & alia quædam Platonis, quæ non solùm, animam nō esse vnum docet, sed illud etiam quodammodo ostendit, quot huius sint partes seu species. Dixi autem, quodammodo, quòd dum aliud esse quo discimus,*

resq́ percipimus, aliud quo irascimur, aliud quo concupiscimus demonstrat, diuersitatem quidem animæ partium per se, numerum autem per accidens probat. Alioqui si de partium numero per se constituere vellemus, ea sanè cōmodior esset ratio ac via, quam Aristoteles ad inuenienda rerum principia libro naturalis auditionis primo delineauit. Sed in præsentia quidem Platonis demonstratione cōtenti, eam hîc subyciamus. Inquit igitur libro de Repub. quarto hunc in modum: Hoc autem iam difficile, eodém ne hoc quælibet agamus, an tria cùm sint, aliud alio, vt eorum quæ in nobis sunt, vno quidem discamus, alio verò irascamur, concupiscamus autem rursus tertio quæ ad cibum & Venerem pertinent voluptates, quæq́ his sunt cognata: an verò tota anima horum quodlibet agamus cùm eò ferimur. Hæc fuerint quæ pro rei dignitate haud facilè distinxeris. Deinde verò sic proposita quæstione, eius tractationem aggreditur, à tali exorsus axiomate. Manifestum igitur est, quòd idem contraria agere & pati secundum idem certè & in idem simul ne queat. Quo deinceps latius explicato & distincto, quòd nōnulla hîc obyci posse viderentur, huiusmodi sumptionē subycit. Anne igitur, inquam ego, allicere & amoliri, aliquid appetere & aspernari, asciscere & depellere, omnia huiusmodi cōtrariarum sibi inuicē status seu actionū seu passionum dicere mauis? Nihil enim quod ad hanc rem attinet interest. Et his quidem vniuerse subiectis, sunt enim cōmunia demonstrationis principia, ex quibus, quo discimus, tum

ab eo

ab eo quo concupiscimus, tum quo irascimur, ipsaq; hæc inter se diuersa esse probauerimus, eas quæ vniuscuiusq; sigillatim membri propriæ sunt sumptiones & demonstrationes, subiungit: & primò quidē ostendit, aliud esse τὸ ἐπιθυμητικόν, id est, quo concupiscimus, aliud verò æstimatricem animæ partem: sic enim τὸ λογιστικὸν interpretor, quòd nō solùm rationis compotem partem, sed & sensus sub se comprehendat. Procedit autem demonstratio hoc modo. Nam primò quidem sub vniuersali sumptione talem particularem accipit. Quid igitur, inquam ego, Sitire, esurire, & omnino cupiditates: rursumq; desiderare, velle, nónne omnia hæc in iis collocaueris generibus, quæ modò sunt recitata? vt, semper cupientis animum, nónne vel appetere dices id quod cupit, vel asciscere quod sibi adesse vult, aut rursus quatenus sibi aliquid confici desiderat, hoc ad se allicere animātis instar eius ortum expetentem? Ego quidem. Quid verò, nolle, & non desiderare neque cupere, nónne ad depellere & à se abigere, omniaq; illis contraria pertinere dicemus? Deinde verò, ne si per singula procedat demonstratio, in infinitum oratio extendatur, ipsum sitire & esurire cupiditates esse sumit, & illud quidem potus, hoc verò cibi. Ad cuius rursus lemmatis distinctionem nō pauca adferens, quæ facilè omnes quæ hîc fieri poterant obiectiones summoueant, ipsum tandē sic tanquam satis firmæ fidei subycit: Sitientis igitur anima, quatenus sitit, non aliud vult quàm bibere, & id expetit, eoq; fertur. Cui rursus alia duo adiungens lemmata, deinceps con-

clusionem infert. Apponam autem ipsius verba, quæ nō solùm breuiter quod propositū est conficiunt, sed etiam (quod quis miretur) illustrem habent rerum explanationem. Inquit igitur hoc modo: Si quid ergo ipsam aliquādo sitientem retrahat, aliud quippiam in ipsa fuerit ab eo quod sitit, & tanquam feram ad bibendum incitat. Neq; enim dicamus, idem eadem sui parte circa idem contraria simul agere. Minimè. Quemadmodū certè, vt arbitror, de sagittario nō rectè dicatur, quòd ipsius simul manus arcū propellant & adducant, sed quòd altera quidem sit quæ propellat, altera verò quæ adducat. Atenim prosus ita se res habet, inquit. Anne igitur putemus quosdam interdum sitientes bibere nolle? Et multos sanè, inquit, & sæpenumero. Quidnā igitur, inquā, de his quis statuat? Nonne inesse quidem in anima ipsorum quod iubeat, inesse autem & quod bibere vetet, quod diuersum cùm sit, iubente sit superius? Mihi certè, inquit, videtur. An non igitur quod huiusmodi prohibet, cùm adest, à ratione proficiscitur: quæ verò impellunt ac trahunt, ab affectionibus & morbis ortum habent? Videtur. Non absque ratione itaque, inquam ego, censebimus has duplices esse, & à se mutuò diuersas animæ partes, qua quidem res æstimat, æstimatricem appellantes: qua verò amat, esurit, sitit, & ad cæteras cupiditates immoderatè fertur, tum rationis expers, tum cupiditatibus deditum, repletionibus nimirū quibusdam & voluptatibus mancipatū. Et hæc quidem sunt quibus Plato eam qua cōcupiscimus animæ partem ab æstimatrice

trice

trice diuerſam eſſe demonſtrat: ac proinde de earum quæ ha ctenus inuentæ ſunt numero ſic conſtituens inquit: Atq; hæ quidem, inquam ego, duæ nobis definitæ ſint ſpecies, quæ in anima inſunt. Solet enim Plato nunc partes eas, nunc ſpecies appellare, quòd hæ quodammodo ad animæ, vt ſic dixerim, coagmentationem non aliter ſe habeant, atque ad corporis compoſitionem primæ & ſimplices partes, quas Ariſtoteles ὁμοιομερεῖς, id eſt, ſimilares nominat. Itaque vt in corpore & partes hæ rectè appellentur, quòd totum compleant & perficiant: & rurſus ſpecies, alia enim corporis ſpecies caro eſt, alia neruus, alia os, alia cartilago, & reliquarũ partium ſimilariũ quæuis: ita & in anima τὸ λογιστικὸν, τὸ θυμοειδὲς, καὶ τὸ ἐπιθυμητικὸν, & partes non male & ſpecies animæ eſſe dixeris: partes quidem, quatenus tota his anima abſoluitur & perficitur: ſpecies verò, quatenus diuerſæ inter ſe ſint rationis & naturæ plurimũ ac ſubſtantiæ diſſidentis. Verùm de hoc poſterius conſiderabimus, eo nimirũ loci, vbi harum partium tum per ſe, tum ad ſe mutuò affectionem inueſtigabimus. Nunc ad inſtitutũ reuertamur, videamusq; qua ratione & animoſam animæ partem ab vtraq; diuerſam probet. Inquit igitur hoc modo: At verò animoſa, quaq; iraſcimur, tertiáne fuerit animi pars, aut vtri harum cognatam eam dixeris? Fortaſſe, inquit, alteri, ei quæ cupiditatibus eſt addicta. At enim, inquam ego, quod aliquando audiui, ei fidem habeo, quòd nimirum Leontius Aglaionis filius ex Piræo reuertens, ſub boreali muro extrà cùm perce-

pisset cadauera apud carnificem iacere, simul quidẽ ea vide re cupierit, simul autem indignatus fuerit, seséq; auerterit: & hactenus quidem pugnarit, oculosq; contectos habuerit. Victus autem tandem à cupiditate, diductis oculis ad cada uera accùrrens, Ecce vobis, inquit, miseri, expleamini pulchro hoc spectaculo. Audiui, inqt, & ipse. Hæc sanè, inquã, oratio indicat iram interdum cum cupiditatibus pugnare, vt diuersum quid cum diuerso. In his Plato ostendit, quòd ea qua concupiscimus, diuersa sit animi pars ab ea qua irascimur, vsus eodem illo, quod ab initio exposuimus, axiomate, quòd nimirum fieri nequeat, vt id quod vnum ac simplex & incompositum est, aliquid appetat, idemq; simul auersetur ac respuat: aliquo gaudeat, & delectetur, atq; id simul indignetur, ab eoq; se auertat: sed necesse sit, vt aliud quidem sit quod cadauera videre cupiat, aliud verò, quod prohibeat: & quod ei quidem quod videre cupit, inde omnino voluptas aliqua accedat, ei verò quod prohibet, molestia & dolor. Irasci enim ei quod concupiscit, eiusq; impetus grauiter ferre, & cupiditates prohibere velle, increpare insuper & accusare, & quæcunq; his sunt similia, alterius animæ partis opus fuerint, nõ eius ipsius quod concupiscit. Neque verò hac solùm ratione demonstrat Plato hæc à se mutuò esse diuersa, quo irascimur, inquã, & concupiscimus, sed etiam alijs quibusdam subijciendis, quibus insuper cõmodè ad id quod quæstionis est reliquũ, viam sibi præparat. Est autem reliquum, vt rationis participem animæ partẽ ab animosa, quaq;

sa, quaq́ irascimur, diuersam esse ostendat. Atq; id quidem etsi iis quæ non ita multò pòst apud ipsum sequuntur, apertè satis probatur, tamen & iis quæ nunc subiiciemus aliquo modo doceri videtur. Sequũtur autem hæc apud Platonem proximè ea quæ superius sunt exposita. Atqui & alibi, inquam ego, sæpenumero animaduertimus, cùm contra rationem cupiditates quempiam violenter aliquò rapiant, eum tum sesè increpare, tum ei quod in ipso vim adfert succensere, & tanquam duo inter se dissiderent, huius animos rationi opem auxiliumq́; ferre. Cæterùm vt cum cupiditatibus coniuncti & consociati, rationis voluntati & decreto in quoquam obsistant, id verò nec arbitror vnquam in teipso expertũ esse, nec in alio vllo. Non per Iouem, inquit. Hac sanè oratione Plato quantumuis breui multa docet. Nam primò quidem ostendit, quod antea tamen probatũ est, qua irascimur partem & qua cõcupiscimus, diuersas esse, vtpote quæ digladiari inter se sæpenumero solent. Deinde verò, & ab vtrisque rationis compotem partem differre, aliudq́; præter hæc esse, quod cum altera quidem dissideat, alteram autem sibi aduersus alterã adiutricem habeat. Tertio autem, animosam animæ partem nunquam se contra eam quæ rationis est compos, cum cupiditatib. dedita consociare & coniungere, sed semper pro ratione, si quando hæc cum cupiditatibus pugnet, stare. Quod etiam cum in sequentibus latius ostendat, ne quis hinc suspicetur æstimatricis speciẽ esse qua irascimur, ac proinde non tres, sed duas tantum esse animæ

partes, hæc deinceps subijcit Plato: Recte, inquam ego, quod dicere volo intelligis. Verùm anne & hoc insuper animaduertis? Quidnam? Quòd contrà atq; paulò antè nobis res se habere de animosa animi parte videatur: tunc enim ad cupiditatis naturam, ipsam referendam putabamus: nunc autem multùm abesse dicimus, imò verò multò magis ipsam in animi seditione & discordia pro ratione arma capere. Prorsus, inquit. Anne igitur ab æstimatrice diuersa fuerit, an huius quædam species, vt nō tres, sed duæ species in anima sint, ea quæ rationis est compos, & quæ cupiditatibus addicta? An verò potius vt in ciuitate tria quæpiam inueniebantur genera, quæ ipsam cōtinerent, quæstuosum, auxiliarium, consulare: sic & in anima tertiam hanc statuerimus animosam partem, quæ æstimatrici quidem natura opem auxiliumq; ferat, nisi mala educatione sit deprauata? Necesse, inquit, hanc tertiā statuisse. Certè, inquam ego, siquidem ab æstimatrice diuersa esse videatur, vt ab ea quæ cupiditatibus est addicta differre probata est. Atqui haud difficile, inquit, id fuerit deprehendere. Nam & in pueris hoc quis animaduertat, quòd iræ quidem & animi statim pleni reddantur: rationis autem nonnulli, vt mihi quidem videtur, nunquam compotes fiant, quidam verò serius tandem. Per Iouem, inquā ego, recte dicis: insuper autem & in feris, id quod asseris quispiā perspiciat. Ad hæc, & quod superius alicubi diximus, Homeri illud testimonio fuerit:

Pectora percutiens dictis cor comprimit hisce:

Cor

Cor tolera, quondam multò grauiora tulisti.

Hic nanque manifestè, tanquam diuersa sint, alterum increpare alterum facit Homerus, quod de meliori & deteriori ratiocinatur, id quod præter rationis præscriptum excandescit. In hac sanè oratione duobus argumentis clarè & perspicuè docet Plato, diuersas inter se esse eam qua irascimur animæ partem, & qua res æstimamus & percipimus: quorum alterum ex eo sumitur, quòd has à se mutuò separari videmus. Et in feris quidem omnino: neq; enim vnquam rationis compotes redduntur. In pueris autem ad temporis aliquod spacium. Nam qui modò nati sunt, & teneriori adhuc ætate, quanquã rectè rationis participes esse dicantur, eius tamen vsum actu, vt loquũtur, nondum habent, sed potentia tantum. Alterum verò ex eo, vt dictum est, quòd ab eo quod rationis est particeps, id increpetur quo irascimur. Necesse enim est omnino, id quod increpatur, ab increpante esse diuersum. Nam id ad ea quæ superius sunt constituta, necessariò sequitur. Cæterùm Homeri hic locus quem citat Plato, habetur vigesimo Odysseæ lib. Fingitur enim ibi Vlysses ancillarum petulantia permotus, ab ira quidem ad sumendum de eis supplicium impelli atque incendi, à ratione verò inde reuocari, vt quæ opportunitatem abesse doceret. Ac quòd tres quidem animæ sint partes à se mutuò diuersæ, satis explicatum esse arbitror: sequitur vt de earum facultatibus & operibus agamus. Sunt igitur eius quidem quæ rationis est compos opera, per se quidem & absolutè considera- *Animæ partiũ facultates.*

ta, imaginatio, memoria, intelligentia, cogitatio. In relatione verò ad aliud spectata, vt tum sensus, ijs quæ sensu prædità sunt partes, tum motus, quæ secundùm appetitionem mouentur, fons sit & origo. Eius autem quam animosam appellamus, per se quidem opera sunt, animi excelsi & inuicti magnitudo & robur, & perseuerantia in ijs quæ ratio iubet. Secundũ affectionem verò, tanquam innati caloris feruor, desiderante nimirum tunc anima, vlcisci eum qui iniuriam fecisse videtur, vocaturq; id ira. In relatione verò ad aliud, vt caloris singulis sit principium corporis particulis, et arterijs motus pulsatilis. Reliquæ verò partis, quam ἐπιθυμητικὸν, quòd cupiditatibus maximè sit dedita, vocant Græci, quæ ad nutritionem, auctionem & generationẽ pertinent vniuersa, sunt opera. Huius autem ipsius fuerit, & voluptatum fruitio, & quæcunq; his sunt affinia. Verùm explicatis hoc modo vniuscuiusq; partis facultatib. & operibus, eadem enim vtrorunq; est diuisio, reliquum esse videtur, vt qua ratione ad se mutuò sint affectæ dicamus. Cùm igitur tres sint vt superius demonstrauimus, animæ partes, quæ quidem rationis & cogitationis est particeps, vtpote qua ad diuinam q̃ proximè conditionem accedimus, secundùm naturæ certè præscriptũ, in nobis imperantis tantum locum obtinet. Quæ verò cupiditatib. est addicta, cùm tota in corpus vergat, subditi. Tertia autem cùm inter vtrasq; sit media (neque enim, vt quæ cupiditatibus est dedita, penitus sese in corpus immersit, huius perpetuò vsibus & commoditatibus inseruiens: nec

Animæ partes vt ad se mutuò sint affectæ.

verò

vero rursus à corpore prorsus est absoluta & libera, tanquã propriæ cuiusdã quæq; citra corpus consistere queat substantiæ, cuiusmodi est eius quæ rationis est compos) meritò tum subditi tum imperantis rationem sustinet: ad eam quidem quæ rationis est particeps collata, subditi: ad alteram verò, cui cupiditas nimirum tribuitur, imperantis. Atq; hæ quidem ex Platonis sententia animæ fuerint partes, cum facultatibus & officijs suis, & ea quam ad se mutuò affectionem obtinent, explicatæ. Cæterùm quoniam Aristoteles, quiq; eius doctrinam sequuntur Peripatetici, à Platone in nonnullis dissidentes, aliam animæ partitionem faciunt, neque eam hoc loco prætermittendam censuimus. Est enim non solùm accurata & exquisita, sed etiam non contemnendum, ad ea quæ apud autorẽ habentur rectius intelligenda, vsum obtinens. Verùm priusquã hanc exponamus, quænam illa sint quæ his autoribus inter se sunt cõtrouersa, dicamus. Primum igitur quas Plato tum species tum animæ partes, vt prius est dictum, nominat, eas Aristoteles facultates, minimè verò aut partes, aut species, sub propria certè harum vocum significatione, appellandas censet. Neque enim has substantijs differre, quæ Platonis est sententia, existimat: sed omnium vnam quidem esse substantiam, facultates autem plures. In quo certè, si quid ego iudico, fallitur plurimũ: nam ab eadem substantia vt non solùm diuersæ, sed etiam dissidentes, quæq; inter se digladientur, facultates oriantur, qua ratione fieri possit, non inuenio. Sed quoniam hæc considera

tia ad tractationem de anima potius pertinet, impræsentia omittatur. Deinde verò nec in eo consentiunt, quòd Plato quidem diuersas his partibus sedes tribuat: rationis quidem compoti, cerebrum: animosæ verò, cor: ei autem quæ cupiditatis est, iecur: Aristoteles autem omnes ad cor contrahat, in angustumq́ veluti adducat. Et in quibus quidem inter se dissentiunt, quod ad præsens attinet negocium, hæc sunt. Diuidunt autem Peripatetici animã in eas, quas ipsi tribuunt facultates, hoc sanè modo. Nam primũ quidem tripartitam instituunt diuisionem, vt animæ facultatum alias rationales esse dicant, irrationales verò alias, & tertias præter has, quas ἀπὸ τοῦ φύειν, vt vult Galenus, φυτικὰς appellant, vt ego autem dixerim, ἀπὸ τῶν φυτῶν, quòd & in plantis hæ facultates inueniantur. Deinde verò harum differentiarũ quamlibet in alia rursus partiuntur membra: & rationalium has quidem cognitionis esse dicunt, quæ in vero cernendo & exquirendo maximè versantur: illas verò appetitus, quæ ad agendum impellunt. Vocant autẽ has græcè & ζωτικὰς, quas vitales quis latinè ad Græcorum imitationem non male appellauerit. Rursus autem eas quas cognitionis esse diximus, in mentem, qua vniformi appulsu citra omnem discursum animiq́ agitationem principia cognoscimus, & cogitationẽ (sic enim διάνοιαν vertimus) cuius officium fuerit de ijs ratiocinari, cuius principia aliter se habere nequeunt: atque præter has opinationem secant, quæ circa ea versatur quæ Græci ἐνδεχόμενα vocant, recentiorum nonnulli contingentia.

Quas

*Quas verò appetitus esse statuunt, has in βούλησιν, id est, voluntatem, partiuntur, & προαίρεσιν, quam eorum qui hoc seculo philosophantur nonnullis electionē appellare mos est. Differūt autem hæc inter se, quòd προαίρεσις eorum quæ fieri nequeant minimè sit: voluntas autem & horū, vt in hac vita consequendæ immortalitatis, quod fieri certè non potest. Insuper voluntas & eorū est, quæ per nos minimè fiant, vt actorem quempiam aut athletam in certamine superiorem esse: electio autē nullo modo. Ad hæc voluntas finis ipsius est potius, electio verò eorum quæ ad finem referuntur. Addunt autem nonnulli & huiusmodi differentiam, vt βουλήσεις quidem, ipsius per se sit rationalis animæ, προαιρέσεις verò, cum irrationalitate copulatæ. Cùm enim, inquiūt, extra generationem est anima, voluntate sola impellitur: nam in solo acquiescit bono. Cùm verò generationē fuerit ingressa, quoniam irrationales ipsi coniunguntur facultates, tum sanè propter irrationalis naturæ copulationē, electionis est compos & particeps. Quam etiam ob causam, nūc quidem ad irrationalitatem inclinat & propendet, nunc vero ad rationem se applicat, & hoc illi eligendo præfert. In summa, vt in ijs quæ in cognitione positæ sunt facultates, ad mentem se habet cogitatio, ita quodammodo & in his, ad voluntatē electio. Nam voluntas quidem in id, quod aut absolutè simpliciterq; bonū est, aut certè cuiq; videtur, citra omnem animi agitationem promptè fertur: electio autem non nisi præcedente quadam deliberatione. Unde rectè προαίρεσιν libro*

L

*Moralium ad Nicomachum tertio sic definit Aristoteles: προαίρεσίς ἐστιν ὄρεξις βουλευτικὴ τῶν ἐφ' ἡμῖν, id est, electio est appetitio deliberatiua eorum quæ in nostra sunt potestate. Cæterùm ꝙ idem lib. eiusdem operis sexto, duplicem προαιρέσεως definitionem adferat, dicatq; προαίρεσιν esse aut ὀρεκτικὸν νοῦν, aut ὄρεξιν διανοητικήν, id quamobrem ab ipso sit factum, minimè prætermittendum arbitror. Habet enim non paruam vim ad huius facultatis, quæ hominis certè est propria, naturam rectius intelligendam. Scire igitur oportet, ꝙ προαίρεσις quidem propriè dicta, vltima quædam vis sit animæ rationalis, quæ quod ab ea decretum sit & constitutum, exequatur: eoq; non male veluti animæ manus, quibus res appetimus & apprehendimus, eam esse, in opere de virtutibus inquit Theages. Quoniam autem huic proximè antecedit sententia, quam Græci γνώμην vocant ( est autem hoc loco sententia, animi quæpiam affectio & quasi propensio, qua in eo quod iudicatum est acquiescimus ) sententiam verò rursus dijudicatio, & dijudicationem antegreditur deliberatio: fit vt προαίρεσις modò etiam pro sententia, modò pro dijudicatione apud Græcos vsurpetur: interdum autem fortasse, licet rarius, & pro deliberatione. Nam cùm ἐκ προαιρέσεως, seu κατὰ προαίρεσιν ( idem autem est ac si ἐκ προνοίας dixeris ) aliquid factũ esse asserunt, Latini consultò factũ & cogitatò dicere solent, nihil aliud certè per προαίρεσιν, quàm deliberationem & consultationem intelligere velle videntur. Tot igitur modis cùm προαίρεσις dicatur, cuius etiã occasione*

*plures*

*plures apud Latinos ipsi voces respondent ( nam interdũ institutum, interdum propositũ, nonnunq̃ delectum aut electionem, est & vbi arbitrium & arbitratum, liberamq; voluntatem, non incommodè verteris, prout locus & materia exigere videantur ) cùm quidem aut in propria vsurpatur significatione, aut pro sententia, tum ea potius ipsi competit definitio, qua* ὄρεξις διανοητικὴ *vel* βουλευτικὴ *esse statuitur. Cũ verò vel pro* κρίσεως*, id est, dijudicatione vel deliberatione accipitur, tũ* νοῦς ὀρεκτικὸς*, aut* βούλευσις ὀρεκτικὴ*, rectius definiatur: vnumquodq; enim quod in mixtione præpollet ac superat, id absolutè esse dicitur, alterum verò* παρωνύμως*, id est, vt nõnulli vertunt, denominatiuè. Atque rationalium quidem facultatum, quibus hominis natura circunscribitur ac definitur, hæc fuerit diuisio & explicatio. Irrationalium verò, alias rursus pari modo cognitionis esse dicũt, appetitus alias. Et quas cognitionis faciunt, in imaginationem, quam Græci* φαντασίαν *vocant, Cicero in Academicis ad M. Varronem quæstionibus visum vertit, & sensum diuidunt: inter quæ hoc sanè discrimen fuerit, quòd sensus quidem porrigatur ac vergat in id quod extrà est, imaginatio verò interiore cognitione polleat: & sensus quidem id solum quod adest, quodq; præsens est, percipiat: imaginatio autẽ quas à sensu accepit rerũ sensibiliũ formas, subinde in se renouet, fingendoq; veluti instauret: vnde &* παθητικὸν νοῦν*, id est, vt uerbũ verbo reddamus, paßiuã mentẽ, ipsam appellat Aristoteles: mentẽ quidẽ, vt quæ intus, quod ipsius est subiectũ cognitio-*

*ni, habeat: paßiuam autem, quod cum formis quibusdam et affectionibus. Obtinet autem hæc, vt lib. cōmentariorum in primum Geometricorū Euclidis elementorum secundo inquit Proclus, medium quasi centrū inter eas quæ cognitionis sunt facultates: idq; indicare volens Aristoteles, sic eam appellandam censuit. Vt aūt sensus, sic & imaginatio quod percipit & cognoscit particulare est & singulare. Et hæc quidē de ijs quæ cognitionis sunt. Quæ verò appetitus ab ijs esse dicuntur, has in* θυμὸν, *id est, vt ego verterim, animositatem, &* ἐπιθυμίαν, *id est, cupiditatem partiuntur. Est autem* θυμὸς, *quem &* θύμωσιν *appellat Theages, animi quædam vis irrationalis, quæ ad subeunda pericula & aduersa depellenda, alacris est & prompta, vinciq; nescia.* Ἐπιθυμία *verò, quæ ad id quod iucundum & expetibile, ac naturæ accōmodatum esse videtur, amplectendum propendet. Cæterùm hoc loco id admonuisse non intempestiuum fuerit, cuius occasione grauißimos etiam autores in errorem impulsos esse videmus, nec* θυμὸν, *nec* ἐπιθυμίαν *vno modo dici: sed interdum quidem pro animæ seu partibus, seu facultatibus vsurpari: quo sanè genere & nos hoc loco his vtimur, & Platonici Peripateticiq;, cùm* θυμὸν *&* ἐπιθυμίαν *non modo naturales esse dicunt, sed etiā vtiliter à natura dari. Item hæc non extirpari ac funditus tolli, sed subigi potius, edomari & comprimi debere. Rursus cùm* θυμοῦ *magnitudinem & robur deijci vetant, ipsum autem domari & condocefieri velint. Consimili etiam modo cùm rationem hoc tanquā auxi-*

*liario*

*liario milite aduersus cupiditatem vti asserunt. In his enim & similibus, Peripatetici quidem facultates intelligūt, Platonici autem tum has, tum ipsas etiā, vt ex superioribus est intelligere, quarum hæ sunt facultates, animi partes: interdum verò pro affectionibus seu passionibus, quas Græci πάθη vocant: sed ne sic quidem simpliciter vnaq; significatione, cùm nec πάθος simplicis sit potestatis, sed multifariā apud Græcos accipiatur. Nam primò quidē & maximè, vt Plato definit, πᾶν ὅπερ ἂν πάσχῃ τις, πάθος προσρητέον, id est verbum verbo redditum, omne quod quis patitur, passionē appellare par est, siue id in subiecti interitum & perniciem vergat, siue ad eiusdem incolumitatem & salutem, perfectionē atque absolutionem faciat: neq; enim minus hæc quàm illa apud Græcos πάθη dicuntur. Atque hac ratione & sensuū alterationes tum πάθη, tum παθήματα vocant: visus quidē eas quæ ab albo, nigro, flauo & cæteris coloribus fiunt: tactus autem, quæ à calido, frigido, humido, sicco, duro, molli, reliquisq; id genus omnibus. Pari verò ratione & reliquorū sensuum cuiuslibet. Quòd autem huiusmodi alterationes, si facultatis modum nō superent, in subiecti perfectionem tendant, quis est qui dubitet? cùm animaduertat vnumquodq; his ipsis à potentia ad actum prouehi: esse autem potentiam veluti inchoatum quid ac rude, actum rei cuiusq; absolutionem ac perfectionem. Cæterùm huic τοῦ πάθους in genere significationi (dico autem in genere, quòd omnes, tum quæ secundum naturam, tum quæ contra naturam sunt affectio-*

nes in ſe comprehendat) altera quaſi ex parte reſpondet, quam Græci ἐνέργειαν vocant, nos operationem ſeu efficientiam, aut etiam actionem appellemus licet. Eſt autẽ ἐνέργεια ſic vſurpata motus actiuus: vt πάθος qui ab altero in alterũ fit motus. Et ſecundũ hanc quidem ἐνεργείας & πάθους acceptionem, nõ ſolùm θυμὸς & ἐπιθυμία, ſed etiam aliæ his finitimæ affectiones, vt ira, odium, dolor, metus, & cætera id genus, ſiue moderatæ ſint & caſtigatæ, ſiue efferatæ et immodicæ, tum ἐνέργειαι, tum πάθη dici poſſunt. Exempli cauſa: θυμὸς, quatenus quidem ab obiecto aliquo, ſeu rationis circa id cogitatione, aut omnino imaginatione quadam incitatur & quodammodo irritatur τοῦ θυμοειδοῦς, huius ſeu partis ſeu facultatis meritò πάθος eſſe cenſeatur: quatenus verò ſic incitatum vel ad depellenda aduerſa, vel pœnas ſumendas impellit ac ſtimulat, ἐνέργεια rurſus eiuſdem fuerit. Qua certè ratione Peripatetici θυμὸν, quem non recte iracundiã & in Academicis & Tuſculanis quæſtionibus vertit Cicero, cùm huic ὀργιλότητος potius apud Græcos vox reſpondeat, fortitudinis quaſi cotem eſſe dicunt. Quanquam & illud forſitan miretur quiſpiam, quòd σόμφωμα cotem ſit interpretatus, aciem nimirum, id eſt, ferri acumen, rem hebetem, de qua inquit Horatius: Acutum

Reddere quæ ferrum valet exors ipſa ſecandi.

Nam vt alterũ rectiſsimè θυμῷ conferatur, eſt enim ταχὺς καὶ ὀξὺς, id eſt, celer & acutus, vt inquit Ariſtoteles, ita alterum aliqua ex parte ab eius natura videatur alienius.

Atque

Atque vt hac ratione animosæ partis operatio, recte dicatur θυμὸς, ita rursus incitati corporis & instrumenti, πάθος. Quemadmodum vtiq; & cùm cupiditati contra rationem quempiam violenter aliquò rapienti succenset, & pro ratione contra ipsam arma capit, tum sanè qua quidem parte et cupiditatis importunitate accenditur, & rationis ad se vocantis edicto paret, πάθος ipsius fuerit. Qua verò cum cupiditate confligit, partim πάθος, partim ἐνέργεια censeri debet, non solùm animosæ animæ partis, sed etiam eius quæ cupiditatis est, quòd omnis huiusmodi motio ex actione passione constet. Neque verò id quispiam miretur, quòd hoc modo in idem subiectum cum actione coeat passio, & hactenus nihil distent, ratione tamen differant. Nam & quæ à secante in eo quod secatur fit diuisio, vna eademq; res cùm sit, secantis quidem actio, eius autem quod secatur passio fuerit. Quanquam si quis exactius rem introspiciat ac perpendat, nec huius simpliciter solùm passio, nec illius actio fuerit, sed vtriusque tum actio tum passio. Nam & quod secat, qua retunditur & hebescit, patitur: & quod secatur, hac ratione in id quod secat agit. Atque vna quidem vtriusq; harũ vocum, ἐνεργείας dico & πάθους, significationis ratio hæc statuatur: secundũ quam, vt superius dictum est, θυμὸς & ἐπιθυμία, quæq; his sunt finitima, siue secundum naturam & moderata in subiecti perfectionem tendant, siue contra naturam & efferata in eiusdem perniciem ferãtur, tum πάθη tum ἐνέργειαι dici possunt. Altera verò, qua quæ secundum

*naturam est motio, ἐνέργεια appellatur: quæ verò contra naturam, πάθος. Verumenimuero cùm secundum naturam multis dicatur modis, hoc quidem loco sic accipere oportet, vt quod principali ratione à natura fit, secundum naturam esse censeatur. Principali autem ratione ea fieri à natura dicimus, ad quos tanquam scopos spectat, cursumq; suum dirigit, minimè autem si quæ, res alias consecutione quadam necessariò sequantur. Et talis quidem motio secundũ naturam esse dicitur, siue à seipso, siue ab alio impellatur id quod mouetur, eiq; quæ contra naturam est opponitur. Secundũ quam rursus horum nominũ acceptionem θυμὸς & ἐπιθυμία, & quæcunq; reliquæ in nobis sunt rationis expertium facultatum affectiones, cùm non exorbitant, nec à mediocritate recedunt, ἐνέργειαι nominantur. Cùm verò aberrantes, à recto quidem & medio desciscunt, immoderatè autem ac temerè nunc ad id quod nimium est excurrunt, nunc ad id quod parum, diuertunt, πάθη appellantur. Verùm quoniam hæc breuius dicta, obscuriora sunt fortasse, agè exemplis & similitudinibus quibusdam adhibitis rem illustremus. Intellige igitur in nobis rationis compotem partem aurigæ, reliquas verò equis proportione respondere, currum corpori. Vt igitur equi edomiti, nunc quidem aurigæ imperium sentientes, ad eius arbitrium & nutum vel celeriori vel tardiori cientur motu, currumq; quocunq; is impellat trahunt, nunc verò efferati percitiq;, vel ambo, vel eorum alter (vtrunq; enim vsuuenire potest) præcipites feruntur,*

tur, turbulenterq́ ac temerè currum per uias, per inuia ra-
ptant, nec habenis nec aurigæ uiribus eos refrenare ac co-
ërcere ualentibus: interdum autem econtrà ita remißi &
languentes ſunt, ut nec calcaribus adhibitis incitari, nec
flagellis impelli poßint: ita & in homine triplicem huiuſmo
di differentiam eſt inuenire. Nam nonnunquam rationis
expers animæ pars utraque, ei quæ rationis eſt compos obe
diens, ad huius uoluntatem nutumq́ ſuis compoſitè cietur
& agitatur motibus, nosq́ ad agendũ impellit: aliquan-
do uerò uel utraq́ proiectior effrenatiorq́ reddita, uel alte-
ra uehementius prorumpit, ſecumq́ cùm alterã quaſi per-
culſam, tum corpus abripit, fruſtra reſiſtente & repu-
gnante ueluti auriga ratione. Eſt etiam cùm ita ſummiſ-
ſæ & abiectæ ſint, ut nullis, propè dixerim, incitari ſtimu
lis poße uideantur. Harum igitur trium differentiarum,
cùm in prima tantum id quod ſecundum naturam eſt in-
ueniatur, utpote in qua quod præſtantius eſt in deterius do
minatur, imperiumq́ tenet: eæ quæ in hac irrationalibus
animæ partibus tribuuntur motiones, cuiuſmodi & illic
equis, ſecundùm poſteriorem hanc ἐνεργείας & πάθους diſtin
ctionem, ἐνέργειαι appellabuntur: quæ uerò in reliquis dua-
bus, πάθη: quarum quæ in priore quidem, ad exuperãtiam
pertinebunt: quæ uerò in poſteriore, ad defectionem. Hinc
itaque manifeſtè patet, unum idemq́ pro uaria harum uo
cum acceptione, nunc ἐνέργειαν, nunc πάθος nominari poße.
Ad hæc θυμὸν & ἐπιθυμίαν. præterea & pro animæ parti-

M bus,

bus, quas tamen usitatius τὸ θυμοειδὲς, καὶ τὸ ἐπιθυμητικὸν appellare solent, & facultatibus non raro usurpari. Quare non recte quis fecerit, cum aut Platonem aut Peripateticos θυμὸν laudare audiat, & utiliter a natura datum asserere, si statim hos reprehendat, aut etiam contradicere conetur, non inspecta nec animaduersa huius uocis multiplici potestate. Sic enim non tam ad ea quæ ab ipsis sunt dicta disputet, quam ad suam ipsius quam ex eorum non recte intellectis uerbis opinionem mente comprehendit. quod Ciceroni & Senecæ usuuenisse uidemus: quorum ille quidem libro Officiorum primo sic inquit: Prohibenda autem maxime est ira in puniẽdo. Nunquam enim iratus qui accedet ad pœnam, mediocritatem illam tenebit, quæ est inter nimium & parum: quæ placet Peripateticis, & recte placet, modo ne laudarent iracũdiam, & dicerent utiliter a natura datam. Illa uero omnibus in rebus repudianda est. Rursus Tusculanarum Quæstionũ quarto: Quid? quod ijdem Peripatetici perturbationes istas, quas nos extirpandas putamus, non modo naturales esse dicunt, sed etiam utiliter a natura datas? quorum talis est oratio. Primum multis uerbis iracundiam laudant: sub quæ deinceps subiectis nonnullis, quæ partim a Peripateticis de ipsa facultate, partim de eius actione, quam & θυμὸς appellari superius admonuimus, dicuntur. tandem sic inquit: Nec uero solum hanc libidinem laudant (est enim ira, ut modo definiui, ulciscendi libido) sed illud ipsum genus

nus uel libidinis, uel cupiditatis (intelligit autem τὸ θυμοειδὲς à Græcis appellatum, quod his uerbis circumscribit ac ueluti definit) ad summam utilitatem esse dicunt à natura datum. Ex quibus sanè uerbis haud obscurè diligentius intuenti patet, non alia ratione inductum Ciceronem ut Peripateticos reprehenderet, contráq; ipsos diceret, quàm quòd nominis θυμοῦ ambiguitatem nõ animaduerterit, sed ad unam tantum eius significationem respexerit, qua immoderata quæpiam & concitata animosæ partis motio, quæ ad exuperantiam pertinet, esse statuitur: qua uerò pro eiusdem quadam facultate & operatione usurpatur, de ea ne cogitarit quidẽ. eamq́; esse causam existimo, quòd iracundiam θυμὸν uerterit, cui tamen & in hac ipsa significatione excandescentiæ nomen magis conuenit. Atque ut hac quidem parte, quid ipsum in errorem induxerit facile intelligo, ita nescio qua tandem ratione in τοῦ θυμοειδοῦς uoce deceptus sit, cùm hæc absolutè ac sine aliquo cui adhæreat posita, aut facultatem, aut animæ partem tantum significet: affectionem autem, aut actionem, quantum hactenus mihi obseruare licuit, nunquam. Neq; uero hic solum errauit Cicero, sed etiã quòd affectiones prorsus extirpandas existimauit: quæ tamen non solum Aristotele ac Peripateticis, sed his etiam ipsis antiquioribus Philosophis authoribus, ut paulò pòst ostendemus, uirtutum sunt materia. In quem sanè errorem Stoici ipsum ut & in priorem impulerunt, qui parum dialecticè uocis multiplicis defini-

*tionem, non præmiſſa eiuſdem diſtinctione, ſunt aggreſſi. Itaque Zeno Stoicæ ſectæ autor, πάθος ἐστὶν, inquit, ἡ ἄλογος καὶ παρὰ φύσιν ψυχῆς κίνησις: ἢ ὁρμὴ πλεονάζουσα. quanquam hanc poſteriorem definitionem nonnulli ad alios referunt autores. Ad quas definitiones perpetuo reſpiciens Cicero, multa ibidem contra Peripateticos diſſerit, quæ omnia τοῦ πάθους nominis ambiguitate explicata & diſtincta illico corruunt, utpote parum firmo fundamēto nitentia. Cæterum ut id quod dixi uerum eſſe intelligatur, nonnulla ex quarto Tuſculanarum quæſtionum libro hic ſubijciemus: in quo propoſita hac quæſtione, Utrum in ſapientem caderet πάθος, nécne: ſubiectisq́ nonnullis, quæ partim ad diſputationis inſtituendæ rationem pertinerent, partim hypotheſes continerent quaſdam, ex Platonis quidem ſententia utcunque factas, cum Stoicorum autem decretis manifeſtè pugnantes, primum à πάθους definitione diſputationem incipit hoc modo. Eſt igitur Zenonis hæc definitio: ut perturbatio ſit, quod πάθος ille dicit, auerſa à recta ratione contra naturam animi commotio. Quidam breuius, perturbationem eſſe appetitum uehementiorem dicunt: ſed uehementiorem eum uolunt eſſe, qui longius diſceſſerit à naturæ conſtantia. Deinde uerò τοῦ πάθους partibus & ſpeciebus ſubiectis, alijsq́ nonnullis eôdem ferè ſpectantibus, & ſapientis (erat enim hic alter quæſtionis propoſitæ terminus) notione latius explicata, ſic ad extremum concludit: Quod qui faciet, non ægritudine ſolum uacabit (hoc enim*

eiusdem operis libro tertio ex Latinæ uocis ui & etymologia, cùm Græcis λύπη dicatur, argumento nimirum fallacißimo, minimeq́ ualido, ut libro de Hippocratis & Platonis dogmatibus secundo ostendit Galenus, conficere conatus est) sed etiam perturbationibus reliquis omnibus. Est autem uniuersæ argumentationis rhetoricè fusius ab ipso tractatæ & explicatæ uis huiusmodi. Nam in secunda figura hoc modo procedit: In quem πάθος, in eum cadit auersa à recta ratione contra naturam animi commotio. Sed in sapientem non cadit auersa à recta ratione animi commotio. Igitur in sapientem non cadit πάθος. Ad quæ, ut ex superioribus patere potest, hoc nimirum dicamus, πάθους definitionem, qua syllogismi maior propositio nititur, definito angustiorem contractioremq́ esse. Neque enim solum πάθος, quam perturbationẽ hîc ferè semper uertit Cicero, auersam dici à recta ratione contra naturam animi commotionem, sed etiam eam, quæ rectam rationem sequitur, & secundùm naturam est: ut ante hæc ipsum etiam genus, quam uirtutum materiam esse dicimus. Quod quidem si animaduertißet Cicero, neque in his deceptus fuißet, neq́ unquã, quod apud ipsum paulò pòst sequitur, dixißet: Quocirca mollis & eneruata putãda est Peripateticorum ratio & oratio: qui perturbari animos necesse esse dicunt. sed adhibent modum quendã, quem ultra progredi non oporteat. Modum tu adhibes uitio? An uitium nullum est non parere rationi? & cætera quæ ibidem apud

 ipsum

ipsum sequuntur. Et Ciceronis quidem hi sunt lapsus à Stoicis, ut diximus, oriundi. A quibus etiam tanquã fontibus Senecæ profluxerunt errores: qui libro de ira ad Nouatum primo, etsi multis quidem & uarijs argumentis in Peripateticos inuadit, proficit tamen nihil, omnes eius incursiones atque impetus unica illa eademq; machina, τοῦ θυμοῦ nimirum homonymiæ distinctione, haud magno negotio repellente ac reijciente. Nam de hoc cùm aut pro facultate usurpatur, aut eius operatione, quam & affectionem seu paßionem non raro appellari iam sæpe superius diximus, affirmant Peripatetici, quòd secũdum naturam sit, quòd utilis, quòd aliqua ex parte retinenda: minime autem de turbulenta, & temeraria, & periculosa illa animi affectione, quam in hoc opere solam, neque uero eam simpliciter, sed summam, ut ex ijs quæ ipsis tribuit symptomatibus & effectibus est uidere, describit Seneca. In qua quidem descriptione, antequã ad reliqua eius progrediamur, id primum occurrit admiratione dignum, quòd non animaduerterit, se parum consentanea ijs scribere, quæ paulò pòst ab ipso subijciuntur. Nam cùm multa uehementis iræ indicia in hominibus commemoraßet, quasi ad uniuersalius quid reuocato theoremate, sic de animalibus uniuersè subijcit: Non uides, ut omniũ animaliũ, simul ad nocendũ insurrexerũt, præcurrãt notæ, ac tota corpora solitũ quietumq; egrediantur habitum, & feritatem suam exasperent? Spumant apris ora, dentes acuuntur attritu, tauro-

rum cornua iactantur in uacuum, & arena pulsu pedum spargitur, leones fremunt, inflantur iritatis colla serpentibus, rabidarum canum tristis aspectus est. Nullum est animal tam horrendum, tamq́ perniciosum natura, ut non appareat in illo, si ira inuaserit, nouæ feritatis accessio. Atqui hæc non erant eius, qui Stoicorũ impudentiam secutus, contra omnem euidentiam, feras ira carere, & omnia præter hominẽ assereret. Hæc enim sunt ipsius uerba, quæ non ita multo post ea, quæ modo recitauimus, sequuntur: sed hominis potius uerecundioris, qui euidentiæ ratione habita, ex tam aperta sensibusq́ exposita symptomatum similitudine, ac, ut sic dixerim, identitate affectionem quoque eandem agnosceret: quod sanè hic facit, cùm non solum in homine, sed etiam alijs animalibus, ijsq́ potissimum quæ immaniores ac feriores sunt natura (causam autem statim subijciemus) multis iræ notis & indicijs expositis, ad extremum sic quasi cõcludit: Nullum est animal tam horrendũ, tamq́ perniciosum natura, ut non appareat in illo, si ira inuaserit, nouæ feritatis accessio. Nam cum docere uellet iram, breuem esse insaniam, ut quosdam è sapientibus uiris dixisse inquit, Græcos, an Latinos intelligens ambiguũ: certè Horatius in Epistolis iram, furorem breuem esse asserit: & Cato Maior iratum ab insano tempore tantum distare uult: insanorum & iratorum inter se indicia confert, & eadem omnino esse utraque ostendit. Atque hac ratione iræ deformitatem exaggerans,

hanc

hanc omnium affectionum minime occultari posse probare conatur. Quod meo quidem iudicio haud infeliciter facit. Nam sicubi certè abscondi posset, in iis id usuuenire maximè uerisimile esset, quæ iam antea ex naturali constitutione huiusmodi notas quàmplurimas haberent. Tales autē sunt feræ & immanes beluæ: siquidem in mitioribus, quæ contrariis informantur symptomatibus, facilius iræ indicia efflorescere patet. Cùm igitur ne in his quidem in tanta similium symptomatum turba huius notæ latere possint, sed & hic conspicuæ sint & emineant, constat in aperto iram quàm maximè esse positam. Sed hæc, ut diximus, etsi uerissima sunt, quibusq; euidentia omni ex parte attestatur, tamen cum Stoicorum placitis pugnant: in quorum sententiam, spreta cum certissimis argumentis euidentia, leui impulsus ratiuncula Seneca concedit. Cum enim initio quarti capitis libri primi, iram esse constituisset pœnæ exigendæ cupiditatem ex iniuria seu læsione, aut læsionis cogitatione oriundam: ac deinde Aristotelis peruulgatam illam definitionem adiecisset hoc modo Latinè redditam: iram esse cupiditatē doloris reponendi: contra utramque, inquit, dicitur, feras irasci nec iniuria irritatas, nec pœnæ dolorisúe alieni causa. Quæ cùm contra omnem rationem, contra communem intelligentiam ac notionem, contra ipsum denique sensum impudentissimè dicantur, tamen Senecam permouerunt, ut priore, quanquam coniecturali, firmissima tamen, demonstratione posthabita,

feras nunc ira carere, & omnia præter hominem concede ret. Verum nos minimè hoc terremur argumento, neque sinimus talibus nos sophismatibus à uero abduci, si modo so phisma dici poßit, cuius falsitas tam cõspicua extat, atque eminet, ut non artifice ad eam deprehendendam oculo, sed uulgari tantùm populariq; sensu sit opus. Nam quis quæso adeò stupidus est, ut bestias temere nullaq; de causa inci tari & exasperari credat, ac non potius læsione, aut sal tem læsionis (iniuriæ enim nomine etiamsi communius hic poßemus, ob sophistarum tamen importunitatem & ca lumnias uti refugimus) imaginatione iritatas, cùm ui deat canes dum os aliquod rodunt, si quidem ipsis eripere id quis tentet, aut id suspicentur facere quempiam uelle, il licò ringi, nonnunquam & eripientem mordere: si uerò ne mo ipsis molestus sit, nec infesti quippiam expectent, quie scere, nec ulla commoti animi indicia ostendere. Iam uerò nec illud obscurum arbitror sui ulciscendi repetendæq; pœ næ, &, ut Seneca loquitur, reponendi doloris cupiditate sic affectas teneri feras. Id enim ipsum effectus manifestè docet: nam quod Seneca huic quasi tacitæ obiectioni occur rens inquit, Nam etiamsi hoc efficiunt, non hoc petunt. id nullius est penitus momenti, cùm contra ipsam euidentiam dicatur: quod ut manifestius appareat, huiusmodi duo, quæ tamen non raro usuuenire solent, fingamus. Sit enim felem in alicuius mulierculæ sinu cubantem, repentino ali quo strepitu exterritam ungues temere atque inconsidera

tè dum explicat, eius manum lædere. Rursus laceßitam unguibus alicui in faciem inuolare. Horum sanè alterum præter felis accidit uoluntatem, alterũ uerò minimè. Quare illic quidem locum habebit id Senecæ: hîc autem nullo modo. Quæ quidem cùm ita se habeant, uel hinc certißima demonstratione conficitur, in bestias non minus, quàm in hominem iram cadere, cùm & in has pari ratione eius definitio quadret. Unde & id patet, falsam eße Stoicorum opinionem, ex qua tanquam hypothesi hoc dogma pendet, τὰ πάθη nimirum εἶν κρίσεις, id est, affectiones eße æstimationes & iudicia: quemadmodum rursus, quod omnium horum & consimilium errorum est fundamentum, eam, qua in totum τὸ ἄλογον καὶ τὸ παθητικὸν τῆς ψυχῆς, id est, quicquid animæ rationis expers & affectibus obnoxium est, in nobis tollunt. Sed horum quidem in his falsas opiniones, in quibus tamen non perpetuò sibi constant, inter cæteros doctißimè confutarunt, Galenus in opere illo eximio de Hippocratis & Platonis decretis, & Plutarchus in libello uerè aureo de morali uirtute, ut Posidonium interim taceam, qui contra huiusmodi ut Stoicorum proprias, ita non leues ruinas, Stoicus quidem & ipse, sed cæteris longè tum doctior, tum uerecundior, non uno suorum operum in loco apertè dißerit, Platonis in hoc magis quàm Stoicorũ adstipulator. Uerum his dimißis ad ea rursus Senecæ redeamus, in quibus illi cum Peripateticis certamen est, dum probare conatur θυμὸν, quem iram uertit, non eße secundũ

natu-

*naturam, nec utilem, nec aliqua ex parte retinendam. Et primum quidem ostendamus non aliam ipsi quàm Ciceroni erroris occasionem fuisse, nominis nimirum τοῦ θυμοῦ ambiguitatis, ut superius est dictum, ignorationem, ut eadem solutionis ratio & in hunc conueniat, qua antea in refutandis Ciceronis argumentis usi sumus. Nam cùm propositis hunc in modum quæstionibus, nunc quæramus, an ira secundùm naturam sit, & an utilis atque ex aliqua parte retinenda, deinceps disputationem aggrediens subiungit, an secundùm naturam sit, manifestum erit si hominem inspexerimus: quo quid est mitius, dum in recto animi habitu est? quid autem ira crudelius est? Homine quid amantius? quid ira infestius? Homo in adiutorium mutuum generatus est, ira in exitium. Ille congregari uult: illa discedere. Hic prodesse: illa nocere. Hic etiam ignotis succurrere: illa etiam charissimos petere. Hic aliorum incommodis uel impendere se paratus est: ira in periculũ, dummodo secum deducat alium, parata descendere. & cætera quæ sequuntur. manifestè nimirum, id quod diximus, declarat, se aliò mentem quàm Peripateticos retulisse: eoq; non ipsorum dogma, sed suam ipsius opinionem labefactat & conuellit. Atque hoc quidem ipsi cum Cicerone commune. Illud autem proprium, quòd non tam quod propositum est, concludere, quàm iram nõ esse hominis naturã & substantiam, probare uideatur: quod ipsum non grauatè ei Peripatetici concedant, qui hominis naturam rationalibus illis supe-*

*rius expositis circumscribi facultatibus, his uerò animalis statuunt. Verùm non id erat quod quærebatur, sed an θυμὸς quam iram ille dicit, secundùm naturam sit. Hoc autem est, an homini, cùm præter id quod homo, animal etiã sit, secundùm naturam huiusmodi irrationalis facultas eiusq; operatio insit. Id enim est quod Peripatetici asserũt, minimè autem hanc hominis esse naturam. Cæterum quòd hæc Peripateticorum sit sententia, quodq; cum θυμὸν, aut etiam τὸ θυμοειδὲς laudant, & secundùm naturam esse utiliterq; datum asserunt, horumq; similia huic tribuunt, animi facultatem eiusq; operationem intelligant, etsi multis ex locis doceri potest, in præsentia tamen uno atque altero cõtenti erimus, ab eo qui apud Galenum libro De propriorum in anima cuiusque affectuum dignotione & curatione habetur, exorsi. Is enim cùm rationẽ quandã ac uiam subijceret, qua quis usus et affectus suos agnoscere, & agnitos ingenuo quodam pudore & uerecundia refrenare & coërcere posset, inter cætera inquit: Sic enim si feceris, poteris tandem aliquando τοῦ θυμοειδοῦς, id est, animosæ partis in te facultatem, tanquam beluam quandam mãsuetam & mitem reddere. Alioqui absurdum fuerit, domitores quidem, cùm equos feros acceperint, exiguo tempore hos mansuefacere: te uerò non extrinsecus assumpto animali quopiam, sed quæ in anima est facultate rationis experte, cum qua perpetuo habitat ratio, eam non posse mitem reddere, si minus repente, at longiori saltem tempore. Dictum*

*autem*

*autem eſt uberius ac fuſius, in ijs, quos de moribus conſcripſimus, commentarijs, quomodo eam quis optimam efficiat, & quòd robur quidem ipſius deÿcere non oporteat, ut nec equorum & canum quibus utimur, ſed potius ad obedientiam, ut & in ijs fieri uidemus, ipſam exercere. Demonſtratum autem tibi & in illis non minus eſt commentarijs, qua ratione & ipſa hac rurſus animoſæ partis facultate tanquam auxiliario milite utaris aduerſus alteram, quam ἐπιθυμητικὴν ueteres appellarũt philoſophi, cùm contra rationem ad corporeas feratur uoluptates. Quibus ſanè Galeni uerbis uniuerſa ueterũ non Peripateticorum modò, ſed etiam antiquiorum philoſophorum de hac animi facultate ſententia breuiter cõprehenſa eſt, adiectis etiam nonnullis, quæ huc ueteres induxiſſe uidentur, argumentorum momentis: quæ tamen latius aliquãto perſequitur, non de hac ſolum facultate, ſed etiam de tota rationis experte in nobis natura diſſerens in libello de Morali uirtute, cuius paulò ante mentionẽ fecimus, Plutarchus. Adſcribam autem & eius hîc uerba, quæ non paruam uim & ipſa obtinent ad Stoicorum errores confutandos. Sunt autem hæc: Cæterum qui mirantur, quomodo rationis expers cùm ſit (intelligit autem id quod ſuperius παθητικὸν appellauit, quodq́ ratione priuatum propria eſſe dixit) eidem tamen obediat, mihi ſanè rationis uim parum perſpexiſſe uidentur, quanta ſit, & quoad continendo impellendoq́ progrediatur, non duris neque præfractis impulſibus, ſed ſoli-*

ne, quam & πάθος appellari ſæpenumero iam admonuimus, quæ ſit ueterum ſententia audiamus, eius tamē prius cōmonefacti, quod de qua nunc loquuntur affectione, hanc ut genus accipere debeamus: cui quidem contrariæ accedentes differentiæ alias duas conſtituunt ſpecies, ſed quæ plerunque generis nomine appellentur. Quanquam interdum Peripateticis, quæ caſtigatæ ſunt & moderatæ, ἀστεῖα, id eſt, urbanæ: quæ uerò effrenatæ & indomitæ, ἄγρια πάθη, id eſt, feræ agreſteſq́ affectiones nominātur. Apud Theagem autem, quæ prioris ſunt generis, ἤθη: quæ uerò poſterioris, πάθη abſolutè dicta inuenias: quem ſanè in hoc & qui rhetorices præcepta tradiderunt ſecuti ſunt, ut ex Cicerone & Quintiliano patere poteſt. Plato igitur non de hac ſolū affectione, ſed reliquis etiā conſimilibus, quæ generis rationē ſubeunt, libro De legibus primo, ſic loquitur: Hoc autē ſcimus, quòd hæ affectiones, cùm in nobis tanquā nerui aut uincula quædā inſint, nos trahāt ac retrahant, ſibi mutuo contrariæ ad contrarias actiones datæ, ubi ſanè uirtus & uitioſitas diſpertita conſiſtit. Unum enim iubet ratio ſemper impulſum ſequentem, nec uſquam ab eo deſciſcetem reliquis quodlibet neruis nunc huc, nunc illuc trahere. Hunc autem eſſe inquit ratiocinationis ductum aureum & ſacrum, quæ ciuitatis lex communis dicitur. Alios duros & ferreos: hunc mollem, utpote aureus cùm ſit, reliquos uerò multiformes illos præſtantiſſimo ductui ſemper opitulari debere. Nam ratiocinationis præſtantis

quidem

quidem, sed lenis minimeq́ uiolentæ his ministris egere ductum, ut aureũ in nobis genus reliqua uincat, & subigat. In quibus Platonis uerbis mirum quanta & quàm recondita lateat doctrina. Neque enim solum, cuius gratia hunc adduximus locum, affectus id genus uirtutum esse & uitiorum materiam docet, sed etiam neruorum collatione cuiusmodi materia sit ostendit. Cæterum ut commodius quod dico intelligatur, altius aliquãto rem repetentes hoc modo dicamus. Quod in corpore musculi, quos nunc neruos uocat Plato, id quodammodo affectiones in anima: quodq́ rursus illic cerebrum, id hic ratiocinatio est. Ut igitur musculorum hi quidem ad brachij, exempli causa, porrectionem, illi uerò ad contractionem, motus nimirum contrarios à natura sunt instituti: ita & affectionum aliæ ad has, aliæ ad contrarias actiones sunt datæ, omnes tamen si modum seruent, suo & tempore & loco utiles: quod apposite sanè Carminum libro secundo in spe & metu ostendit Horatius cùm inquit,

Sperat infestis, metuit secundis
Alteram sortem bene præparatum
Pectus.

Verum ut in his quidem exactè constat similitudo, ita in illo non parum dissidet collatio, quòd in affectuum mediocritate animi uirtus, in immoderatione uerò uitiũ consistat: in musculorum autem nec symmetria tantum, nec ametria corporis compositi aut uirtus aut uitium, sed re-

quiratur reliquarum insuper partium, similarium quidem commoda temperies, organicarum autem, in dictarum iam partium numero, cuiusq; magnitudine, conformatione, ac inter se copulatione compositioneq; conuenientia. Nam ut omnes quotquot in corpore sunt musculi rectè sint affecti, fieri tamē potest, ut membrorum motus incommodè se habeant, ob alterius alicuius partis in instrumentis affectionem, eiusq; occasione corpus uitio aliquo laboret. At in anima aliter se res habet. Nam omnibus ad mediocritatem redactis affectibus, fieri nequit ut non in anima uirtus sit. Sed haud facilè fortè fuerit in omnibus perpetuam inuenire conuenientiam, satisq; existimari debet, si hactenus constet similitudo, quatenus ab autore adhibetur, ipsiq; utilis est. Quanquam & in his quoque similitudo congruit, quòd ut ratiocinationis, ita & cerebri pulsus mollis sit: musculorum autem, ut affectuum, motus ualidißimi, quos duros nimirum eam ob causam & ferreos appellat, quodq; cerebri mollis minimeq; uiolenti pulsus his ueluti ministris egeat, ut membra pro arbitrio agat & impellat. Eodem enim modo & ratiocinatio affectibus. Atque ex his manifestè constare arbitror, quòd organicam quandam & ministram huiusmodi affectiones naturam obtineant, eaq; ratione uirtutum sint & uitiorū materia, quòd in harum moderatione & rationi obtemperatione uirtus, in contrarijs autem uitium consistat. Neque uerò hoc loco miretur quispiam, quomodo affectus eos tali

honore

*honore dignemur, ut uirtutum eſſe materiem dicamus, quos paulò antè Plato inſipientes cõſiliarios appellat. Videntur enim hæc nonnullos permouiſſe, quorum eſt & Seneca, ut affectus in totum damnarent & reijcerent: cuius hæc ſunt uerba: Sed quidam, inquit, in ira ſe continent. Utrum ergo ita nihil ut faciant eorum quæ ira dictat, an aliquid? Si nihil faciunt, apparet non eſſe ad actiones rerum neceſſariam iram, quam uos quaſi fortius aliquid ratione haberet aduocabatis. Verùm hi non animaduertunt, aliud eſſe ut conſiliarium, aliud ut miniſtrum aliquid adhibuiſſe: & quod Seneca quidem adfert, nullo negotio ſolui poteſt. Sit enim, ut nihil eorum quæ dictat ira faciant, Horatij monitis & præceptis obtemperantes, qui rectè inquit,*

*-qui non moderabitur iræ,*
*Infectum uolet eſſe, dolor quod ſuaſerit & mens:*
*Dum pœnas odio per uim feſtinat inulto.*

*ex hoc ſanè nullo modo ſequitur, tantũ abeſt ut appareat, non eſſe ad actiones rerum neceſſariam iram, non magis hercle quàm equos non eſſe ad currum trahendum neceſſarios, quia nihil eorũ faciat auriga quæ dictat equi. Quanquam in his & ſimilibus tranſlatitiè ac non propriè hæc dicũtur, dictare, ſuadere, pro eo nimirũ quod eſt incitare ac impellere. Sed ut hoc argumentũ cuiuſmodi ſit, facile perſpicitur, ita & quod apud eundẽ ſequitur. Deniq; interrogo, ualentior eſt quàm ratio, an infirmior? Si ualẽtior, quõ*

illi modum ratio poterit imponere, cùm parere nisi imbecilliora non soleant? Si infirmior est, sine hac per se ad rerum effectus sufficit ratio, nec desiderat imbecillioris auxilium. Est enim & hoc priori quodammodo simile, ut eodem adeò de equis modo dicere liceat. Denique interrogo, ualentiores sunt quàm auriga, an infirmiores? Si ualentiores, quomodo illis modum auriga poterit imponere, cùm parere nisi imbecilliora non soleant? Si infirmiores sunt, sine his per se ad currum impellendũ sufficit auriga, nec desiderat imbecilliorum auxilium. Hæc igitur si quis dicat, ut merito audiat: Atqui ô bone uir, quid tandem inquis? quomodo aurigam equis, & in quo confers? An non animaduertis, aliud equorum, aliud aurigæ esse officium: ut illi quidem currum trahere, hic autem ipsis moderari debeat? Quid igitur est quod dicis, Si ualentiores? Neque enim si ad currum trahendum ualentiores sint equi quàm auriga, cuius id prorsus opus non est, rectè ex hoc concluseris aurigam equos regere ac moderari non posse. Non enim tam uirium quàm artis hoc est opus. Freno ori imposito, adhibitoq; flagello aut calcaribus, domitos tamen prius & condocefactos quocunque uult impellit. Iam uerò & alterum diuisionis membrum quàm sit absurdum quomodo non animaduertis? Nam præter ea quæ dicta sunt, ut idem statuamus aurigæ & equorum opus, nullo tamẽ modo rectè dicatur, si infirmiores sunt, sine his per se ad currum trahendum sufficit auriga, nec desiderat imbecilliorũ auxilium, cùm

sæpenu-

ſæpenumero uideamus fortiores ad imbecilliorum opem confugere, ut Herculem ipſum: qui cùm aduerſus Hydram & Cancrum duo ſophiſtica moſtra ſolus pariter pugnare non ualeret, nepotis ſui Iolai, uiribus licet ipſo longè inferioris auxilium & implorauit, & abunde expertus eſt, ut in Euthydemo refert Plato. Hæc igitur ut merito is audiat, ita & Senecæ, arbitror, rectè dicatur, utranque diuiſionis partem ipſi uacillare ac claudicare, nec quicquam omnino concludere. Et priorē quidem propter collationem non rectè factam, & rationis uim non ſatis animaduerſam: quam tamē cuiuſmodi ſit, in ſuperius citata oratione ſatis oſtendit Plato: cùm nimirū non duros & ferreos eius pulſus, ſed molles & aureos eſſe aſſerat. Cuius ſanè explicatio quædam eſſe uidentur, quæ aliquanto antè ex Plutarcho ſunt adducta. Poſteriorem uerò, quòd præter alia quæ habet uitia, etiam cum euidentia & ſenſu ipſo pugnet. Sed his dimiſſis ad rem redeamus. Quæ igitur Platonis de hoc affectuum genere ſit ſententia, ex iam dictis ſatis patet: atque alijs adeo permultis in locis eadem apud ipſum inuenias, quæ huc transferre, præſertim tam multa cùm ſint, paſſimq́ obuia, minime uiſum eſt. Quare ad Theagem progrediamur, ſiue is quæ apud Stobæum ex libro de uirtutibus habentur fragmentorum ſit autor, ſiue, ut nonnulli uolunt, Theano Metapontina ſeu Thuria, Pythagorea, quæ & ipſa ad Hippodamum Thurium librum de uirtutibus ſcripſiſſe traditur: nos certè, ut in præcedentibus, ita

& hic & in ijs quæ sequentur, sicubi usus postulabit, sub Theagis nomine ea citabimus. Is igitur non solum id genus affectus uirtutũ esse materiam asserit, cùm circa hæc & in his consistant uirtutes: sed etiam illud insuper ostendit, minimè hos esse extirpandos, sed potius ad mediocritatem redigendos, cùm inquit: Oportet autẽ uirtutem, quæ conuenientis est habitus, & affectuũ mediocritas, nec prorsus affectibus carere, nec nimium his deditam esse. Nam affectionum quidem uacuitas, quàm ἀπάθειαν Græci nominant, tum incitari nesciam, tum instinctus diuini afflatusq; expertem animam ad honesti studiũ reddit. Εκπάθεια uerò nos effrenatum & præcipitem affectum non incommodè uerterimus, conturbatam & rationis usu destitutam. Oportet igitur affectũ sic in uirtute leuiter repræsentari, & quasi interlucere, ut umbram & lineam in pictura. Nam uiuidum illud, molle ac tenerum, quodq; ueritatem imitatur cum quadam colorum bonitate ac suauitate, his maximè constat. Viuidi uerò ex incitamento & afflatu uirtutis, quæ secundùm naturam, animi redduntur affectus. Ex affectibus enim oritur uirtus, ortaq; cum iisdẽ consistit: ut id quod ritè contentum est, ex acuto & graui: quod temperatũ, ex calido & frigido. Non igitur eximere ex anima affectus oportet: neque enim id utile foret, sed ad id quod cõuenientiæ & mediocritatis rationẽ obtinet accommodare. Atque quod hoc quidem loco asserit, adiecta tamen nonnulla probatione, idem alibi quoque exquisitius demon

demonstrat his uerbis: Cùm uirtus morum circa affectus uersetur, affectuum autem uoluptas & dolor supremi sint: patet non in eo consistere uirtutem, ut animi affectus uoluptas & dolor extirpetur ac funditus tollantur, sed ad mediocritatem & conuenientiam redigantur potius. Nam neque sanitas, quæ commoda facultatum corporis temperies est, in eo cõsistit, ut frigidum, calidum, humidum, siccum eximantur, sed inter sese contemperentur. Est enim horum quædam symmetria. Neque in musica concentus in eo consistit, ut acutum eximatur & graue: sed in acuti ac grauis conuenientia aptaq; coniunctione consonum quidem continetur, expellitur autem dissonum. Calido uero, frigido, humido & sicco ritè contemperatis oritur sanitas, perit morbus. Congruentibus autem animositate & cupiditate, uitia quidem & affectus eximuntur, ingenerantur autem uirtutes & mores. Et hæc quidem Theagis. In quibus ex similibus quibusdam, sed nobis notioribus, id quod in quæstione positum erat, dilucidè probat, nõ esse nimirũ huiusmodi affectus extirpandos, sed ad modum quendam & mediocritatem reducendos. Quam etiam sententiam sæpius in libro De morali uirtute, cuius antè mentionẽ fecimus, repetit Plutarchus. Aristoteles autem libro moralium ad Nicomachum secundo, capite tertio, nõ pauca in eam quoque disserit sententiam, quòd moralis uirtus circa uoluptates & dolores uersetur, & ab his tum augeatur, tum corrumpatur, non eodem modo se habentibus, &

quòd

quòd his actiones dirigamus, aliaq́ nonnulla eôdem ferè spectantia. Cæterum quòd sint, præter iam dictum genus affectuum, quod uirtutum & uitiorum materiam esse docuimus, cùm ipsi & bene & male adiungi queat, & alij quidam, hi immoderati & ad mali naturam inclinantes, illi uerò castigati & in bonum uergentes, ex Aristotelis secundo Moralium ad Nicomachum libro manifestè patet. Nam capite quidem sexto de priori genere sic inquit: Non quæuis autem actio neque affectus quiuis mediocritatis est capax. Quædam enim statim ipso nomine uitiositatem contentam præ se ferunt: ut ἐπιχαιρεκακία, quam maleuolentiam libro Tusculanarum quæstionum quarto interpretatur Cicero, uoluptatemq́ esse definit ex malo alterius sine suo emolumento, impudentia, inuidia: & in actionibus, adulterium, furtum, homicidium. Omnia enim hæc & huiusmodi dicuntur eò quòd ipsa mala sint, sed nō quòd horum aut exuperantiæ, aut defectiones. Nunquam itaq; in his rectè quid fieri inueniatur, sed semper peccari: & cætera quæ ibidē sequūtur, haud obscurè docentia tum actiones, tum affectus plurimos inueniri, qui mali quidem sunt ac uitiosi, cuius occasione nulla ipsorum est mediocritas, ac proinde nec uirtus: ipsa tamen idcirco uitia propriè non sunt, quòd uirtutes & uitia neque facultates neque affectiones, sed habitus esse superius ab Aristotele sit probatum, ut sermonis in hoc quispiam notetur abusus, sed adeo frequens, ut cum ipso propemodum certare usu uideatur,

cùm


*cùm & hæc uitia nominantur. De posteriori uerò, eiusdem libri capite septimo hæc inuenias: Sunt autem & in affectibus, & in his quæ ad affectus pertinent, mediocritates. Verecundia enim uirtus quidem non est, laudatur tamen & uerecundus. Nam & in his, hic quidem medius esse dicitur: ille uerò exuperans, ut attonitus, qui ob quæuis uerecundatur. Qui autem deficit, aut prorsus pudoris est expers, impudens. Medius autem uerecundus. Nemesis uerò, quam indignationem nonnulli uertunt, mediocritas est inter inuidiam & maleuolentiam. Versatur autem circa dolorem & uoluptatem, quæ oriuntur ex ijs quæ proximis accidunt. Nam indignabundus quidem dolet de ijs, qui præter dignitatem ac meritum rebus utuntur secundis. Inuidus uerò hunc exuperans, omnia dolet. Maleuolus autem tantum ut doleat abest, ut etiam gaudeat. Neque uero hi solum affectus urbani sunt, sed etiam misericordia, beneuolentia, concordia, amor, & si qui alij sunt huiusmodi: non quòd exquisitè mediocritates sint, sed quòd in boni magis naturam uergant, ut de misericordia statim apud Aristotelem uidere est libro secundo de arte dicendi, ubi nemesim & misericordiam πάθη ἤθους χρηστοῦ, id est affectiones boni & suauis ingenij appellat. Neque uero hæc Aristotelis tantum est sententia, esse nimirum affectiones quasdam quæ laudabiles sint & bonæ, sed etiam Stoici εὐπαθείας quasdam constituerunt, easque τῷ εὐλόγῳ definierunt: quam sanè ob causam magna animum subit admiratio eorum, stupiditatis dicam, an inconsideran-*

tiæ, qui nõ animaduerterunt ſuis parum dogmatibus hæc congruere, cum εὐπάθεια omnis πάθος ſit quoddam: omne autem πάθος iiſdem illis authoribus, ſit ἄλογος καὶ παρὰ φύσιν ψυχῆς κίνησις. Ita enim fiet, ut in unum idemq́ τῷ ἀλόγῳ concurrat τὸ εὔλογον: quod fieri nullo modo poſſe uidetur: & alioqui ratio poſtulat, ut εὐπαθείαις contrariæ quæpiam κακοπάθειαι opponantur, πάθος autem quaſi commune quippiam ad quodammodo genus in medio relinquatur. Quanquam nõ ſum neſcius quid hoc loco pro Stoicis dici poßit, nimirũ ipſos ἐυσταθείας has, non εὐπαθείας appellaſſe: argumento autem eſſe, quod apud Ciceronem libro Tuſculanarũ quæſtionum quarto Conſtantiæ nominentur, cùm inquit: Sic quatuor perturbationes ſunt, tres conſtantiæ: quoniam ægritudini nulla conſtantia opponitur. Verum id ita minime ſe habere uidetur. Nam & Plutarchus in libro de Morali uirtute hoc modo inquit: Atqui ipſi rurſus gaudia illa, uoluntates & cautiones εὐπαθείας uocant, nõ ἀπαθείας, rectè hîc nominibus uſi. Fit enim εὐπάθεια ratione affectum non extirpante, ſed ornante potius ac dirigente, & Diogenes Laërtius in uita Zenonis Stoici. Eſſe autem & εὐπαθείας tres inquiunt, gaudium, cautionem, & uoluntatem. Ex quibus ſanè apertè ſatis cõſtat, εὐπαθείας has, nõ εὐσταθείας à Stoicis fuiſſe appellatas, quicquid tandem legerit Cicero. Verum his dimißis ad rem redeamus. Explicatis igitur & irrationalibus animæ facultatibus, quibus animantis natura circumſcribitur, eæ reſtant, quæ quòd

&

*& plantis sint communes à Græcis φυτικαὶ dicuntur. Hæ sanè in omni depræhenduntur animato, diuidunturq́ in eas quæ ad nutritionem, auctionem, & generationem pertinent, ut alio ostendemus & proprio loco. Nam hic eas explicare minime opportunum arbitror, cum ad Physiologiam artemq́ Medicam id magis pertineat. Cæterum ut uniuersa hæc facultatum secundùm Peripateticos descriptio in conspectu ponatur, tabulam hanc subijciendam duximus, & Græcè quidem, quòd nonnulla non æquè commode Latinè reddantur.*

Ὑπογραφὴ τῶν δυνάμεων τῆς ψυχῆς.




*Atque hæc quidem ex Aristotelis enarrationibus animæ facultatum sumpta est descriptio. In qua duo quæpiam mihi desiderari uidentur. Quæ enim rationis sunt expertes & animalis naturam constituunt, prima diuisione nō in duo tantum, sed tria potius membra secari debebant.*

Addi enim his oportebat, quas Græci καθ' ὁρμὴν κινητικὰς appellant, nos secundùm appetitionem mouendi facultates rectè uerterimus. Rursus quæ ex irrationalibus cognitionis sunt (accipere autem oportet cognitionis nomen latius hoc loco, ut quamuis simpliciter apprehensionem, perceptionem ac retentionem significet) & ipsæ tripartito diuidendæ, ut ad imaginationem ac sensum memoria quoque accedat. Verùm de his quilibet ut uolet constituat. Nos autem ad autorem nostrum reuertamur. Is igitur explicata in uitam ingreßione, ad id quod proximum est oratione progreßus nos docet, quæ deinceps humanarum rerum sit conditio, lubrica quidem illa statim & anceps, fereq́ in deterius uergens, sed quam tamen ratione ac consilio, si quis commodam sortitus sit educationem institutionemq́, conformari ac corrigi animaduertas. Nam cùm eas animæ partes facultatesq́ habeamus, quas in præcedentibus satis copiosè explicuimus: sint autem hæ nobis non inutiliter, sed ad opus omnino aliquod datæ: fieri certe nequit, ut cùm inter obiecta sua uersari incipiant, non ab his etiam aliqua ratione afficiantur. Et eæ quidē, quæ rationis sunt compotes & participes, quamuis non statim perinde insigniter ac manifestè, ab ijs circa quæ uim suam explicant. Huiusmodi autem sunt, & hac teneriori ætate potißimū, quæ Græcis δοξαστὰ appellantur, Cicero opinabilia uocat: quorum certè appulsu opinio in nobis generatur. Cæterum quoniam & apud Latinos opinionis, & apud Græcos lon

gè

gè etiam prius τῆς δόξης uox multiplicis est potestatis, de eius prius significationibus hoc loco distinguendum esse uidetur, ut appareat, quo genere hîc ab autore usurpetur. Δόξα igitur, nunc quidem pro rationali animi facultate accipitur, ut in superiore à Peripateticis facultatum descriptione. Nunc uerò pro huius facultatis quadã seu actione, seu affectione: nam utroque huiusmodi nomine appellari posse superius est demonstratum. Interdum autem & quod opinamur, δόξαν & opinionem uocamus: cæterum hæc est sententia & quædam quasi propositio, id est τὸ δοξαζόμενον, καὶ δόγμα. Iam uerò & existimatio quæ de aliquo habetur, siue bona, siue mala, δόξα nominatur: sed cùm absolutè tamẽ citraq́ adiunctionem dicitur, in meliorẽ ferè partem usurpatur. Itaque & pro nominis celebritate, honore, gloria, maiestate, cæterisq́ consimilibus non raro accipitur. Tot igitur modis δόξα & opinio cùm dicatur, in secunda aut tertia significatione nunc ab authore usurpari uidetur: neque uero facile dixeris, quod ad hunc locum attinet, utra alteri præferenda sit. Nam si ad naturalem respiciamus ordinem, eaq́ quæ superius sunt à nobis dicta, facultates nimirum, cum inter obiecta sua uersari incipiunt, necessario ab his affici, secundam huic magis congruere loco significationem arbitrabimur. Si uerò ad id quod dicit autor, has assilire & quemlibet complecti, itemq́ abducere, ad tertiã rursus significationem cogitatione trahimur. Verùm scire oportet, quæ his duabus significationibus indicãtur, idẽ

quodammodo ſubiecto eſſe, ratione autem differre: quod ut commodius intelligatur, altius aliquanto res repetẽda eſt. Sit igitur primò quidem ſubiecta facultas, ipſa nimirũ opinatio. Huic id quod opinabile dicitur, obiectũ eſt: agatq́ alterũ in alterũ. Iam ſanè ipſum opinabile, quod Græci δοξαστὸν uocãt, fit δοξαζόμενον, id eſt, quod opinione cõcipitur, ſeu opinandum: opinatio autem opinans. Sed quoniam, ut ſuperius eſt traditum, quæ hoc modo ad ſe mutuo ſunt affecta, in idem coëunt ſubiectum, hactenusq́ nihil diſtant, ſola autem ratione differunt, fit ut & opinantis & opinandi eadem omnino ſit opinio: ſed alterius quidem ut agentis, alterius uerò ut patientis. Quare quod ad hunc certè autoris locum attinet, commodiſsimum mihi uideatur, ut δόξαν ſeu opinionem ſic accipiamus, tanquam ex ſecunda & tertia ſignificatione coniunctum quid, & quodammodo compoſitum. Cæterum quod de opinione eſt dictum, idem & de cupiditate & uoluptate intelligi uelim, eo tantum excepto, quòd uoluptas pro animi facultate non accipitur, ut opinio & cupiditas. Uidetur autem opiniones quidem, ut dictum eſt, parti rationis compoti, uoluptates autem ei quæ rationis eſt expers obieciſſe, quòd huius eæ propriæ eſſe uideantur. Quam enim cum diſcimus, aut pulchri quid mente cõtemplamur, delectationem percipimus, eam nõ ἡδονὴν, id eſt, uoluptatẽ, ſed εὐφροσύνην potius, id eſt, oblectationem ſeu lætitiam, appellandam cenſent. Utrique autem cupiditates. Nam hoc loco cupiditatis uocem generalius accipiendam

dam existimo, ut & Plato non raro usurpat, cùm multas quidē æstimatricis partis cupiditates esse asserit: plures autem animosæ: multo autē plures magisq́ uarias & multiformes tertiæ partis, quæ ob hoc etiā ipsum secundū quandam exuperantiā generis sibi peculiariter appellationem uendicant. Verum de his paulò pòst exactius cōstituemus. Nunc quare has mulieres, meretrices, multas, uarias & multiformes faciat autor, intraq́ portam collocet, inspiciamus. Neque enim quicquam temere ipsis ab autore tribui existimare par est, sed omnia summa cum ratione. Mulieres igitur has fingit, tum naturæ illarum inconstantiam, tum tenerum illud ac molle & eneruatum significare uolens, quod in his manifestè deprehenditur. Meretrices uerò, propter peruulgatam omnibusq́ expositam earum communicationem. Neque enim ut artes artificum, & scientiæ eorum qui scientia sunt præditi, propriæ sunt ijsque uel uti addictæ, ita & opiniones, uoluptates, & cupiditates certi alicuius hominum sunt generis, sed omnium planè communes, quod etiam indicat autor, cùm inquit has assilire, & quemlibet complecti. Iam uerò ut meretrices uagæ sunt & leuiculæ, & fucato plerunque nitore commendabiles, fictis officijs & simulata sedulitate homines in sui amorem pertrahere conantur, ita & harum uaga est & dubia natura, adumbratamq́ potius boni ac ueri quàm solidam & expressam obtinentia speciem, probabilitate quadam ac uerisimilitudine sensuumq́ bladimentis nos sibi adiun-

adiungere tentant. Multitudinem autem harum cur sub ijciat, nulli non manifestum: quemadmodum, arbitror, & cur uarias esse ac multiformes dicat. Neque enim aut opinionum, aut cupiditatum, aut uoluptatum unica tantum est species, sed harum quælibet, in quam maximè uarias diducitur formas: quæ quidem non solum inter se sunt diuersæ, sed pleræq; etiã contrariæ & pugnantes. Cæterũ quam obrem intra portam has collocet, id ex superioribus facile intelligatur, quòd facultates priusquam inter obiecta sua uersari incipiant, ab his affici non poßint. Inter obiecta uerò sua non prius uersari incipiunt, quàm in lucem homo sit editus. Has igitur meretrices, cùm ingreditur turba, aßilire facit, & quemlibet complecti: quod quam uim habeat, iam antea est explicatum. Quod uerò sequitur, deinde ducunt: id quid sibi uelit in sequentibus ostendemus. Ad quæ priusquam progrediamur, nonnulla explicanda & excutienda uidentur. Nam primum quidem non immerito quis ambigat, cur cùm tres sint rationalium animæ facultatum, quas cognitionis superius esse diximus, unius tantum harum seu actionis seu affectionis dicere mauis, nunc author meminerit reliquis in totũ præteritis. Deinde uerò qua de causa, cùm tot & tam uarij in qualibet etiam ætate animi inueniantur affectus, duorum hic tantum, cupiditatis nimirum & uoluptatis, mentionem fecerit. Ad hæc & illud fortaße quis quærat, quot omnino sint affectus, quáque ratione à summis quibusdam generibus exorsi methodo

*thodo hos inuenire poßimus. Quod igitur ad primum attinet, ſcire oportet minime difficilem hanc eſſe quæſtionem, atque adeò in præcedentibus aliquo modo iam explicatam. Habet enim hæc ætas, qua de nunc agitur, cuius principiū quidem eſt ortus ipſe, finis autem pubertatis initium,* τὸ λογιστικὸν ἀτελὲς, *ut autor eſt Ariſtoles, id eſt, rationis compotem animæ ſiue partem, ſiue facultatem quis dicere malit, inchoatam & imperfectam: ut opinari quidem poßit, ſcire autem & intelligere minimè. Quam etiā ob cauſam quæcunque huic ætati præcepta morum & uitæ traduntur, ea non ſecundùm exquiſitam ſcientiæ rationem, quatenus ſcilicet materia quæq; & huius ſit capax, ipſis proponuntur, ſed dialecticis quibuſdam, ſeu potius rhetoricis probationibus ſuffulta, in ſumma huiuſmodi quæ tenera illa ætas aßequi ualeat: cuius ſanè ſunt generis mythologiæ, parænesſes, exēpla, & quæcunque tandem his ſunt cōſimilia. Et de prima quidem quæſtione hæc hactenus. De ſecunda uerò, eſt autem ea præcedente longè difficilior, illud primū omnium nouiſſe oportet, affectionum alias quidem eſſe ſummas ac ueluti prima quædam genera: alias uerò ſub his quaſi generibus contineri. Et ſummas quidem, alios duos facere,* ἡδονὴν καὶ λύπην, *id eſt uoluptatem & dolorem, quorum de numero Theages eſt, ipſumq; ſecutus Ariſtoteles. Alios uerò quatuor, ut Stoicos, qui* φόβον, *id eſt, metū, &* ἐπιθυμίαν, *quam cupiditatem malim quàm libidinem uertere, iam dictis addūt. Qua autem de cauſa tum hi, tum illi*

ſic ſenſerint, in ſequentibus uidebimus. Habent enim utriq; opinionis ſuæ probabilem certè rationem. Quòd autem à Galeno ex ueterum ſententia quinque animi affectiones numerentur, in libro de propriorum in anima cuiuſque affectuum dinotione & curatione, λύπη, ὀργὴ, θυμὸς, ἐπιθυμία, φόβος, id eſt, dolor, ira, excandeſcentia, cupiditas, metus, id quam rationem habeat, ut ingenuè quod ſentio dicā, prorſus non uideo, quòd neq; has omnes eſſe ſciam (multo enim plures inueniuntur) nec quomodo pro ſummis generibus habeantur inueniam. Verùm quomodocunque de his conſtituatur, id eſt, ſiue ut Theages & Ariſtoteles, ſiue ut Stoici uolunt, aut etiam ut Galenus, cum horum certè nullo noſtro conuenit autori. Nam etſi duas & hic affectiones facit, non tamen eaſdem, quas illi. Quam igitur noſtrum autorem rationem ſecutum eſſe dicemus? An Stoicorum uidelicet, ut ſecundùm caſtigatam ueterum breuitatem, duorum mentione affectuum facta, reliquos quoque ipſis contrarios ſimul intelligi uelit? Hæc enim mihi maximè probabilis uidetur ratio: quanquam neſcio, quid adhuc incommodi in ſe habeat. Nam aliquanto pòſt, ubi Pœna reliquumq; malorum agmen, quod flagitioſos manet, commemoratur, inter cætera doloris quoque fit mentio. An diuerſus hic cenſendus eſt dolor ab eo quem affectibus, qui uirtutum & uitiorum ſunt materia, connumeramus, cùm huius quidem nulla ſit mediocritas, illius autem aliqua omnino inueniatur? Atque ſic quidem explicata quæſtione ſe-

ne ſecunda, ad tertiam ueniamus, in qua de methodo inueniendorum affectuum agebatur. Et primò quam Stoici ſecuti ſunt, oſtendamus: deinceps uerò quam nos maxime legitimam cenſemus. Stoici igitur definito, ut antè dictum eſt, affectu, ſubiectóque, omnes iudicio fieri & opinione, ſumma horum genera hoc modo producere conantur. Aiunt enim omnem affectum ex opinione aut boni, aut mali, eiúsque uel præſentis, uel futuri naſci: ita in uniuerſum quatuor eſſe. Ex præſentis quidem boni opinione, uoluptatem: futuri uerò cupiditatem. Rurſus ex mali, præſentis quidem, dolorem: futuri uerò, metum. Cæterum hæc etſi ex falſis, ut ſuperius eſt demonſtratum, hypotheſibus ſunt orta, conuenienti tamen ratione ac uia ab ipſis ſunt producta. Quas uero deinceps his generibus ſubijciunt ſpecies, eas, ſiquidem methodo procedere uellent, partim ex bonorum & malorum diuiſione, partim ex opinionis circa hæc qualitate & quantitate, alijsq́ nonnullis conſimilibus ſumere debebant: aut quocunque tandem alio modo ex generalium affectionum ſubiectis definitionibus producere. Verùm hi tantum abeſt, ut horum quid fecerint, ut mihi quidem fortuna potius in has incidiſſe ſpecies, quàm artificio aliquo inueniſſe uideantur, cùm nec omnes, nec ullo omnino ordine eas enumerent, ut taceam interim de nonnullis dubitari etiam poſſe, an ſub proprijs collocentur generibus. Cæterum id quod diximus uerum eſſe, manifeſtè deprehendet, qui uel

luptas. Verùm hoc loco animaduertere oportet, hanc quidem præsentis boni opinionem, tum ueram, tum falsam esse posse: affectiones autem reliquarũ partium, ei uel respondere, uel ipsa maiores minorésue esse. Si quidem igitur uera sit opinio, respondeant autem ei aliarum partium affectiones, fit in æstimatrice quidem κατόρθωμα, in reliquis autem partibus εὐπάθεια. Sin falsa altero manente, æstimatricis ἁμάρτημα tantum fuerit: quod uerò ad alias animæ partes attinet, nihil perturbationis deprehendas. Rursus autem sit uera quidem quam diximus boni opinio, sed uel animosæ partis, uel eius in qua cupiditas residet, uel utriusque, huic non respondeat affectio: tum sanè ab errore quidem animus est liber, affectu tamen uitioso laborat: neque uerò hoc tempore animosæ partis εὐθυμία rectè dicatur (est enim hæc eius bona quædam habitudo) sed potius, si quidẽ opinione maior, tumor seu elatio, quam Græci, ni fallor, χαυνότητα uocant. Quòd si autem & falsa quidem sit boni præsentis opinio (uoco autem falsam, non solum quæ id quod malum est, bonum esse statuit, sed etiam eam quæ circa qualitatem eius, aut quantitatẽ, aut aliam quampiam conditionem aberrat, eiq; insuper uel alterius rationis expertis animæ partis, uel utriusque non respondeat affectio) tum sanè & ἁμάρτημα & κακοπάθεια in animo fuerit. Neque uerò has solùm affectionum differentias est inuenire, sed etiam huiusmodi, ubi inter se animæ partes manifestè dissideant, de quibus cùm ad eum autoris locum

per-

peruentum fuerit, ubi de huiusmodi agit affectibus, copiosius disseremus. Nunc quod institutum est prosequamur. Quemadmodum igitur ex præsentis boni opinione hasce affectiones produximus, ita & ex futuri alias quasdam & totidem producemus. Simili autẽ ratione & ex mali tum præsentis, tum futuri opinione. Sed enim hoc loco quærat forte aliquis, cur bitemporeã, ac non potius tritempoream instituerimus diuisionẽ, cùm ex recordatione quoq; præteritorũ tam malorũ quàm bonorũ non paucæ oriri affectiones uideantur: unde & apud Maronem inquit Aeneas,

-forsan & hæc olim meminisse iuuabit.

& Cicero certè, Habet enim, inquit, præteriti doloris secura recordatio delectationem. Verùm nouisse oportet, quæ præterita sunt, recordatione quasi præsentia fieri, eoq; qui hinc oriuntur affectus, eosdem omnino cum ijs esse, quos præsentis boni maliue opinio creat: quod sanè ex Cicerone, libro De oratore ad Quintum fratrẽ tertio est intelligere, cùm inquit, Acerba sanè recordatio ueterem animi curam molestiamq; renouauit. Et ex boni quidem maliue tum præsentis, tum futuri opinione tot sumantur affectionum differentiæ. Rursus autem non paucæ ex eius quod uel boni uel mali causa esse existimatur opinione, oriri possunt affectiones: quas omnes hic persequi neque necessarium esse existimo, neque huic instituto conuenire. Methodum enim harum inueniendarum nunc ostendere, non autem ipsas producere & explicare est animus. Atque hæ quidem

*dem sunt & huiusmodi, quæ ex eius, quod nobis bonum ma lúmue eße arbitramur, itemq́ causæ eiusdem opinione o-riantur affectiones. Ex eo autem quod alteri bonum aut malum, aut eius causam eße existimamus, multo etiã plu-res sumantur, non ea solum ratione quæ modo exposita est, sed etiam dum perpendimus, quomodo tum erga illos affe-cti simus, tum illi inuicem erga nos. Affectos autem cùm dico, non solum id intelligi uolo, amico an inimico in illos animo simus, an illi in nos: sed etiam societatis humanæ gradum, quo ipsis iuncti sumus. Exempli causa, sit ut filio mali quid accidere quis existimet, idq́ præter ipsius culpã & meritum. Nam huius quoque & contrarij habenda est ratio, & si quid his etiam sit finitimum. Hic sanè in patre orietur affectio, quam Græci* ἀγανάκτησιν *uocant, nos indi-gnationem reddere poßumus: quoniam erga filium non ali ter affectus est, atque sui aliquid. At idem id si noto qui-dem alicui accidat, sed cum quo non nimis arcta colliga-tio ipsi est, iam non hic, sed alius creabitur affectus, miseri-cordia nimirum. Atque hæc quidem in uniuersum me-thodus est, qua affectiones sunt producendæ, quáque uete-rum præstantißimi aliqua ex parte usi eße uidentur, alij quidem apertius, alij uerò obscurius. Sed nunc tempus est ut ad autorem nostrum reuertamur, apud quem hæc de-inceps sequuntur:*

Quonam uerò abducunt? Aliæ quidem ad salutem, inquit, aliæ uerò ad perniciem, propter seductionem. O uir admirande, quàm molestam potionem narras.

Cùm

*Cùm & opinionum, ut superius diximus, aliæ quidem sint ueræ, aliæ uerò, quarum longè maxima est turba, falsæ: & cupiditatum ac uoluptatum, hæ quidem naturales, necessariæ & utiles, illæ uerò, & quidem plurimæ, contra naturam, inanes & perniciosæ, cuiuis intelligere promptũ est, illas tum opiniones, tum uoluptates & cupiditates ad salutem nos ducere, has uerò in perniciem agere: idq́ est quod interroganti nunc respondet hospiti senex. Quod uerò additur,* propter Seductionem, *huiusmodi est, ut eius poculum in causa esse intelligamus, quòd pro ueris falsa, pro solidis expreßisq́ adumbrata, pro salutaribus noxia amplexemur. Quare non immerito hospes hoc poculum* χαλεπόν *appellat, nos molestum uertimus. Poßet autem & periculosum reddi, quod hæc uox* πολύσημος *sit, ut nunc sæuũ, nunc molestum, acerbum ac difficile, nunc atrox, nonnunquam & periculosum significet. Cæterum etsi hoc quidem est opinionum, cupiditatum & uoluptatum, quod modo diximus, discrimen, tamen huic præsertim teneræ ætati, qua de nunc agimus, hoc ipsum dinoscere difficile est, quo fit ut omnes ipsi promiscuè adblandiantur, quod & ostendit senex cùm inquit:*

Et omnes certè quidem, inquit, ad optima se nos ducturas esse profitentur, & ad uitam beatã, & bonis omnibus perfectam cumulatamq́. Illi uerò propter ignorantiam & errorem, quem à Seductione hauserunt, quænam uera in hac uita sit uia nõ inueniunt, sed temere oberrãt: quemadmodum uides & eos qui prius ingrediebantur,

huc illuc circunduci, quocunque ipsæ commonstrent. Hoc, inquam, uideo.

*Minimè mirū esse uideatur, si in hac ætate lubrica & incerta constitutis hoc quod ab autore describitur usuueniat, ut nimirum & falsa his uera esse uideantur, & inania & superuacanea necessaria ducant, & noxia pro utilibus consectentur, cùm id temporis sua & propria ratione aut destituantur, aut certè eam imbecillem & imperfectam obtineant, ut aliena potius quàm sua ratione ducantur. Unde non minimi ad uirtutem esse momenti existimamus, si hæc ætas idoneos nanciscatur institutores & doctores, ut & ueris opinionibus statim à tenera ætate imbuatur, & ijs gaudere & dolere, ut inquit Plato, quibus oportet, assuescat. Est enim hæc uera institutio, certaq; ad uirtutem perueniendi uia. Quod si cui non contingat, ut maximæ hominum parti non contingit, hunc uiæ ignoratione temere oberrare necesse est, & nunc huc, nunc illuc circunferri quocunque auocare opiniones, cupiditates & uoluptates uideantur. Neque enim, ut inquit senex, propter ignorantiam & errorem quem à Seductione hauserunt, cuius uis antea explicata est, ueram uiuendi rationem inire possunt, cùm nec de fine rectè constituere, nec de ijs, quæ ad finem perducūt, ualeant, ut merito Persij hoc audiant:*

*Est aliquid quò tendis, & in quo dirigis arcum?*
*An passim sequeris coruos testaq; lutoq;*
*Securus quò pes ferat, atque ex tempore uiuis?*

Ac

*Ac ab ipso quidem ortu ad eam ætatem usque, qua actionis homo compos redditur, ac propriæ rationis usum habere, suiq́ quodammodo iuris, inq́ sua potestate esse incipit, hæc uitæ humana est ratio lubrica planè, incerta & fluctuans, nec uirtutis adhuc, nec uitij particeps, eoq́ nec boni nec mali in hac ætate constituti fuerint. Qui uerò alterutrum esse dicuntur, non quòd nunc tales sunt, hoc nomine gaudent, sed propter eam quam de se præbent spem, & ad uirtutem aut etiam contrarium habitum indolem. Et hic quidem secundi commẽtariorum libri finis esto: in quo etsi quæ ad primum ambitũ pertinent omnia pertractare constitueramus, quia tamen in nimiam excreuit molem, reuocato calculo aliter facere uisum est, & quod primi restat ambitus tertio commentariorum libro explicare.*

In Cebetis Tabulam commentariorum libri secundi finis.

*quam diximus, imbecillitatem fragilitatemq́; : cùm uerò ad summum fuerit peruentum, expedita & facilis. Altera uerò contrà, propter eam quam ad malũ habemus procliuitatem & propensionem, à principio quidem accessu facilis, &, ut sacræ loquuntur literæ, lata & spatiosa, sed cuius extremum in miseriam desinat & calamitatem. Noster uerò autor ad id quod maxima ex parte usu uenire solet respiciens, non autem ad id quod rarum ac supra communem & humanam sortem esse uidetur, & heroibus quibusdam & semideis cõtingere fortasse potest, nõ statim ineunte adolescentia geminæ mentionem uiæ facit: sed alterã tantum, ut dictum est, prosequitur, qua ad infelicitatem pergitur: ac sic demum nonnullis pœnitudinem occurrere facit, quæ ad biuium hoc reuocato homine, alterius itineris ueram ipsi opinionem & cupiditatem rectam duces adiungit. Quare una quidẽ & consentiens tum Pythagoræ, tum nostri autoris hac in parte doctrina est, summam si quis spectet, particularibus tantum quibusdam scopis distincta. Sed his quidem explicatis ad autorem progrediamur, cuius hæc sunt uerba.*

Sed illa quænam est mulier, quæ ueluti cæca & insana esse uidetur, & in lapide quodam globoso insistit? Vocatur, inquit, Fortuna. Cæterum non modo cœca, sed etiam insana & surda est.

*Quæ hoc loco ab authore dicuntur, rectius, ut arbitror, intelligantur, si prius quidnam sit fortuna explicetur: & sitne*

sitne hæc omnino aliquid, an uerò inane tantum nomen, cui res nulla sit subiecta. Videmus enim ueterum hic maximè uariare sententias, alijs quidem hanc penitus è medio tollentibus, & omnium rerum certas quasdam & definitas causas reddere conantibus: alijs uerò, omnia fortuna fieri asserentibus, adeo ut mundi huius eiusq; partium tum ortum, tum conseruationem, adhæc & summo ordine factas motiones anniq; temporum uicißitudines, & quæcunque aliæ sunt statæ eodemq; modo aut semper, aut ut plurimum se habentes rerum mutationes ipsi tribuant, omni penitus sublata prouidentia, ac semel scientijs omnibus & artibus funditus euersis. Sunt & qui inter hos medij, nec omnia fortuna fieri asserant, neque tamen nulla: quorum nec ipsorũ una est oratio, cùm alij plus, alij minus fortunæ tribuant: quorũ omniũ particulatim nunc referre sententias minimè necessarium arbitror. Cùm igitur fortuna fortuitorum quædam causa habeatur, fiat autem sæpenumero ut ex effectu cognoscatur causa, & rursus ex contrario contrarium: ab artificiose & prudenter facti (hoc enim fortuito ut contrarium opponitur) notione exordiamur. Erit enim hoc commodißimum totius huius disputationis initium. Quódnam igitur artificiosè & prudenter factum esse dicimus? An non in quo partes omnes accommodatæ exquisiteq; congruentes ad eum sunt usum, cuius gratia sunt factæ? Sic enim uidemus omnes homines pronunciare, non sanè edoctos, sed natura huiusmodi notionẽ in ani-

mis habentes. Sed horũ ipſorum quæ ſic facta eſſe dicimus, alia quidẽ ſemper eodem modo fiunt, alia uerò ut plurimũ, nonnunquam uidelicet aliquo errato interueniente. Uerũ hæc ſi artificiosè prudenterq́ facti ſit notio, fortuitum nimirũ fuerit, quod ipſum quidem, etſi alicuius gratia factũ nõ eſt, ita tamen in uno alteróue accidit, acſi eius ipſius gratia fuiſſet inſtitutũ. Unde non immerito Ariſtoteles fortunam cauſam per accidens eſſe ſtatuit in ijs quæ ſecundũ electionem alicuius fiunt gratia. Item indefiniti eam eſſe, inquit, hominibusq́ incertam. Atque adeo ſi quis diligenter, quæ ſecundo de Naturali auditione libro ab Ariſtotele de fortuna diſſeruntur perpendat, inueniet profectò nihil aliud eam eſſe, quàm priuationem quandam, & cõſilij prudentiæq́ ac omnino rationis inopiam. Neque uero hoc genere fortunam aliquid eſſe conſtituiſſe abſurdum uideatur, ſed rationi uel maximè conſentaneum, ut ex ijs, quæ iam dicta ſunt, aliquo modo conſtare poteſt: quanquam clarius & ex ſequentibus intelligetur. Cæterũ ipſam uel deam facere, uel alio quopiam modo in cauſarum numerum referre, aut omnino aliquid eſſe ſtatuere, præter omnem rationem eſſe uidetur. Atque hoc quidem ipſum & ueterũ plerique tum Poëtarum, tum Philoſophorũ, & noſter certè autor ſignificare uelle uidetur, dum ipſam cæcam facit, inſanam & ſurdam. Sed operæpretium exiſtimo horum ſingula, quæ ab autore fortunæ tribuuntur, quid ſibi uelint diligẽtius examinare. Primùm igitur omnium eorum

quæ-

quædam, inconstantiam eius & mutabilitatem, quædam uerò temeritatem & amentiam, & omnino, ut diximus, cōsilij & rationis inopiam nobis repræsentant. Nam quòd mulier esse fingitur & in lapide globoso insistere, ipsius mutabilitatem & inconstantiam: quòd uerò cæca, insana & surda, temeritatem & amētiam. Neque enim quisquā est qui ignoret muliebri in genere sexui inconstantiam ferè tribui, ut uirili constantiam. Sed & hoc uel sensui manifestum, nullam figura sphærica uolubiliorem esse, ut rursus firmiorem ac stabiliorem nullam cubica. Cæterum quod ad insaniam pertinet, id certè constat, quòd mentis & rationis quædam sit priuatio. Et quoniam uisus & auditus præcipui sunt ad sapientiam comparandam sensus, quòd horum altero plurimas rerum differentias percipiamus, altero uerò ad institutionem & doctrinam utamur, ut omnino nullus prudentiæ & consilio locus uideretur reliquus, & hos ipsi sensus ademit autor. Atque ex his omnibus id quod superius dictum est, manifestè patet, non antea fortunæ locum esse, quàm ad eam ætatem sit peruentum, qua rationis usum homo iam habere incipit, & actionis compos redditur, quod non prius priuatio alicui propriè tribuatur, quàm cùm, quo tempore aliquid quis natura habere deberet, id ipsum non habeat. Et hæc mea quidem sententia eorum quæ fortunæ tribuuntur uis est & significatio. Quanquam non ignoro horū quædam aliter ab alijs explicari, inter quos est & Pacuuius, cuius hîc uerba subijciā:

*Fortunam insanam esse, & cæcam, & brutam perhibent philosophi,*
*Saxoq; instare globoso prædicant uolubili.*
*Ideo quò saxum impulerit, eò cadere fortunã autumãt.*
*Cæcam, ob eam rem iterant, quia nihil cernat quo sese applicet.*
*Insanã autẽ aiunt, quia atrox, incerta, instabilisq; sit.*
*Brutã, quia dignũ atq; indignũ nequeat internoscere.*

*Sed de his quilibet ut uolet statuat. Illud autem non solum philosophis notum esse uidetur, hominis amentiam consilijq; inopiam, aut fortunam, aut certe huius præcipuam esse causam (quod ex Poli dictis ab Aristotele libro primo τῶ μετὰ τὰ φυσικὰ citatis manifestè constat: Sunt autẽ hæc, ἡ μὲν γὰρ ἐμπειρία τέχνην ἐποίησεν, ἡ δ' ἀπειρία τύχην: id est, nam experientia quidem artem produxit, imperitia uerò fortunam) sed etiam Poëtis, inter quos Iuuenalis Satyra decima sic fortunam alloquitur:*

*Nullum numen habes, si sit prudentia: sed te*
*Nos facimus fortuna deam, cœloq; locamus.*

*Nam hoc modo locum hunc legendum existimo, etiamsi in plerisq; exemplaribus aliter scriptus inueniatur, ut prius illud sic se habeat, Nullum numen abest, si sit prudentia. Quæ etiam lectio, quanquam alteram germanam magis arbitror, constare potest, quòd tota hæc satyra ad Stoicorũ sententiam scripta uideatur, quorum hoc arrogãtissimum est dictum, Quod uiuimus, id deorum munere habemus: ut*

autem

*autem bene & beatè uiuamus, id totum in nostra situm est potestate. Sed his explicatis ad ea progrediamur, quæ apud autorem sequuntur.*

Huius igitur quódnam est opus? Circumit quaqua uersus, inquit, & his quidem facultates eripit, alijs que largitur. Ab ijsdem autem rursus statim aufert quæ dederat, & alijs temere & inconstanter donat.

*Fortunæ præmissa descriptione, deinceps quódnam eius sit opus ostendit: atque id quidem breuiter, sed tamen expresse. Inquit enim ipsam circumire quaquauersus, & his quidem facultates eripere, alijs largiri. Rursus ab ijsdem statim auferre, & alijs dare, sed omnia hæc inconsultò & temere facere, atque adeo parum constanter, quod huiusmodi causæ per accidens maximè conuenit. Neque uerò diuersa ab his, sunt, quæ fortunæ libro Tristium quinto assignat opera Ouidius, cùm inquit:*

*Passibus ambiguis Fortuna uolubilis errat,*
*Et manet in nullo certa tenaxque loco.*
*Sed modo læta manet, uultus modo sumit acerbos,*
*Et tantum constans in leuitate sua est.*

*Atque hoc loco mihi perpendas uelim, quomodo fortunæ delineationi huiusmodi maximè respondeant opera. Nam cùm mulier esse fingatur, & in globoso insistere lapide, ad hæc & cæca, nō mirum, si nunc huc, nunc illuc temere circunferatur. Rursus cùm cæca, insuper autem insana & surda, quî possit dignum atque indignum internoscere?*

*qui iudicio sua distribuere? qui in eius muneribus perpetui aliquid esse? Verùm de his plura à nobis postea dicentur, eo nimirum loci, ubi rursus sub finem fermè tabulæ fortunæ mentionem faciet autor. Nunc quoniam temere & incon stanter sua largiri dixit munera fortunam, quod id etiam ex delineatione eius intelligere sit, docet, cùm inquit:*

Quapropter & hæc nota pulchrè eius naturam indicat. Quænam illa, inquam ego? Quod in globoso lapide insistit. At hoc quidnam tandem significat? Nec tutum nec stabile esse quod ab ipsa proficiscitur donum. Casus enim magni & acerbi incidunt, cùm quis ipsi fidē habeat.

*Quæ hic ab autore dicuntur, manifesta sunt, nec explica tionis indigent. Cæterum quas* ἐκπτώσεις *uocat, nos casus uer timus, quòd hæc uox illi maximè respōdere uideatur. Sunt enim* ἐκπτώσεις, *ut uocis ratio indicat, ut cùm quis secunda fortuna usus subitò hac excidit, quas tum casus, tum ruinas Latini appellare solent. Quod uerò inquit*, si quis fidem habeat, *perinde ualet, ac si dixisset, si quis omissa ratione & prudentia ab ipsa dependeat. Et sic quidem fortu na delineata, eiusq; assignato opere, deinceps ad Comites eius, id est, qui ab ipsa dependent, progreditur, & cuiusmodi hi sint tradit.*

Turba uerò hæc plurima quæ ipsam circunstat, quidnam sibi uult, & qui uocantur? Vocantur hi quidem inconsulti: petit autem horum quilibet quæ à fortuna proijciuntur.

*De ijs qui fortunam circūstant, duo quæpiā interrogat hospes.*

hospes. Prius quid sibi uelint: posterius qui uocentur. Ad quorum posterius, prius respondet Senex, & inquit, ipsos Inconsultos uocari, quòd apud hos demum locum habeat fortuna, qui inconsideratæ sunt temeritatis, ut in superioribus etiam est dictum. Nam qui omnia consilio & ratione instituunt, hi fortunā aut penitus excludūt, aut quàm minimum certè ipsius temeritati relinquunt. Quandoquidem, & hoc merito quis dubitet, an talia quæpiam in uita sint hominum, quæ consilio regi nequeant. Videtur enim id ipsum non solum poëtis (ut Terentio, apud quem in Eunucho sic Parmeno loquitur:

Here, quæ res in se neque consilium, neque modum
Habet ullum, eam consilio regere non potes.
In amore hæc omnia insunt uitia, iniuriæ,
Suspiciones, inimicitiæ, induciæ,
Bellum, pax rursum: incerta hæc si tu postules
Ratione certa facere, nihilo plus agas,
Quàm si des operam, ut cum ratione insanias.)

sed etiam philosophis, quorum non pauci fortunam cum uirtute coniungunt, ad humanæ uitæ eiusq; actionum perfectionem: inter quos Crito est, Hippodamus Thurius, Euryphamus Pythagoreus, Aristoteles, & tota Peripateticorum schola. Cùm enim homo hoc quidem habeat in se diuinum & immortale, illud uerò mortale & caducum: diuini quidem illius ratione, inquiunt, uirtutis & prudentiæ est capax: mortalis uerò occasione fortunæ subiectus.

*Statuunt autem horum alij, quam rationem habet anima ad corpus, eandem habere uirtutem ad fortunam: Et uirtutis quidem esse fortuna rectè uti, fortunæ autem sui usum uirtuti præbere. Crito autem & eiusdem quidem est & ipse sententiæ, sed aliam quampiam ex mathematicis, utpote in his uersatus, adhibet similitudinem. Subijciam autē eius hic uerba, quæ sanè breuiter multa cōplectuntur.*

φρόνασις καὶ εὐτυχία ὧδε ἔχοντι ποτ' ἄλλαλα. φρόνασις μὲν, τὸ ῥητὸν καὶ λόγον ἔχον. τεταγμένον γάρ τι καὶ ὡρισμένον ἔντι. εὐτυχία δὲ, τὸ ἄρρητον καὶ τὸ ἄλογον. ἄτακτον γάρ τι καὶ ἀόριστον ἔντι. καὶ τὸ μὲν ἀρχᾷ καὶ δυνάμει πρᾶτον. τὸ δὲ ἀρχᾷ καὶ δυνάμει ὕστερον. τὸ μὲν γὰρ κυβερνῆν καὶ ὡρίζειν πέφυκε. τὸ δὲ κυβερνῆσθαι καὶ ὁρίζεσθαι. λαμβάνοντι μάντοιγε συναρμογὰν ἀμφότερα, φρονάσιος καὶ εὐτυχίας εἰς ταυτὸ συνδραμοίσας. ἀεὶ γὰρ δεῖ τὰν μὲν ῥητὰν καὶ λόγον ἔχοισαν φύσιν, ἔχεν ὃ περανεῖται καὶ συντάξει. τὰν δὲ ἄρρητον καὶ ἄλογον, ἔχεν ὑφ' ὧ περαθήσεταί τε καὶ συνταχθήσεται. ἔχει γὰρ οὕτως ὁ λόγος περὶ πάντων, ὅ τε τᾶς ἀπείρου φύσεως καὶ τᾶς περαινοίσας. τὰ μὲν γὰρ ἄπειρα, φύσιν ἔχει περαίνεσθαί τε καὶ συντετάχθαι ὑπὸ τῶν λόγον ἐχόντων καὶ φρόνασιν. ὕλας γὰρ καὶ οὐσίας ἔχοντι τάξιν. τὰ δὲ περαίνοντα, ἐξ αὐτέων συντετάχθαι τε καὶ ὡρίσθαι, τέχνας γὰρ καὶ αἰτίας ἐνεργατικᾶς ἐπέχοντι τάξιν. *id est,*

*Prudentia & secunda fortuna sic ad se mutuo sunt affecta: ut prudentia id sit, quod certum est, & rationem habet. Nam ordinatum quoddam ac definitum est. Secunda uerò fortuna, incertū & irrationale. Inordinatum enim quoddam & indefinitum est. Et illud quidem origine ac potentia prius: hoc uero origine & potentia posterius. Nam illud quidem gubernare & definire natura solet: hoc uero gubernari & definiri. Atenim conueniunt, si-*

biq; mutuo hæc ambo adaptãtur, in idem concurrente prudentia & secunda fortuna. Nam semper, certam quãq; ratione habente naturam, quod determinet & ordinet habere oportet. Incertam autem & irrationalem, à quo determinetur & ordinetur. Nam in omnibus sic se res habet de infinita & finiente natura. Quæ enim infinita sunt, ut determinẽtur & ordinentur ab ijs, quæ ratione & prudentia sunt prædita, naturam habent idoneam, utpote cùm materiæ & substantiæ rationem obtineant. Quæ uerò determinant, ut ab ipsis ordinentur & definiantur, cum artis & causæ efficientis locum sibi uendicent. Sed hæc quidem posteriora philosophorum, non id, de quo dubitatur, probare uidentur: sed illud potius ostendere uelle, ad humanas actiones & operationes utrunque concurrere necesse esse uirtutem & fortunam, sed ita ut fortuna quæpiam ueluti materia sit, circa quam se uirtus explicet, aut certè organicæ causæ rationem subeat, ut & ab Aristotele libro Moralium ad Nicomachũ primo docetur. Quanquã ita mihi ambiguè nonnulli ex ijs, quos modo commemoraui, loqui uidentur, ut sæpenumero dubitem, ánne præstantiorem aliquam planeq; diuinam causam seu τύχης seu εὐτυχίας nomine significare uelint. Hippodamus enim Thurius cùm eorum, qui perfecti censentur, duo genera fecisset, & alios quidem secundùm naturam perfectos esse dixisset, bonos nimirum solos, quiq; uirtute præditi sunt: alios uerò secundùm uitam, qui non solum boni sunt, sed etiam beati,

hæc

*hæc deinceps subijcit. Nam beatitudo quidem, uitæ humanæ est perfectio. Vita uerò humana, actionum coniunctio ac congregatio. Ipsa autem beatitudo, actiones absoluit, & ad exitum perducit. Cæterum absoluit actiones uirtus & fortuna: quo ad usum quidem, uirtus: quo ad directionem autem, fortuna secunda. Atenim deus neque uirtutem ab aliquo doctus, bonus effectus est, neque fortuna adiutrice, beatus. Natura enim bonus est, & natura beatus: semperq; & fuit & erit, nec unquam talis esse desinet, incorruptus cùm sit, & natura bonus. Homo autem neq; natura bonus est, neque natura beatus: sed disciplinæ & prouidentiæ indiget: ut bonus quidem reddatur, uirtutis: ut uerò beatus, secundæ fortunæ. Ex quibus, si quid ego iudico, manifestè constat, uirtute præstantiorem causam ab ipso haberi fortunã, quam modo τύχην, modo εὐτυχίαν appellat: & tanto certè præstantiorẽ, quanto bonitate beatitudo est superior. Sed & sequentia idem quodãmodo probare uidentur, ubi uirtuti, laudem: secundæ uere fortunæ, μακαρισμόν, id est (ut quàm proximè reddamus) beatificationẽ tribuit. Neque uero id mirum uideri debeat, cùm, mea quidem sententia, per τύχην & εὐτυχίαν, non huiusmodi causam per accidens, cuiusmodi superius descripsimus, intelligat, sed potius πρόνοιαν, id est, prouidentiam omnia regentis & gubernantis dei, ut ex eius uerbis à me citatis est intelligere, in quibus μάθησιν & ἀρετὴν, id est, disciplinam & uirtutem, rursusq; πρόνοιαν & εὐτυχίαν, id est, prouidentiam & secundam*

*dam fortunam aut pro eodem usurpat, aut certè ut alterum alterius sit causa. Nec obstat quod apud eundem autorem statim sequitur, uirtutem quidem, propter diuinam conditionem nos habere: bonam autem fortunam, propter mortalem. Immo uerò etiam hoc nostram magis cõfirmat opinionem, si quis rectè, & ut oportet, autoris uerba intelligat. Inquit enim hominem duplicis conditionis & naturæ participem esse: diuinæ, & mortalis: & illius quidem occasione, uirtutis, quæ actionum est domina, capacem esse: huius uero, fortunæ: idem autem est ac si diuinæ prouidentiæ dixisset, quòd hæc rerum euenta, quæ in rebus agendis & efficiendis maxima à Socrate apud Xenophontem libro* τῶν ἀπομνημονευμάτων *primo uocantur, sibi potissimum reseruauit, subiectum esse. Cæterum huic nostræ expositioni suffragari uidentur, quæ deinceps subijcit Hippodamus. Apponam autem eius uerba Græca à nobis integritati suæ restituta, quòd lectio hoc loco deprauata uideretur.* Ἐξήρτηται δὲ, *inquit,* τὰ μὲν θνατὰ, ἀπὸ τῶν θεῶν, καὶ τὰ ἐπὶ γῆς, ἀπὸ τῶν οὐρανίων, τὰ δὲ χείρονα, ἀπὸ τῶν βελτιόνων. καὶ διὰ τοῦτο ὁ μὲν ἑπόμενος τοῖς θεοῖς, ἀγαθὸς εὐδαιμονεῖ: ὁ δὲ ἑπόμενος τοῖς θνατοῖς, κακοδαιμονεῖ.

*id est, Pendent autem mortalia quidem ex dijs, & quæ in terra sunt ex cœlestibus: deteriora autem ex præstantioribus. Eamq́ ob causam qui deos sequitur, bonus cùm sit, beatus redditur: qui uerò mortalia, miser. Ac hæ quidem de fortuna philosophorum sunt sententiæ, ut quispiam existimauerit, nec inter se, nec cum autore nostro consentientes:*

*ut rei autem ueritas habet, & ueræ omnes, & ſibi mutuò conſentaneæ. Nam cùm τύχη, id eſt, fortuna multis dicatur modis, & nunc quidem ſic accipiatur, ut in rationis & conſilij priuatione tota conſiſtat, cauſaq́ per accidens ſit, qua ratione arti & prouidentiæ opponitur, ut in hoc problemate, πότερον τύχῃ τινὶ τὰ κατὰ τὸν κόσμον διοικεῖται ἢ προνοίᾳ, id eſt, utrum fortuna quapiam mundus gubernetur, an prouidentia. & Claudiani illo, Fortuna nõ arte regi. nũc uerò, pro externis appellatis bonis, quæq́ in his ſunt uiciſsitudines & uarietates: interdum autem & pro euentu & negotij cuiuſlibet exitu, qui etſi conſilia actaq́ plurimũ ſequitur, nec ferè citra labores proſper occurrere ſolet, unde rectè in Electra Sophocles,*

πόνου τοι χωρὶς οὐδὲν εὐτυχεῖ.

*tamen, ut rectè à Socrate eſt dictum, maximam partem ex diuini pendet numinis arbitrio: cùm quidem in prima ſignificatione accipitur, merito ea ipſi tribuuntur, quæ apud noſtrum habentur autorem. Cùm uero in ſecunda, uidetur ſanè materiæ cuiuſpiam, ad uirtutem & prudentiã collata, rationem ſubire, quod in externorũ bonorum uſu, ijsq́ quæ in his habentur uiciſsitudines & mutationes, uirtus potiſsimum & prudentia eluceſcat, dum aduerſa fortiter, proſpera moderatè ferimus: in ſumma quæ occurrũt omnia arte ac prudentia quadã regimus ac moderamur. Nam ut inquit Comicus:*

*Ita uita eſt hominum, quaſi cùm ludas teſſeris,*

*Si illud, quod maximè opus est, iactu non cadit:*
*Illud, quod cecidit forte, id arte ut corrigas.*

*In tertia autem significatione cùm usurpatur, non malè ipsi conueniunt, quæ ab Hippodamo tribuuntur, quæ sunt à nobis superius satis explicata. Et de philosophis quidem hactenus. Quod uero ad ea attinet quæ superius ex Terentio sunt adducta, scire oportet eum locum ad fortunam propriè non pertinere, sed ad affectum immoderatum & uitiosum, quem perturbationem rectè uocauerimus. Est enim eius natura non solum rationis expers, sed etiam quæ cum ea è diametro pugnet, ut nunquam ipsam admittere, aut cum ea coniungi possit. Quare quod de affectibus in genere malè asserit Seneca, de huiusmodi rectè dicatur. Facilius est excludere perniciosa, quàm regere: & non admittere, quàm admissa moderari. Nam cùm se in possessione posuerunt, potentiora rectore sunt, nec recidi se minuiue patiuntur. Deinde ratio ipsa, cui freni traduntur, tamdiu potens est, quandiu diducta est ab affectibus. Si miscuit se illis & inquinauit, non potest continere, quos submouere potuisset. Commota enim semel & excussa mens, ei seruit, quo impellitur. Quarundam rerum initia in nostra potestate sunt, ulteriora nos sua ui rapiunt, nec regressum relinquunt. Ut in præceps datis corporibus nullum sui arbitrium est, nec resistere morariue deiecta potuerũt, sed consilium omne & pœnitentiam irreuocabilis præcipitatio abscidit, & non licet eò non peruenire, quò non ire*

 licuis-

licuisset: ita animus si in iram, amorem, aliosq; se proiecit affectus, nō permittitur reprimere impetum, rapiat illum oportet, & ad imum agat suum pondus, etiam uitiorum natura procliuis. Sed his quidem explicatis rursus ad nostrum reuertamur autorem, uideamusq; quid apud ipsum Senex ad priorem interrogationem secundo respondeat loco. Inquit igitur horum quemlibet petere quæ à fortuna proiciuntur: quibus & donantis temeritatem, & petentium amentiam simul ostendit: & illius quidem temeritatem, quod nullo iudicio sua spargat & proiciat, nec digni nec indigni ratione habita. Horum autem amentiã, quòd quæuis temereq; oblata sic appetant, nō æstimãtes ipsisne hæc utilia an inutilia, aut etiam damnosa sint futura. Neque uero hoc loco quempiam moueat, quòd hæc, quæ fortunæ appellantur bona, Aristoteli absolutè simpliciterq; bona habeantur: in quo tamen ab ipso tum autor noster, tum Stoici dißident, qui hæc ἀδιάφορα. id est indifferentia, ut Cicero uertit, uocant. Neque enim quæ simpliciter sunt bona, illico & cuilibet bona fuerint, non magis herclè quàm quæ simpliciter salubria, cuiuis salubria. Ut igitur, qui in morbo est cōstitutus, nō rectè faciat, si simpliciter salubria sibi offerri iubeat, sed ea potius expetere debet, quæ ipsi sunt salubria: ita & qui animo parum ualent saniq; sunt, non quæ simpliciter bona sunt appetere debet, sed quæ ipsis sunt bona. Atque hoc est, quod Moralium ad Nicomachum libro quinto docet Aristoteles, cùm de fortunæ bonis

*nis agens sic inquit: Quæ sunt quidem absolutè semper bona, cuidam uerò nõ semper. Cæterum homines hæc optant & consectantur. At non oportet: sed optare quidem, ut quæ absolutè sunt bona, & ipsis sint bona, eligere autem quæ ipsis sunt bona. Verùm hac de re libro commentariorum ultimo copiosius disseremus, ubi & id cõsiderabimus, utrum Aristotelis, an nostri autoris, & Stoicorum uerior sit sententia. Nunc quæ apud nostrum autorem sequuntur audiamus.*

Qua igitur ratione non idem est omnium uultus, sed horum quidem alij gaudere uidentur, alij uerò extentis manibus tristantur?

*Quid commune sit omnibus qui ex fortuna pendent, superior explicuit oratio. Nunc autem de horum differentia percontatur hospes, quòd in pictura non eundem omnium uultum animaduertat: sed hos quidem gaudere & exultare conspiciat, illos uerò tristari, lamentari, manus proijcere, in summa incompositè inordinateq́ doloris signa edere. Cui sic interroganti respondet Senex:*

Qui gaudere & ridere ex ipsis, inquit, uidẽtur, hi sunt, quibus fortuna aliquid contulit: qui sanè & bonam fortunam ipsam nominant. Qui autem flere ac manus extendere uidentur, hi sunt, à quibus abstulit quæ prius dederat: hi autem rursus malam fortunam ipsam appellant.

*Qui ex fortuna pendent, eiusq́ muneribus inhiant, non solum otiosi sunt homines, artium omniũ & disciplinarũ rudes, expertesq́ consilij & ingenij, sed etiam qui eò uani-*

*tatis leuitatisq; peruenerint, ut neutrã fortunam moderatè ferre queant. Nam rebus quidem secundis, ita efferuntur, exultant, immoderateq; iactantur, ut nihil in ijs compositi, nihil sani deprehendas: dicant autem faciantq; quod ipse   Non sani esse hominis, non sanus iuret Orestes.*
*Rursus autem aduersis ita contrahuntur, animo deijciuntur, lamentantur, omnemq; tristitiam præ se ferunt, nihil ut in his constantiæ & decoris animaduertas, sed effœminata, fracta, abiectaq; omnia. Atque id quidẽ est, quod hospiti respõdet Senex. Cæterum qui commodiore usi sunt fortuna, inquit, hi bonam eam appellant: qui uerò contrà aduersam hanc experti sunt, malam: ut nimirum hinc hominum inconstãtia & stultitia uel maximè intelligatur, dum eandem bonam & malam faciunt, & modo quidem ipsam laudant, modo uero eandem uituperant. Sed quoniam hanc hominum stultitiam & leuitatem pulchrè depingit Plinius libro Naturalis historiæ primo, cap. septimo, non pigebit eius hic uerba subijcere. sunt autem hæc: Inuenit tamen inter has utrasque sententias medium sibi ipsa mortalitas numen, quo minus etiam plana de deo coniectatio esset. Toto quippe mundo, & locis omnibus, omnibusq; horis, omnium uocibus Fortuna sola inuocatur: una nominatur, una accusatur, una agitur rea, una cogitatur, sola laudatur, sola arguitur, & cum cõuitijs colitur, uolubilis, à plerisque uerò & cæca etiam existimata, uaga, inconstans, incerta, uaria, indignorum fautrix. Huic*

omnia

*omnia expensa, huic omnia feruntur accepta: & in tota ratione mortalium, sola utranque paginam facit.*

Quænam igitur sunt, quæ ipsis dat, quòd ij, qui hæc accipiunt, sic lætentur, qui uero amittũt, fleant? Hæc, inquit, ea sunt, quæ hominibus plerisq; bona esse uidentur.

*Optimo ordine procedit autor. Nam descripta fortuna, eiusq; opere aßignato, itemq; ijs qui ex hac pendent: nunc quænam sint ea dona, quæ tam auidè inconsulti isti & inertes fortunæ comites ab ipsa expectant, ut eorũ adeptione sic gaudeant, amißionẽ uerò tam indignè ferant, docet. Inquit igitur ea esse, quæ hominum pleriq; & uulgares bona existimant: non quidem, ut noster uult autor, prorsus aberrantes (sunt enim ipso genere suaq; natura, ut rectè censet Aristoteles, bona) sed in hoc tantum decepti, quòd plus ijs quàm oportet tribuant. Sed de his, ut dictum est, ultimo Commentariorum libro agemus. Cæterum quoniam ex hac senis responsione, nondum satis distinctè cuiusmodi ea sint sciri potuit, rursus hospitem interrogantem, & ipsi respondentem senem facit autor.*

At enim quænam hæc sunt? Diuitiæ nimirum, existimatio, generis claritas, liberi, tyrannides, regna, & quæcunq; reliqua his sunt finitima.

*Hoc explicationis genus, quo nunc utitur autor ad docendum, quænam sint illa, quæ hominũ uulgo bona dicuntur, nonnulli* ὅρον τυπώδη *appellare solent, quo neque rei substantia & natura ostenditur, neque notio, quam de ea homines*

*homines habent aperitur: sed subiectis quibusdam particularibus tanquam speciebus, cuiusmodi uniuersum sit genus indicatur. Ait autem hæc quæ bona uulgo censentur diuitias esse, quæ tum ad usus uitæ necessarios, tum ad perfruendas uoluptates expetuntur, consistuntque non solum in auri argentique talentis, & nummorum copia, sed etiam uinetis, segetibus, oliuetis, cæterisque prædiorum fructibus, ouibus, bobus, gregibus armentorum, reliquique pecoris, &, ut semel dicam, possessionibus omnibus uitæque commoditatibus: ad hæc existimationem, nominisque celebritatem, generis claritatem, liberos, tyrannides, regna, & quæ his sunt finitima: sub quibus non solum externa appellata bona continentur, sed etiam corporis, in summa quæcunque organicam naturam obtinent. Quæ noster quidem autor inter bona habenda minimè censet, ut superius Senis oratio innuere uidebatur, cùm diceret, quæ hominibus plerisque, id est, uulgo bona esse uidentur. quod animaduertens hospes, huiusmodi interrogationem subijcit:*

Atqui hæc quomodo non in bonis sunt habenda?

*Non immerito dubitat & quærit hospes, cur hæc bona non sint censenda. Videtur enim hoc non solum communi hominum notioni repugnare, sed etiam celeberrimorum philosophorum placitis, Platonis puta, Aristotelis, Theophrasti, reliquorumque qui horum doctrinæ comprobatores sunt atque æmuli. Verùm nunc quidem huic quæstioni non satisfacit Senex, sed eam ad finem libri reseruan-*

*seruandam censet, cùm inquit:*

Posterius, inquit, de his differemus: nunc in fabulæ explicationem incumbamus. Fiat sanè ut uis.

*Cùm hoc loco ab hospite propositam quæstionem tractare & explicare recuset Senex, sed in posterum differat, nec nobis necessarium arbitror eam nunc excutere: multo autem minus & aliorum philosophorum de bonorum diuisione sententias recensere atque examinare: sed cùm eo loci peruentum fuerit, tum sanè quod ad hanc rem pertinere uidebitur, nihil à nobis omittetur. Nunc autem, quando eò uocat autor, ad fabulæ explanationem rursus nos conuertamus.*

Vidésne igitur, cùm portam hanc præterieris, alium superiorem ambitum, & mulieres extra ipsum stantes meretricio more ornatas? Maximè.

*Cùm quæ fortuita appellantur bona, ad uirtutes, ut superius est dictum, & uitia materiæ cuiusdam rationem obtineant, non immerito eorum explicatione præmissa, nunc de uitijs quidẽ primo, quæq; ipsa concõmitantur mala & calamitates disserere incipit, deinde de ijs quæ ad uirtutis pertinent naturã acturus: quod qua ratione ab autore sit factum, prius est explicatũ. Cæterum quoniã utilissimam hanc uitiorum & uirtutum tractationem hypothesis quædam præcedere uidetur, cùm aliàs nonnunquam, tum hoc nostro præcipuè tempore à malè feriatis nonnullis in controuersiam uocata, operæpretiũ sanè uidetur, de hac non-*

nihil disseruisse. Est autem ea, quæ homini libera tribuitur uoluntas, seu ut communiter, qui hac de re agunt & disse-runt, loqui solent, liberum arbitrium: quod qui homini adi-munt, quàm multifariam peccent, quotq́ incurrant in-commoda, & quæ omnium mentes aspernentur ac respu-ant, si prius ostenderimus, non inutile idipsum & ad hypo-thesis constitutionẽ maioremq́ fidem deprehendemus. Pri-mum igitur omniũ, qui hominẽ uoluntate libera spoliant, id est, nihil in ipsius potestate relinquunt, hos duorũ alterũ statuere necesse est. Aut enim à superioribus & præstan-tioribus hanc ipsi facultatẽ adimi: aut ab inferioribus & deterioribus naturis: aut, si omnino nullũ diuisionis mem-brum omitti debeat, ab utrisque. Et à superioribus qui-dem & præstantioribus, ut qui ex diuina prouidentia & prædestinatione causarum seriem sempiternam introdu-centes omnia necessitate fati deuinciant. Ab inferioribus uerò & deterioribus, ut qui mentem quidem humanam & rationem, ob primi parentis lapsum, tantis tenebris op-pressam, nihil ut cernere queat, uoluntatem autem, ita cu piditatibus reliquisq́ irrationalibus affectibus ac omnino malorum generi omni, eorumq́ autori diabolo subiectam esse ac seruam statuant, in sua potestate nunquam ut sit ho mo, nihil unquam arbitrio suo faciat, semper eò tractus quò hæc rapiant. Ab utrisque autem, ut qui nunc quidem à superioribus hominem cieri & agitari necessario asse-rant: nunc uerò ab inferioribus occupari & abripi, ita ut

nullam

nullam portionem nec ad hunc, nec ad illum motum ipse conferat, aut si quid conferat, non aliter atque iumentum quoddã, quod ad sessoris arbitrium impellitur. Quanquã & sic nonnulli nimium humanis uiribus tribui existimãt, si iumento comparetur. Quare ipsum potius rotæ molari, rei nimirum inanimatæ, quæ ab aqua circumagitur, conferendum censent: ut si in hanc quidem partem decurrat aqua, eò uersus & rotam impellat: si uerò sursum uersus, quod dici solet, sacra ferantur flumina, in contrarium etiam penitus agãt. In summa alieno & externo pulsu semper, non autem ex se & sua sponte ullo unquam tempore hominem moueri asserunt, tantum abest ut ipsi liberum faciant, ut actionum suarum sit autor & dominus. Cæterũ hæc quàm absurdè dicãtur omnia, consideremus, à primis illis initio facto. Videntur autem hi, dum erga deum maximè pij esse uolunt, non satis honestam de eius numine opinionem habere, atque adeo ex prouidentia causarum serie sempiterna introducta, ipsam quodammodo prouidentiam labefactare: insuper autem & Deum, cui non solum Christiana religio, sed etiam communis nationum omnium consensus summam tribuit sapientiam, infra uilissimos quosq; artifices abijcere: siquidem hos, eorũ quæ ab arte faciunt, nihil frustra facere existimant: illum autem quæ in homine sunt præstantissima, planeq; ut quis dixerit, diuina, ad nullum penitus usum & finem retulisse, ex ijs quæ asserunt statuere uidentur. Quòd uerò hæc ita, ut dixi, se ha-

 beant,

beant, manifestè constabit, si diligentius quæ ipsorum sequantur opinionem consideremus. Sequitur igitur primo quidem, ut qui omnia quæ fiunt, fieri causis antecedentibus, definitis, & quæ necessario effectus subsequentes habeant, uelint, frustra de rebus agendis deliberare homines, & consultare statuant, cùm omnis deliberatio in ijs uersetur tantum, quæ & hoc modo fieri à nobis & aliter possint. Eamq; ob causam neque de sempiternis consultamus, neque de ijs, quæ sine controuersia necessario fiunt, quòd ex huiusmodi deliberatione nihil penitus nobis accedat. Sed neque de ijs, quæ non necessario quidem fiunt, alienæ autem & non nostræ potestati sunt subiecta, quod & in eam, quæ de his initur, consultationem inanis & superuacanea insumatur opera. Neque uerò rursus de ijs omnibus, quæ ad nostras actiones pertinent, deliberamus, neque enim de præteritis, sed de ijs tantum, quæ à nobis confici possunt futuraq; sunt, utpote ex qua consultatione aliqua ad nos utilitas redeat. Quam cùm funditus tollant portentosi huius dogmatis autores & comprobatores, quomodo non in Deum iniuriosi & contumeliosi inueniantur, hominem ab ipso consilij & rationis participem frustra factum asserētes? Neque enim idipsum, quanquā sunt sanè impudentissimi, unquam eos negaturos existimem, quod manifestissimum est, hominem scilicet præter eas, quas cum reliquis animalibus communes obtinet potentias, rationis insuper & intelligentiæ ui, facultate non solum speculatri-

*ce, sed etiam consultrice, ac prouida utilitatum oportunitatumq́ instructum & ornatum esse. Verùm hanc quidem si homini consilij capiendi facultatem concedant, ut & euidentia postulat, rerum usus docet, & ea ipsa quæ quotidie tum priuatim & in re familiari, tum publicè & in ciuilibus aut etiam ecclesiasticis negotijs ab ipsis fiunt attestantur: fieri autem nequeat, ut quicquam frustra aut à deo, aut etiam natura fiat ex ijs quæ prima & principali ratione, non autem consecutione quadam & casu principalium illorum assecla, ab ijs fiunt, nemini dubium, quin ad aliquem omnino usum hæc ei uis & facultas à Deo natura sapientissimo sit data. Quo concesso & illud necessario sequitur, esse quædam quæ in nostra sunt potestate, & quorum domini sumus, ac proinde in his arbitrij libertatem nos obtinere: quod Græcorum tum Philosophorū, tum Theologorum plurimi* τὸ ἐλεύθερον καὶ αὐτεξούσιον *uocarūt, non hercle per id significare uolentes, quòd imperitè nonnulli existimant, quòd tota nostri penes nos sit potestas, sed quòd eorum, quæ nostræ consultationi sunt subiecta, domini simus, ut in his liberum nobis sit oppositorum utrūlibet & eligere, &, nisi ab externo aliquo impediamur, etiam agere. Neque uerò in hoc tantummodo incommodi & absurdi incurrunt paradoxologi isti, sed etiam hominum uitam uniuersam, quantum quidem in ipsis est, perturbant & euertunt. Nam cùm huiusmodi pernicioso errore hominum animos auresq́ compleuerint, neque tamen propter ipso-*

*ipsorum falsam opinionem res aliter se habere atque nunc habent possint, quid aliud euenire necesse est, quam ut homines, quæ multo sudore ac labore constant, hæc quidem ualere iubeant: ea autem sectentur, quæ procliuia sunt, uoluptatemq́ coniunctam habent: atque ita uirtutis & honestatis omnis neglectio atque adeo despicientia quædam obrepat, plenis autem, quod dici solet, uelis ad uitia malorumq́ genus omne contendatur, quòd ad hæc quidem facilis & expedita sit uia: illa uerò non nisi corporis labore & animi contentione comparentur: quæ cur quis sustineat, cùm prorsus quod futurum est, necessario sit futurum, neque ratione nostra, neque uolũtate ac uiribus fato reluctari ualentibus? Quare & si quis huius decreti æmulatores reprehendere aggrediatur ex ijs ipsis, qui huius dogmatis uel autores sunt, uel patrocinium susceperunt, nónne merito ipsis ridiculus uideatur, & aliena à sua professione facere? audiatq́ illud, quod omnibus in promptu est eius farinæ hominibus?* Ἐγὼ δ᾽ οὐκ αἴτιός εἰμι. *id est,*

*Non ego causa fui, sed Deus, qui omnia tam mala quàm bona in nobis & necessario operatur. Nam & hoc unum est ex præclaris illis paradoxis, quibus gigantea ista ingenia optimi & beneficentissimi numinis maiestatem lædere non uerentur, non solum ipsum autorem mali & peccati facientes, sed etiam necessitati subijcientes: quorũ utrunq; quàm sit impium, posterius suo loco docebitur. Nunc autẽ in instituto sermone pergamus. Nullus igitur apud hos nõ*

*solum*

solum reprehensioni & obiurgationi locus, sed etiam neque suasioni aut dissuasioni fuerit, neque laudationi aut uituperationi, neque promissioni aut comminationi, ut frustra ab ipsis populi docendi & concionandi munus suscipiatur. Hæc enim ab ijs agi par est, qui eam rerum humanarũ conditionem existimant, ut etiamsi fere propter uitiatæ naturæ imbecillitatem in uitia & impietatem propendeant homines, retrahi tamen inde possint, & ad uirtutem, honestatem & pietatem impelli, illinc quidem pudore & metu auocati, huc autem spe & laude incitati. Quo cùm iam impetum conceperint, deinceps doceant, quæ sit uera ad uirtutẽ & beatitudinem perueniendi uia: quorum nihil qui mentem hominis uoluntate libera spoliant, & fati necessitate deuinciunt, si sibi consentanei esse uelint, facere queant. Multo autem minus, ad quod tamẽ nonnulli ex his prompti sunt ac præcipites, leges condere audeant: quarum & ipsarum naturam uniuersam intercidere necesse est, hoc semel dogmate recepto, ac proinde omnem societatem ciuilẽ labefactari. Nam quibus remp. duabus rebus contineri dixit Solon, præmio & pœna, hæc rectè factis & peccatis proponi iustè non poterunt. Sed neque sontes puniri, cùm tales non sua sint culpa, sed fati potius necessitate. Desinantq; leges necesse est, cùm quod imperent, uetent, permittant, puniant non sit, non solum iuris Cæsarei dico & Pontificij, quorum illud quidem, utpote ab Ethnicis maxima ex parte profectum, facilè contem

nant,

nant, hoc autem, uelut exosum, insuper proterant & conculcent: sed etiam Diuini, quæ partim quidem per Moysem populo Israëlitico, partim uero per Christum & Apostolos eorumq; successores nobis sunt traditæ. Iam uerò nec magistratus uis ulla sit necesse est, cùm quas leges seruet non habeat, frustraq; præscribat recta & utilia, quæq; ad reip. conseruationem faciant, cùm hæc in nostra minime sint potestate. Senatus etiam, qui publici consilij autor & dominus est, quæ tandem erit utilitas, cùm frustra omnis de bello & pace, inuehendis & euehendis, equitibus aut peditibus conducendis, reliquisq; id genus deliberatio instituatur, si omnia necessario eueniāt, nihil autē in rebus sit, quod & hoc & illo modo accidere queat? Sed & iudicis officium omne tollatur, nec quicquam interfuerit inter infortunium & peccatum, iniuriam perturbatione aliqua animi & consulto factam. Omnia enim hæc pari ratione ex necessitate pēdent. Ac ne singula persequendo sim longior, non solum ex hoc dogmate legibus ac iure labefactato dissoluitur omnis humana consociatio, sed etiā erga Deum pietas, sanctitas & religio funditus euertitur. Nam quis quæso honestam de dei numine opinionem habere poterit, quis tanquam beneficū ipsum uenerari ac colere, qui quæ fatali necessitate faciunt homines, horum non secus ac si sua sponte facerent, pœnas ei pendere cogi arbitretur? quis autem deo uota nuncupare, & cum Iacob dicere, Si fuerit dominus mecum, & custodierit me in uia per quam ego ambulo,

ambulo, & dederit mihi panem ad uescendum, & uestimentum ad induendum, reuersusq; fuero prosperè ad domum patris mei: erit mihi dominus in deum, & lapis iste quem erexi in titulum, uocabitur Domus dei, cunctorumq; quæ dederis mihi, decimas offeram tibi: qui nec suo quicquã subiectum arbitrio, nec deum honestis & pijs institutis uocatum adesse, eorumq; consilia & actiones dirigere, & ad optatum finem perducere existimet, sed omnia necessitati subiacere? Iam uero & oraculorum nullus erit usus, si nec in potestate nostra sit quicquam, nec in rebus huiusmodi aliquid, ut, hoc quidem si faciamus, talis occurrat euẽtus, illud uerò, diuersus. Quid ergo dominum consulit Dauid, nunc quidem, an aduersus Philistæos ire & pugnare debeat: nunc uerò an in Ceilam sit descensurus Saul, sintq; uiri Ceilæ ipsum & qui cum eo erant tradituri in manus Saul, si omnino quod erat euenturum, non potuit nõ euenire? Cæterũ quod dico, manifestè patebit, si quid sit oraculum, quæq; eius uis cognoscatur. Videtur autem, ut ingenere dicamus, nihil aliud esse quàm dei responsum. Nam & id uocis ratio quodammodo indicat. Itaque cùm ambiguus rei alicuius euentus esse uidetur, ut in huiusmodi sæpenumero usuuenire solet, neque satis de eo nostra ipsorum prudentia & solertia conijcere & constituere possumus, tum sanè, si humani uires ingenij res non excedere uidetur, ad prudentiorem magisq; sagacẽ hominem uel unum, uel plures conferre nos solemus: sin omni humana sagacita

*te & coniectura res maior sit, tanquam ad sacram ancoram, deum confugimus, eius huiusmodi de euentu sciscitaturi sententiam, quæ consilij cuiusdam nobis usum præstet. Probatum autem superius est, circa ea consilium uersari, quæ fieri quidem & hoc & illo modo poßint, à nobis autem fieri: eoq; hactenus consultando pergimus, ut rectè docet Aristoteles, quousque resoluendo actionis principium in nos deduxerimus: quod & hic fecisse Dauidem uidemus. Et in priori quidē hoc modo. Nam cùm obseßam Ceilam liberare uellet, id autem fieri non poßet, nisi cæsis & fugatis Philistæis, quod nec ipsum, nisi eò cum suis pergeret, bellumq; ipsis inferret, euenturum uideretur: pergere quidem & non pergere, bellum item inferre & non inferre, in sua situm potestate, eorumq; qui cum ipso erant, animaduertebat: de eius autem euentu dubius & incertus erat, non solum propter suorum paucitatem, & hostium multitudinem, sed etiam propter id quod sui in primo dum non acquiescunt responso obijciunt: Ecce nos, inquientes, hic in Iudæa consistentes timemus, quanto magis si ierimus in Ceilam aduersus agmina Philistinorum? Quare de hoc dominum secundo consulit, auditq;, Surge, & uade in Ceilam. Ego enim tradam Philistæos in manu tua. In posteriori uerò, ut in eo apertius etiam, quod Græci τὸ ἐνδεχόμενον & ὁπότερ᾽ ἔτυχεν appellant, uoluntatisq; libertas appareat. Inquit igitur: Domine deus Israël, audiuit famā seruus tuus, quòd disponat Saul uenire in Ceilam, ut euertat urbem propter me.*

me. Si tradent me uiri Ceilæ in manus eius, & si descendet Saul, sicut audiuit seruus tuus, domine deus Israël indica seruo tuo. Et ait dominus, Descendet. Dixitq́ Dauid rursum, Si tradent me uiri Ceilæ, & uiros qui mecum sunt in manus Saul. Et dixit dominus, Tradent. Surrexit ergo Dauid, & uiri eius quasi sexcenti, & egreßi de Ceila huc atque illuc uagabantur incerti. Nunciatumq́ est Sauli quòd fugißet Dauid de Ceila, & saluatus eßet, quamobrē dißimulauit exire. In his enim quis non animaduertat, si Dauid in Ceila mansißet, omnino descensurū fuiße Saulem, & uiros Ceilæ ipsum in manus Saulis tradituros (utrunque enim affirmat deus) quorum tamē neutrum ipso cum suis discedente factum est. Disceßit autem non fati necesitate cōpulsus, sed libera sua uoluntate inductus, quòd hoc tutius ac melius intelligeret. Neque dominum neceßario consuluit, sed quòd hoc tempore sic rerum circumstantiæ suadere uiderentur. Ac de prima quidē opinione, ijsq́ quæ ipsam sequuntur incommoda, hæc in præsentia sufficiant. Cæterum priusquam ad reliquas confutandas accedamus, duo nobis, quorum superius meminimus, probanda uidentur. Prius, Deum nullius mali & peccati autorem eße. Posterius, Deum neceßitati minime eße subiectū, cùm neceßitatis sit autor & dominus. Quare si quis hæc dicere aut cogitare audeat, is sciat se impiam de deo opinionem habere. Nam quomodo alicuius mali deus sit autor & causa, cùm reuera sit bonus, id autem est, tota ipsa sui substantia,

ac non partim quidem bonus, partim autem & contrarij particeps? Neque enim aßumpti quid, & aduentitij ac uelut habitus quidam in deo ipsum est bonum: sed ipsius potius natura & substantia. Cæterum quod hoc genere est bonum, id noxium certè non fuerit, cùm omnis nocendi facultas ab eo quod bono contrarium est proficiscatur. Quod autem noxium non est, non nocet, id est, deterius subiectum ad propriam uirtutem non reddit. Et quod non nocet, mali nihil dat: ac proinde nullius mali causa fuerit. Ex quibus quod propositum est recta ratione conficitur, nullius mali deum eße autorem & causam. Neque uerò hoc loco quempiam turbet, quòd in pluribus sacræ scripturæ locis, mala ad deum tanquam autorem referãtur: sed sciat hæc non eße eiusdem generis cum ijs, de quibus nunc agimus, cùm illa quidem, quæ à Deo hominibus immitti dicuntur mala, non in eorum perniciem & exitium uergant, sed potius ad correctionem & emendationem faciant, aut certè iustæ sint delictorum pœnæ: hæc autem, quorum causam in deum minime deriuandam ostendimus, pestifera & perniciosa sint, & ad prauitatis & uitij naturam pertineant, hominemq; ad propriam uirtutem, id est, iustitiam deteriorem reddant: quæ distinguere, ac separare uolentes Theologorum nõnulli, non malè, ut arbitror, hæc culpæ, illa pœnæ appellarunt. Verùm enimuero dicat aliquis, Si neque à deo huiusmodi sunt mala, id enim fieri non poße iam demonstratum est: neq; ab aliquo eorum, quæ diuinitus sunt

oriunda:

oriunda: nam & sic ad deum rursus referrentur autorem: neque sanè plura uno principia prima est introducere, ut aliud quidē bonorum, aliud uerò malorum statuatur principium. hoc enim esset Manichæorum imitari insaniam. unde igitur hæc fluxerunt? Ad hāc perdifficilem & perobscuram quæstionem non incommodè, si quid ego iudico, respondere uidentur tum Dionysius in opere de diuinis nominibus cap. quarto, tum Proclus in difficiliorum quæstionum libri de Rep. Platonis secundi explicatione. Cæterum Dionysij responsionis & solutionis hæc est summa, quòd ipsum malum, ut nec propriè existit, aut substantiam ullam obtinet, sed in boni priuatione consistens occultè ac uelut ex insidijs in res irrepit, seseq; insinuat: ita nec ab una aliqua, uniuersali, primaria, antecedente ac definita causa ortum habet, sed à pluribus, particularibus, primariarum asseclis, à proposito aberrantibus & infinitis. Procli autem eadem quidem cum hac est, ipsam uim si spectes, sed breuior est multo, & tamen clarius quod uult explicat, ex sua, immo Platonis potius sententia talem solutionem adferens. Apponam autē eius hic uerba bona fide à nobis conuersa. Dictum igitur pluribus de his est in alijs: dicatur autem & nunc breuiter, si uidetur, ad primam quidem dubitationem, quòd malum nec diuinitus, nec ab alia sit causa quæ in rerum naturam introitum uelut antegrediatur. Neque enim aut malorum ideam ut introducamus, aut materiam ipsorum causam dicamus fieri potest. Omnes

enim formæ & diuinæ sunt, & ratione ac intelligentia con tinentur, & substantias, aut eas quæ in substantijs sunt perfectiones antecedũt. Et materia diuinitus producta est tanquam mundo necessaria: ac neque malefica est, quæ ad uniuersi generationem confert: neque bonum, quæ inter to ta ipsa extrema est: sed locũ inter necessaria obtinet. Nam quicquid alicuius est gratia, huiusmodi est. Nullam igitur neque formalem neque materialem malorum causam sub ijcere oportet, neque prorsus principium unum: sed, ut ipse inquit, particularia & dispersa tenuem illam & adumbratam quam obtinẽt substantiam ipsis conciliare dicendum: ac particularia quidem, quoniam ex totis ipsis nihil, ut mentem, aut animam, aut corpus: multa autem, quoniam non unum. Quamobrem & ipse inquit, alias quasdã ipsorum quærere causas oportere. Nam omnino, si corpus sit mali particeps, fuerint in hoc diuersa quædam, quibus immoderatè ad se mutuo affectis, suboritur morbus, dum quodlibet exuperare contendit: si uerò anima, diuersæ uitæ species & in hac fuerint, ac quodammodo contrariæ, quibus inter se pugnantibus, ab alijs in alias aliquid mali influit, utralibet quod suarum est partium agente. Oportuit autem & corpus huiusmodi esse, quod ex dissidentibus con staret, ut esset quippiam mortale & caducum, ac mundus ipse perfectus ex omnibus constans: & animarum hic permistionem existere, ut quæ hic sunt, rationalium nõ essent expertia animalium. Neque rursus quæ rationis sunt com

potes

potes uitæ absque medio corporibus inseruntur, aguntq́, ac patiuntur ea, quæ rationis expertes naturas est consentaneum, appetunt, sentiunt, imaginantur. His enim opus est mortalibus, si uel minimo tempore incolumia sint seruanda. Suboriuntur igitur mala ad primarias rerum operationes, nec propter aliud quàm bonum, subortisq́ ipsis conuenienter utitur uniuersum: & bonitatis quandam naturam induunt, & hæc utentium ui ac potestate. Quapropter nullum malum inconditum ac syncerum, sed quoduis boni aliquod uestigium est adeptum. Est igitur & malum diuinitus, ut aliqua ex parte bonum, quanquam ab alijs particularibus causis & pluribus, aduētitiæ naturæ cùm sit, ortum habet. Ac de malorum quidem origine hæc Dionysij & Platonicorum est sententia, ut manifestè hinc constet, nullius mali causam deum esse statuendum. Sed quòd nec fati necessitati sit subijciendus, efficacissimè mihi probare uidetur Gregorius ille Nyssæ Episcopus, Basilij Magni frater in libro de fato, qui Philosophiæ ipsius est sextus. Subijciam autem & eius hoc loco uerba, quibus Platonis de fato exposita sententia, quid in ea probet & quid reijciat ostendit, cùm inquit: In hoc igitur quòd dei ordinationem & uoluntatem fatum appellat, & in hoc quòd fatum prouidentiæ supponit, parum certè à diuinis eloquijs distat solam prouidentiam omnia dispensare dicentibus. At multum differt ex necessitate sequi fines, quæ sunt in nobis affirmans. Nos enim non secundùm necessitatem sequi ea

quæ

quæ sunt prouidentiæ dicimus, sed contingenter. Nam si secundùm necessitatem, primum quidem rationis pars tollitur. De solis enim actionum principijs rationes erunt, secundùm eum, ut meliora eligamus. Post electionem autem inanis est deinceps ratio, his quæ sequuntur, ex necessitate inductis. Nos uerò in his quoque rationem posse determinamus. In prouidentia enim esse naufragari nauigantem uel non, neque ex necessitate quidem alterum esse, sed contingenter. Non enim sub necessitate est deus: neque uoluntatem eius seruire necessitati, fas est dicere: etenim necessitatis est conditor. Nam necessitatem sanè imposuit astris, ut semper secundùm idem moueantur, & mare circuntermi nauit, & uniuersalibus & generalibus terminũ imposuit. Quem si fatum uocare uolunt, eò quòd ubique & semper secundùm necessitatem sit, ut omnia per successionem sint in generatione, & corrumpãtur, nihil curamus. De nominibus enim non uelitamur aduersus eos. Ipse uerò supra omnem necessitatem non modo consistit, sed & dominus & factor eius est. Omnipotens enim existens, & suapte natura ipsa potestas, nihil neque naturæ necessitate, neque legis dispositione facit. Omnia uerò ei sunt contingentia etiã necessaria. Et ut hoc monstretur, cursus solis & lunæ, quæ necessitate feruntur, & semper uno modo se habent, quandoque stare fecit, ut ostendat, nihil à se secundùm necessitatem fieri, sed omnia per potestatem contingenter. Semel autem talem diem fecit, ueluti scriptura significauit, ut solũ

monstret

monstret, non uerò dispositionem necessarij astrorum motus, quam à principio imposuit, dissoluat. Ita & quosdam homines in uita conseruat, ut Heliam & Enoch mortales existentes & corruptioni subiectos, ut per omnia hæc potestatem eius, & non necessitate coactam uoluntatem intelligamus. Atque ex his quidem Nysseni uerbis manifestè patet, deum necessitati minimè esse subiectum: sed contrà potius, quæ in rebus eodem semper modo se habentibus conspicitur necessitas, eam diuino numini parere, cuius nimirum lex quæpiam & sanctio esse merito creditur, ut nõ iniuria impietatis damnentur ij, qui Dei immortalis, qui infinitè reliquis omnibus bonitate ac perfectione antecellit, ut nulla prorsus ex parte cum ipso cõparari queant, deteriorẽ in ipso uniuerso faciũt conditionẽ, quàm mortalis in rep. Principis, quem legibus solutum non solum Iurisperitorum communis statuit consensus, sed etiam Aristotelis libri Politicorum tertij confirmauit demonstratio. Sed his explicatis redeamus ad illud unde diuertimus, ac reliquas consimili ratione opiniones examinemus. Sanè quam secundam fecimus, uidetur illa quidem multum habere probabilitatis. Quis enim est, non dico, eorum solum, qui nostræ sunt religionis, sed etiam gentilium philosophorum, aut quorũcunque tandem hominum, qui nõ maximam humanæ naturæ deprauationem ac morbum agnoscat? Sed aliud est in morbo hanc esse & inualetudini obnoxiam, aliud funditus interijsse. Neque enim quempiam esse existi-

mo, qui uel aliquam saltem euidentiæ habeat rationem, qui hoc dicere sustineat, ex primi parentis lapsu, hominis omnino intercidisse naturam, ut & omnis intelligentiæ & rationis uis, qua uera à falsis, à malis bona discernimus, & uoluntatis, qua appetimus & aspernamur, eligimus & repudiamus, ac simpliciter quæcunque hominis informant & constituunt naturam facultates in totum sint extinctæ (hoc enim esset hominem, hominem esse, negare) sed potius inclinatam lapsamq́ʒ, hactenus ipsius uiribus attenuatis & imminutis, ut suis tantum naturalibus instructus præsidijs & auxilijs homo, in quæ præcipitatus est mala, ex ijs emergere nequeat, & ad solida ueraq́ʒ bona se erigere, beatitudinemq́ʒ attollere, sed peccati mole prægrauatus inferioribus & deterioribus, quibus sua subiectus est uoluntate, seruire cogatur. Quæ quidem si quis dicat, cùm hoc haud longa mihi fuerit concertatio. Sed de nonnullis tamē monendus uidetur, quæ non animaduersa multos turbare solent. Primùm igitur cùm de humanis absolutè uiribus sit quæstio, eoq́ʒ an aliquid in nostra sit potestate: ad hoc autem problema philosophicè, id est, scienter ac peritè excutiendum experientiam & rationem, tanquam duos quibus firmius ingrediamur, pedes adhibere oporteat: non quiuis sanè nobis proponendus est, in quo iudicium hoc & periculum faciamus. Neque enim Asotorum de numero aliquis, aut qui alioqui neglectus & perditus in omne uitiorū genus est prolapsus, ut intemperans quiq́ʒ se in omni libidi-

ne

ne effudit. Hic enim in sua minimè est potestate, nihil suo arbitrio facit, semper in eo dominante libidine: sed qui ad præclaram, uirtutis & ingenij indolem commodam etiam educationem, & à tenera ætate institutionem nactus, cùm adoleuerit, suiq; iuris esse cœperit, exercitatione & consuetudine & commentatione ad summam, quoad eius fieri potest, humanæ naturæ absolutionẽ peruenerit. Talis enim reuera humanarum simpliciter uirium norma fuerit, ut quod hic posit, id in hominis potestate, quod nequeat, supra eius uires esse asseramus. Nam & medicos sic facere uidemus, cùm de ijs quæ absolutè simpliciterq; uel salubria, uel ad concoquendum facilia, aut his contraria, & omnino quæ ad facultates naturales & corporis referuntur, agunt. Neque enim cuiusmodi horum unumquodq; uel ægroto adhibitum, uel ualetudine & natura imbecilliori esse uideatur, huiusmodi & simpliciter esse statuunt: sed quale ijs, qui & temperaturam & corporis constitutionẽ optimam sunt sortiti. Reliquos autem omnes, quo huic uel uiciniores sunt, uel plus ab hoc distant, eo plus minúsue posse statuendum est, omnes tamen aliquid, donec ad eos sit peruentum, qui plenè cumulateq; iniusti sunt & intemperantes, quos ex alto præcipitantibus siquis comparet, meo quidẽ iudicio, minimè errauerit. Deinde uerò nec sic uires hominis æstimare oportet, omnem penitus diuinam ab eo ut seiungas opem & gratiam: & quod sine hac nihil posit boni homo, idcirco nihil omnino posse pronuncies. Nam

nec oculi facultatē hoc modo exploramus, cæcum eum eſſe indicantes, qui in craſſiſſimis tenebris conſtitutus nihil uideat: ſed in huiuſmodi facultatibus examinandis conſiderare oportet, & ad quod hæ referantur, & quomodo, ac reliquæ pari modo diſtinctiones adhibendæ, quarum mentionem facit Ariſtoteles libro primæ philoſophiæ quinto, ubi de priuatione agit. Quare neceſſario qui de uiribus humanis rectè diſſerere uelit, huic gratiarum quædam diſtinctio eſt adhibenda, quæ etſi ipſis uerbis in ſacris literis non habetur, ut ſtatim cùm quis hanc profert criminantur, qui ſupra ueteres omnes & catholicos, nouo quodā erroris & arrogātiæ ſpiritu turgidi, ſapere ſibi uidetur, ui autem & poteſtate in ijs contineri facile animaduerti poteſt, atq; adeo ſuo idipſum loco à nobis probabitur, cùm nimirum ad proximam progreſſi quæſtionem, quænam tandem in noſtra ſint poteſtate inquiremus. Nunc autem quòd aliqua liberi ſit arbitrij uis, neque funditus hanc extinxerit primi parentis peccatum, ſatis patere arbitror, cùm & experientia diſtincta id doceat, ut in gentilium philoſophorum pleriſq;, & ratio probet, quemadmodū ex ijs quæ contra primam ſunt diſputata opinionem conſtat: ad hæc autem & ſacrarum literarum autoritas confirmet, ut ex diui Pauli ad Romanos epiſtola cap. primo & ſecundo patet, ubi non ſolum aliquam homini numinis potentiæ & diuinitatis agnoſcendæ, agnitamq; uenerandæ & colendæ facultatem concedit: nam hinc iuſtam aduerſus ethnicos dei iram

adſtruit:

adstruit: sed etiam gentes, quæ legem scriptam nimirum & Mosaicam non habent, natura, id est naturalibus instructos uiribus, sub quibus & eæ continentur quæ exercitatione & meditatione à nobis cōparantur, quæ legis sunt facere, ac sibi ipsis in quibusdam legem esse innuere uidetur: quod certè facere non poßent, si nulla in his liberi arbitrij uis existeret, sed ea penitus ex originali peccato intercidißet. Quare nec secundam subsistere opinionem poße manifestum est. Tertia autem, quæ reliqua est, omnium sanè mihi absurdißima uidetur, quòd non solum inter hominē & beluam discrimen omne tollat, sed etiam, quæ nonnullorum est sententia, inter animatum & inanime, quorum hoc quidem omnes ex communi notione, pulsu agitari externo, illud uerò ex se & sua sponte moueri statuunt. Cæterum quæ contra alias duas diuisim sunt disputata, ea & aduersus hanc coniunctim omnia adferri queant. Illud autem in hac præcipuè miretur quispiam, quánam tandem ratione alternas has pellendi uices, nūc deus & superiora, nunc uerò dæmon & inferiora obtineant. Anne scilicet ex pacto & conuentu, ut horum quoddam ludibrium sit homo? An uerò potius ipsis inter se de hoc tanquam imperio quodam certantibus, ut nunc quidem hæc, nunc uerò illa obtineant, rerumq; potiantur? Sed & hoc absurdum uidetur, quòd hac ratione tale aliquid deo tribuamus oportet, quod citra summam impietatem facere non poßumus. Nam si interdum in huiusmodi cum dæmone pugna suc-

cumbere ipsum ac uinci statuamus, ac sic hominem diuino profligato numine ab aduersario obtineri, necesse certè fuerit hoc ipsi aut ob uirium imbecillitatem, aut defatigationem, aut confligendi imperitiam, aut negligentiam & incuriam, ut ab hoste incautus opprimatur, usuuenire. Sed horum nihil in deum cadere ullo modo posse uidetur. Qua enim ratione ei, qui præter id quod bonitate, potentia insuper & cognitiõe, ut in libris De legibus inquit Plato, ut sic dixerim, informatur, id est, cuius hæc sunt substantia, aliquid eorum accidere potest, quæ cum substantia ipsius pugnent? Nam sic mortalem ipsum ac dissolubilem redderemus. Siue enim uirium ipsi imbecillitatem tribuas, siue lassitudinem, utraque certè statim cum sempiterna eius potentia pugnat. Quare nec sempiterna illa fuerit, & contrarij particeps dissolubilis erit. Cuius autem substantia est dissolubilis, & ipsum mortale sit necesse est. Simili autem ratione & imperitia & negligentia ac incuria, ipsius cognitione & æternæ prouidentiæ sunt contraria. Quamob causam neque hæc in ipso locum habeant. Ex quo manifestè constat, inuictum omnino esse deum, nec ulli succumbere posse, ut inepta eorum sit oratio, qui deo inuicemq; dæmoni alternas has uincẽdi, cedẽdi uices affingũt. Patet igitur, ut arbitror, & tertiam hanc, quæ homini uoluntatis libertatem adimit, opinionem multis modis esse absurdissimam, ut quæ in multa & grauia incurrat inconueniẽtia: quæ omnia facile declinet, qui ueritatem propter euiden-

tiam,

tiam, quasq́; adduximus rationes amplexus, & catholicis inhærens dogmatibus, aliqua in noſtra eſſe poteſtate fateatur. Quo ſanè iam ſatis probato ac conſtituto, proximum eſt, ut quænam ſint illa, quæ in nobis ſunt, & quorum domini ſumus, conſideremus. Primum igitur conſtat ſenſuũ operationes, ac motus uolũtarios, ὁρμὰς καὶ καθ' ὁρμὴν κινήσεις Græci uocant, ſimpliciterq́; quæ ex nobis & noſtra ſponte facimus, in noſtra eſſe poteſtate, quod animantiũ omnium commune eſt. Deinde uerò, quæ ſunt hominis facultates propriæ ſuapte natura ingeneratæ, tum cognitionis, tum appetitus, & harum actiones noſtro arbitrio ſubiectas dicimus. Sunt enim huiuſmodi facultates omnes, ut autor eſt Ariſtoteles, libro primæ philoſophiæ octauo, contrariorum eædem. Quanquam autem hæ à deo optimo ac ſapientiſſimo, eiusq́; adminiſtra natura, ad bonum, non autem ad malum ſunt datæ, fit tamen non raro, ut quæ per ſe utiles & ſalutares ſunt, abutentium errore & uitio noxiæ & peſtiferæ reddantur. Itaque contrariorum alterius quidem per ſe, alterius autem per accidens quodammodo hæ fuerint. Cæterum his inſtructi tam corporis quàm animæ dotibus, quas ſanè ſermonis compendij cauſa, donum ſeu gratiam primam ac naturalem, quod omnium ſit communis, ut faciunt nonnulli, appellare licet (neque enim cùm de rebus conſtat, de nominibus eſt contendendum) alias quaſdam ſeu facultates, ſeu habitus dicere mauis, inter quos ſunt & artes & ſcientiæ omnes, quarum aliæ corporis ac

uitæ neceßitatibus ſubueniunt, aliæ animum cognitione & uirtutibus instruunt, nostro quidem labore ac studio, ſed dei beneficio & munere, qui menti, in tenebris ab ipſo iam ortu inde constitutæ, diuinitatis ſuæ lumen præfert, conatusq́ efficaces reddit, comparare poßumus, & ſic ad beatitudinem humanæ naturæ conuenientem aſpirare. Poßumus autem & nos ipſos negligentes ac inferiora ſequendo à deo eiusq́ gratia auerſi, talentum nobis concreditum in terram defodere, ac proinde ſocordes, inertes, inſcientesq́ reddi, & in uitia prolabi, miſeriq́ fieri. Quare & hæc ipſa rurſus in nostra eſſe poteſtate dicimus, & ea ſanè, qua explicatum eſt, ratione: ut hinc iam ſecunda quædam intelligatur gratia, quam extimulantem nec malè appellare ſolent plerique: cuius quæ ſit ratio, quàm fieri poterit exquiſitißimè, explicare aggrediar, à tali exorſus initio. Omnibus hoc legitimè philoſophantibus confeßum eſt, Deum qui hominem cum ijs, quas diximus, facultatibus creauit, aßidue etiã eundem, quãquam ſua culpa auerſum, quæ ipſius immenſa eſt bonitas & miſericordia, ad ſe conuertere, & ſi quidem ipſi obſequatur, quod in hominis poſitum eſt arbitrio, conuerſum purgare, purgatum illuminare, illuminatum perficere. Hæc enim circa hominem ipſius ſunt opera, & operum ordo. Cæterum ut creare, primæ opus gratiæ: ſic conuertere, ſecundæ ſtatuerim. Prouocat autem huc nos diuina clementia & benignitas multis certè modis & occaſionibus, quæ ſunt

quædam

quædam ipsius ad hoc ueluti instrumenta. Nam primum quidem ex cœli & mundi, eiusq́, quæ in his deprehēditur, descriptionis & ordinis obtutu, quo hominem non solum, quæ in animo eius sunt, facultates inuitant, sed etiam ipsa corporis, quod nec poëtæ ignorant, figura, inter quos inquit Naso:

*Os homini sublime dedit, cœlumq́ uidere*
*Iussit, & erectos ad sidera tollere uultus.*

in sempiternæ ipsius potentiæ & diuinitatis notitiam quãdam nos ducit, ut & gentium ille doctor Paulus primo ad Romanos capite asserit, & ante hunc Psalmista cùm inquit, Cœli enarrant gloriam dei. & cætera quæ sequūtur. Ex qua rursus notitia ad ipsum uenerandum & colendū, tanquam omnium nobis bonorum, quæ secundum rationē eueniunt, autorem, si modo nostri uel aliquis sit usus, incitamur. Deinde uerò & in nos ipsos conuersi, partimq́ dignitatis, ad quam conditi sumus, in memoriam uenientes, partim miseriæ, quò prolapsi sumus, sensu perculsi, cùm quoad corpus quidem, nudi, inualidi, rerum omnium indigentes, & mille morborum generibus obnoxij, quoad animum uero inertes, & ad uirtutem bonaq́ tardi, ad uitia autem procliues, turbato nimirum in eo naturæ ordine, in lucem editi simus: & ad mala hæc incommodaq́ depellenda, & bona illa nostræ primigeniæ conuenientia naturæ comparanda excitamur, & ad opem diuinā implorandā, sine qua nihil posse salutariter ac rectè aut instituere, aut

perficere hominem, communis omnium, qui modo aut educatione, aut institutione aliqua deprauati nō sunt, statuit consensus: quod ex eo manifestè constat, quod tum ipsa ueluti natura dictante, à numinis inuocatione quicunq; maioris aliquid ac serij operis aggredi uelint, auspicetur, ipsiq; adeo poëtæ, tum artes præclaraq; inuenta omnia, non ad se, aut homines, sed diuiniorem aliquam naturam perpetuo autorem referant. Neque uerò ab his tantum quæ iam dicta sunt extimulamur, sed quocunq; oculos rerum creatarum uerterimus, undique nobis diuinæ maiestatis splendor occurrit, quãquam aliàs quidem illustrior, aliàs uerò obscurior: qui, ut lumen externum, quod in oculis ipsi cognatum est, impellit, & ad uidendum actuosum facit, ita & quod in animo luminosum est, incitat, & ad se conuertit, & aliquousque efficax reddit, nisi ipsi uiam præcludamus, nosq; indignos tanto beneficio æstimantes, à splēdore ad tenebras auertamus. Ad hæc quoniam, ut autor est Hippodamus Pythagoræus, tres sunt uirtutis causæ, seu potius, ut quispiam exactius loqui studens dixerit, à uitijs quidem abstinentiæ & recessus, ad uirtutem autem progressionis, metus, cupiditas, pudor: sub quibus & ea intelligi par est, quæ his sunt opposita, spes, auersio, & honesti nominis expectatio: aliqua omnino, nec ea minima extimulantis gratiæ portio, lege, quæ tum rectè factis præmium, tum peccatis pœnam proponit, oratione, quæ ad honesta quidem & utilia incitat, ab inhonestis uerò & inutilibus

auocat,

auocat, & uitæ consuetudine, publiceq́ receptis moribus, quorũ reuerentia quadã tenemur, constabit. Cæterũ hæc ipsa quo puriora sunt, proximiusq́ ex ipso fonte hausta, eo etiam efficaciora esse, nulli dubium est. Quare quæ per Moysem tradita est lex, quæq́ ad populum Israëliticũ extant sanctorum uirorum & diuino spiritu afflatorum adhortationes, ac dehortationes, & omnino orationes, mores item & instituta, quæ inter eos antiquitus habebãtur, omnia certè hæc cæteris gentilium legibus, orationibus & consuetudinibus longè antecellunt. Sunt autem hæc, quæ ad extimulantem gratiam pertinere diximus, ad Christum, eamq́, quæ per Christum nobis offertur, gratiã, quæ quòd nos deo reconciliet, acceptosq́ & gratos faciat, non malè gratum faciens appellatur institutio quædam, ut per ea, etsi nondum abolito, quod ex primi parentis præuaricatione in nos propagatum est peccatum, ueræ iustitiæ, quæq́ apud deum ualeat participes reddamur, ipsi tamen quodammodo præparemur, ut Cornelij Centurionis exemplo patet, & Aethiopis ad quem Philippus fuit missus. Ipsius autem huius summæ gratiæ, quæ per Christum humano generi contingit, uis est ac opus: primò quidẽ, ut peccatum tollat: deinde uerò, mentem nostram nouo iustitiæ lumine compleat, totumq́ interiorem hominem renouet, & ueræ uirtutis actuosum reddat, si modo, quod in ipso est, ad hanc gratiam se accommodet. Neque uerò hoc solũ, sed etiam eiusdem præsidio, conueniente exercitatione &

meditatione adhibita, in dies in uirtute & iustitia proficimus, in eaq́; conseruamur, quod ab eodem, à quo quid fit, & construetur & augeatur. Atque hæc quidem, quæ huic gratiæ tribuimus, eidem & conuenire, nemo est qui ignoret, qui uel aliquousque in sacris sit uersatus literis, cùm nouum instrumentum & præcipuè Paulinæ epistolæ horum sint plenæ. Quare non male conclusuri uidemur, hanc trimembrem gratiarum distinctionem & ueram esse, & per omnia sacris literis consentaneam: esse autem in nostra potestate, ut quod cuiusque est gratiæ proprium, id cuiusque etiam præsidio assequamur, dum illæ quidẽ, suo quælibet modo, præluceant, nostra autem uoluntas ad has se accommodet, ac quodammodo informandam præbeat. Et quòd homo liberam habeat uoluntatem, & in quibus, & quomodo, quantum quidẽ ad nostrum attinet institutum, satis probatum existimo. Quare ad autorem nostrũ reuersi eius uerba examinemus. Inquit igitur portam primam prætergressis, alium sese offerre ambitũ, extra quem mulieres starent meretricio more exornatæ, per quæ & ætatis processum innuit, & quæ hoc tempore plurimum hominibus usuuenire solent exponit. Nam cũ rationis usum habere iam incipimus, licet infirmũ etiamnum, quòd plurimum in nobis adhuc uigeat & dominetur quod rationis est expers: propter rationis quidẽ usum electionis, & actionis, ac proinde uirtutis iam & uitij capaces reddimur: propter eius autem imbecillitatem & partium irrationalium
cum

*cum hac pugnantium robur, ferè in uitia propendemus. quæ quòd nobis fucata quadam boni specie adblandiatur, non iniuria meretricio cultu exornatæ ab autore finguntur. Cæterum extra secundum, & intra primum has ambitum collocat, quòd bruta & irrationalis natura in his uel sola dominetur nusquam reluctante, immo potius & ad malum cooperante ratione, ut in intemperantia, quam Græci* ἀκολασίαν *uocant, uel certè superiores partes obtineat, ut in ijs quæ imperfecta uitia à nonnullis appellãtur. Nam hic huius ambitus ueluti terminus est, cũ in secundo contrà, irrationalitatem ratio exuperet. Atque has quidem meretrices cũ hospiti exhibuisset Senex, deinceps quæ nam eæ sint subijcit.*

At enim ex his alia quidẽ Incõtinentia uocatur, alia uerò Luxuria, Inexplebilis auiditas alia, alia Assentatio.

*Mirum autoris ingeniũ, qui non solum ordine pulcherrimo in omnibus utitur, sed etiam quàm facile in omne uitiorum genus prolabamur, quantoq́ contrà labore ac sudoribus ad uirtutẽ perueniatur, utrunque tum pictura, tum explicatione tam clarè suo loco ob oculos ponit, ut nihil possit inueniri illustrius. Itaque hic, quas* ἡμιτελεῖς κακίας *uocat Theages, à reliquis non separat uitijs, sed omnia coniungit, uicináque facit, Hesiodum in hoc secutus, qui rectè uitiorum naturam describit, cùm inquit,*

τὴν μὲν τοι κακότητα καὶ ἰλαδὸν ἐστὶν ἑλέσθαι
ῥηιδίως, ὀλίγη μὲν ὁδὸς, μάλα δ' ἐγγύθι ναίει.

At quæ ἡμιτελεῖς ἀρεταὶ appellantur, eas longo satis intervallo, eoq; difficili & accliui à uirtutibus seiungit, atq; toto adeo ambitu, ut proximo libro docebimus. Cæterum ut quæ hic à nobis sunt dicta, & in sequentibus dicentur, facilius intelligi possint, fuerit, ut arbitror, nõ intempestiuum, quid inter uitiositatẽ, & eam, quæ ἡμιτελὴς dicitur κακία, quidq; item inter uirtutem, & ἡμιτελῆ ἀρετὴν intersit, ostendisse. Quod itaque in anima, aliud quidem sit, quod rationis est compos & particeps, aliud uerò, quod eiusdem expers, παθητικὸν à nonnullis appellatum, superius satis est probatum: & quòd secundùm naturam, illud imperare, hoc parêre debeat. Cùm igitur quod rationis est expers perfectam rationi obedientiam præstat, aut certè nusquam ei resistit, nec reluctatur, sed omni ex parte discussis perturbationibus, tanquam nebulis quibusdã, in animo pax est, tum & laudabilis in eo existit affectio, & uirtus perfecta. Est autem huiusmodi animi status non absimilis aëris constitutioni, in qua tanta tranquillitas est & serenitas, ut nec ullæ nubes conspiciantur, sed undique illustre & clarum appareat cœlum, & à uentis prorsus sit quies. Itaque ut ibi suo lumine sol omnia complet & illustrat, ad infima usq; uim suam lumenq; nullo prohibente diffundens: ita & in anima mens & ratio inferiores potentias, nullis perturbationum & cupiditatum nebulis offusas, illuminat, & ut omnia compositè & aptè in nobis administrentur efficit. Unde non immerito huiusmodi animi affectio Græcis σω-

φρόσυνη dicitur, quòd ſit τῆς φρονήσεως quædã σωτηρία, id eſt, prudentiæ conſeruatio. Huic laudandæ & perfectæ animæ conſtitutioni contraria eſt ea, in qua turbidi affectus & libido plenè dominantur, ratio autem aut prorſus ſuccumbit, aut etiam affectum, tanquam ſeruus dominum, ſequitur, quam Græci ἀκολασίαν, Latini intemperantiam uocant. Licebit autem & hunc animæ ſtatũ tempeſtati comparare, qualis apud Maronem, libro Aeneidos primo, deſcribitur his uerbis:

*Eripiunt ſubito nubes cœlumq́ diemq́*
*Teucrorum ex oculis, ponto nox incubat atra.*

Cæterum inter hos extremos habitus, aliæ quædam affectiones ſunt intermediæ, quæ quidẽ, ratione eius quod magis & minus eſt, in infinitum propè ſecari poßunt: reducuntur tamen ad duas manifeſtas & oppoſitas differentias. Nam cùm in rationis cum affectu luctatione quadam conſiſtant, cùm ſuperior quidem ſit ratio, ἐγκράτεια, id eſt continentia: cùm uerò inferior, ἀκράτεια, id eſt, incontinentia in anima oritur. Eſt autem & harum affectionum ſimilitudinem quandam in cœlo notare, cùm nunc quidem in eo ſolis ui nubes diſcutiantur & ſuperentur: nunc uerò contrà nubium natura præualeat. Ex his autem quatuor animæ conſtitutionibus, duæ extremæ: hæc quidem, quòd in ea omnes animi partes in honeſti ſtudium conſpirent, perfecta eſt uirtus: illa uerò uitium abſolutum omnibus rurſus animæ partibus, & in hac in turpitudinem conſentientibus.

bus. Mediæ autē, quòd hoc quidē in se boni, illud uerò mali
obtineāt, imperfectæ tū uirtutes, tum uitia sunt. Nam in-
continentia, quòd ratio quidē superet, bonū est: quòd uerò
affectus cum ea luctetur, malum. In incontinentia contrà,
quòd affectus sit superior, malum: quòd autē ratio affectui
aduersetur & repugnet, bonum. Ac de his quidem hæc in
præsentia sufficiant. Nunc ad autorē reuersi, quo in uitio-
sis animi constitutionibus describēdis ordine utatur, cōside
remus. Primā igitur facit incontinentiā, idq; merito, quòd
hæc omniū uitiorū, ut Pythagoreis & Stoicis placet, mater
sit. Neq; uero id quispiam miretur, quòd cū infimæ animæ
partis, eius nimirū quæ cupiditatis est, hæc sit affectio, ma-
ter uitiorū esse dicatur. Nam ut à ratione & superioribus
bona, ita à cupiditate & inferioribus mala oriri par est.
Cæterum incōtinentia, alia quidem absolutè simpliciterq;
dicitur, quæ eius animæ partis, in qua cupiditas residet, af
fectio quædam est uitiosa circa corporearum uoluptatum
perfruitionem: alia uerò cum adiunctione, ut lucri puta,
ambitionis, iræ, & cōsimilium. Hoc autem loco eam maxi
mè intelligamus ratio postulat, quæ absolutè & simplici-
ter dicitur, ex qua tanquam radice reliqua suppullulant
uitia. Ab hac autem proximum luxuriæ locum tribuit,
quod mihi sanè conuenienter admodum facere uidetur.
Nam cùm incontinentia, à qua facilis etiam ad intempe
rantiam est transitus, ut duo hæc, tanquam cognata, sub
uno nunc nomine comprehensa uideātur, circa corporeas,
ut di-

*ut diximus, uersetur uoluptates: ad has autem extra modum & mensuram, quæ intemperantis est natura, perfruendas, sumptus etiam immodici requirantur, merito primam illam animi affectionem prauam, ea apud autorem sequitur, quæ Græcis ἀσωτία, Latinis luxuria dicitur, animi nimirum quoddam uitium, quo fit, ut in uanas istas & noxias uoluptatum cupiditates profusè impendamus, sumptumq; faciamus. Neque uerò in his solum commodus notatur ordo, sed etiam, quam tertio loco uitiositatem posuit, ex secunda ortum habere, manifestũ est. Hæc autem est auaritia, quam generaliori uocabulo inexplebilem auiditatem, sic enim ἀπληστίαν interpretor, appellat autor: de qua Cicero libro De oratore secundo, Auaritiam si tollere uultis, inquit, mater eius tollenda est luxuries. Idem in oratione pro Sex. Roscio Amerino, Ex luxuria existat auaritia necesse est, inquit. Aristoteles autem, libro Moralium ad Nicomachum quarto, non solùm in eadem esse sententia deprehenditur, sed causam etiam huius ipsius ostendit consecutionis, cùm ait: Sed luxuriosorum plurimi, ut dictum est, & unde non oportet accipiunt, & sunt in hoc illiberales. Ad accipiendum autem propensi redduntur, quod sumptus quidem facere uelint, neque facilè possint, cùm cito facultates hos destituant. Coguntur igitur aliunde conquirere. Et simul, quia nullam habent honestatis rationem, sine discrimine & undecunque accipiunt. Largiri enim cupiunt: quónam autem modo, aut unde, in nullo*

discrimine ponunt. Quare nec liberales sunt ipsorum largitiones. Neque enim honestæ, neque huius ipsius gratia, neque ut oportet: sed interdum, quos pauperes esse oportebat, hos diuites faciunt: & qui tẽperatis moderatisq; sunt moribus, ijs nihil largiantur: assentatoribus autem, aut qui aliam quampiam uoluptatem excogitant, multa. Quãobrem & intemperantes ipsorum sunt plerique. Promptè enim impensas facientes, & in libidines sunt sumptuosi: & quia non ad honesti studium uitam componant, ad uoluptates declinant. Ex quibus Aristotelis uerbis, id quod dixi, manifestè constat, tum hæc inter se cohærere uitia, tum qua ratione ex altero oriatur alterum. Est autem auaritia, ut quàm breuissimè ipsam explicemus, iniuriosa alienorum appetitio. Hanc Græci interdum ἀπὸ τοῦ πλέον τοῦ προσήκοντος ἔχειν ἐφίεσθαι, id est, quòd plus æquo habere cupiat, πλεονεξίαν appellant: interdum latius patente uocabulo ἀπληστίαν. cuius quæ sit ratio, deinceps ostendam. Initium autem huius considerationis ea nobis præbebit inexplebilis auiditas, quæ circa nutrimenta est. Cibi igitur plus ac potus moderato conuenientiq; ingerere & appetere, inexplebilis esse auiditatis, omnes statuunt. Conuenientem autem moderatumq; cibum & potum, nutrimenti usu æstimant, qui nimirum est corpus nutrire. Cæterum nutriet, si rectè concoquatur. Concoquetur autem, si modum non excedat. Nam quod modum excedit, crudũ manere nouimus. Quod cùm sit, eius usum perdi necesse est. Et si quidẽ crudorũ ciborũ

morsu

morsu lacessita aluus uniuersa excernat, uentris quidem profluuium ipsum appellatur accidens, alimenti autem usus perditur. Neque enim ut per intestina permeet & transeat, idcirco ipsum assumimus, sed ut singulis adyciatur corporis particulis. Si uerò in corpus digeratur non probè concoctum, κακοχυμίαν, id est, uitiatos humores in uenis efficit. Postquam igitur cuiusmodi in corpore affectio sit ἀπληστία didicerimus, age ad animum transeuntes, & in eo hanc consideremus. Scire igitur in uniuersum oportet, inexplebilis auiditatis causam esse, ut in politicis uult Aristoteles, quòd hominum pars maxima, ut uiuat, non ut rectè uiuat, laboret. Cùm autem huiusmodi cupiditas sit infinita (neque enim ullus uiuendi modus alicui statuatur, quem ultra progredi non cupiat) & efficientia infinita expetuntur: ut diuitiarum & possessionum, quæque ad uitã ducuntur necessaria, nullus unquam occurrat terminus, semper ulterius sese proferente cupiditate. Iam uerò ut inueniantur etiam nonnulli, quibus non solùm ut uiuant, sed etiam rectè ut uiuant curæ sit: quoniam tamen ipsum illud rectè uiuere, alij in uoluptate & uita delicata & molli, in honoribus & existimatione alij constituunt, est autẽ nec uoluptatis circunscripta terminataq; natura, & honorum insatiabilis cupiditas, fit rursus ut nullæ sic affectis opes sint satis: quemadmodum nec ijs, qui has non propter aliud, sed ipsas propter se expetendas ducunt. Nam & hi in infinitum diuitias augere student, & opes opibus accu-

*mulare. Videntur autem hi postremi propriè, & per se esse auari, quos Græci φιλοχρημάτους peculiari etiam nomine appellant, cùm priores, illos quidem φιλοζώους, hos uero φυληδόνους, quemadmodum & tertios φιλοτίμους, ab eo nimirū, quem quisque sibi ueluti finem proponit, nominent. Et talis quidem in animo inexplebilis diuitiarum auiditas est affectio, talibusq́ ex causis oriunda. Quanquam præter iam dictas & alia quæpiam esse uidetur, contentio quædam studiumq́ se ditiorem semper superandi: quod cùm sit in infinitum, infinita hinc quoque existit pecuniæ cupiditas. Cæterum ut ἀκρασία, alia quidem absolutè dicebatur, alia uerò cum adiunctione, sic & ἀπληστία. Nam quam modo explicuimus, absolutè dici uidetur. Quæ uerò præter hanc sunt reliquæ, cum adiunctione fere enunciantur, ut honoris puta, regni, uindictæ, & consimilium. Huic autem perniciosæ affectioni, αὐτάρκεια optima animi constitutio opponitur, quæ ex uniuscuiusque rei ueri usus cognitione potissimum oritur. Ex hoc enim modus cuiusque & mensura inuenitur. Porro ipsum usum, finis, quo quidq́ destinatur, optimè docet: quod & Persius Satyra tertia indicare uidetur, cùm præcipit:*

*Disciteq́ ò miseri, & causas cognoscite rerum,*
*Quid sumus, aut quidnam uicturi gignimur, ordo*
*Quis datus, aut metæ quàm mollis flexus, & undæ,*
*Quis modus argento, quid fas optare, quid asper*
*Utile nummus habet, patriæ charisq́ propinquis*

*Quantū*

*Quantum elargiri deceat, quem te deus eſſe*
*Iußit, & humana qua parte locatus es in re.*

*Verum de hac optima animi constitutione in ſequentibus copioſius agemus. Nunc autem ad uitioſas redeamus affectiones, uideamusq́ qua ratione & quarta reliquas conſequatur. Hæc autem eſt, quæ Græcis κολακεία, Latinis aſſentatio & adulatio dicitur. Sanè ſi quis, quæ apud Galenum libro methodi medendi primo ſtatim in principio habetur, legerit & intellexerit, ei non difficile fuerit, qua ratione inexplebilem cupiditatem aſſentatio conſequatur animaduertere. Sed & ipſa quoque aſſentatoris definitio, ab Ariſtotele libro Ethicorum ad Nicomachum quarto aßignata, idipſum manifeſtè oſtendit. Inquit enim aſſentatorem eſſe, qui uoluptati eſſe ſtudeat, ut utilitas inde quæpiam ad ipſum redeat uel pecuniæ, uel eorum quæ pecunia comparantur. Cæterum hoc loco aſſentationis uox latius accipienda eſt, ut non ſolum uulgo notam illam comprehendat, quæ & πιθραστική peculiari nomine appellatur, ſed etiam omnem affectionem ſeu ſtudium uoluptatis alienæ ſui emolumenti cauſa conquirendæ. Sic enim Plato in Gorgia de ipſa ſtatuit, eamq́ aſſerit præſtantißimarum artium, quæ circa corpus & animam uerſantur, loco ſeſe uenditare. Hoc tamen ubique inter eam & legitimas artes diſcrimen eſſe, quòd hæ id, quod optimum eſt, ſemper ſibi ſcopum præfixum habeant. Aſſentatio uero nulla huius ratione habita, eò quòd maximā uoluptatem adferat, ho-*

mines dementare quærat. Quo sanè loco & quadrifariam ipsa diuisa, in ὀψοποιητικὴν, κομμωτικὴν, σοφιστικὴν & ῥητορικήν, & quam quæq; ueram artem ementiretur ostenso, non paucis deinde interiectis, tandem subijcit. Adscribam autem eius hic uerba, quòd κολακείας naturã optimè mihi explicare uidentur. Hæc igitur primum, inquit, considera, an tibi satis rectè dici uideantur, & esse quædam circa animam huiusmodi diuersa studia, alia quidem artificiosa, quæ cogitatione quadam curaq́; in id incumbunt, quod circa animam est optimum: alia uerò quæ id negligunt, considerant autem rursum, ut illic, uoluptatem tantum animæ, quónã nimirum modo ipsa comparetur. Cæterum quæ ex uoluptatibus melior sit aut deterior, ne cogitant quidem: nec quicquam aliud ipsis est curæ, quàm ut gratificentur solùm, siue prosit, siue obsit. Nam mihi quidem ô Callicles & esse uidentur, & ego sanè assero huiusmodi rem esse assentationem & circa corpus, & circa animã, & circa quoduis aliud, cuius quis uoluptatibus seruiat, nulla consideratione habita eius quod melius est, aut deterius. Hactenus Plato. Ex cuius uerbis apertè quid sit assentatio, & quàm latè pateat intelligimus. Atque adeo si quis diligẽter rem consideret, ut hodie artes uulgo tractantur, assentationes uerius quàm artes sunt censendæ, quod de sua etiam ætate queritur Galenus. Nam cùm ad lucrum potius, quàm artis cuiusque finem respiciant homines, animaduertantq́; obsecundando uberius id, quàm artem legitimè exercendo

*prouenire, omnia quò gratificentur facere sunt parati, artibus ipsis non secundum naturam utentes. Sed de uitiosis istis affectionibus, ipsarumq; inter se consecutione hæc in præsentia sufficiant. Igitur ad autorem nostrum reuersi, quidnam ipsis operis aßignet uideamus.*

Quidnam igitur hic stant? Obseruant, inquit, eos qui à fortuna quippiam acceperunt. Quid tum postea? Assiliunt, ipsos complectuntur, adulantur, rogantq; apud se ut maneant, asserẽtes uitam ipsis fore suauem, doloris expertẽ, quæq; nihil in se molestiæ & solicitudinis habeat.

*Quæ hic ab autore dicuntur, manifesta sunt, nec explicationis admodum indigent. Nam hasce, quas finxit meretrices, fortunæ bonis insidiari, inquit, quòd in has quicquid est opum & facultatum facile impendatur. Cæterum quòd aßilire & complecti eos, qui à fortuna quid acceperunt, adulari item, rogareq; apud se ut maneant, facit, & reliqua quæ sequuntur, eo ipso blandam nobis, fucatã, & fallacem uitiorum naturam describit, quæ sese sensuum illecebris & cupiditatum lenocinijs penitus in animum insinuant. Est autem hoc loco animaduertendum, cùm finis idq; cuius gratia quodq; fit, non minimam uim habeat ad impellendum, artificiosißimè hic ab autore fingi, uitia fallacis & fucosi finis obtentu, homines ad sese pellicere. Itaq; ipsos uitam experturos suauem pollicentur, doloris expertem, quæq; nihil in se molestiæ & solicitudinis habeat. Hæc enim, ut & Aristoteles censet, uulgarem popularemq; sensum maximè impellit, qui modo in doloris uacuitate,*

*modo in uoluptate beatitudinem constituit. quæ hic utraque coniunxit autor, ut hoc etiam efficacius incitent. Verùm quàm miserè hæ meretriculæ, qui ipsis credunt fideq́ habent, decipiunt, uideamus. subijcit enim autor:*

Si quis itaq; ab ipsis persuasus ad Vitam se uoluptariam conferat, tantisper quidem hæc congressio suauis esse uidetur, dum hominem titillat: postea nõ item. Nam cum ad se redierit sobriusq; factus fuerit, tum demum sentit non se edisse, sed ab ipsa depastum esse & indignis acceptum modis.

Ηδυπάθειαν, *quam nos Vitam uoluptariam uertimus, est autẽ propriè affectio iucunda & suauis, ab autore tanquam fallacem & fucosum proponi finem ex superioribus satis patet. Eoq́ eius domum quandam esse facit, quod mãsionis & quietis, quæ fini conuenit, est nota. Sed tantum abest ut hic acquiesci possit, ut nihil ipsi magis, quàm quies contraria esse uideatur, cùm tota eius in motu consistat natura. Quare rectè inquit autor, tandiu quod cum illa habemus commercium iucundum uideri, quandiu quasi titillaret sensus, & ad eos cum suauitate afflueret & illaberetur. Nam hoc tempore obtinente affectu, obscuratur atque penè obruitur mens & ratio, & perinde afficitur atque in graui ebrietate & crapula. quod significare uolens autor inquit:* ὅταν γὰρ ἀνανήψῃ, *id est, cùm ad sobrietatem redierit. id autem fit, tanquam fluctibus quibusdam & tempestate sedato affectu, discussaq́ quæ inde erat caligine, ac sic mente rursus & rationis ui præualente, quæ sit uoluptatis*

natura

*natura animaduertimus. Nullam enim ab hac aut animo aut corpori acceßionem eße factam (id enim non edisse hoc loco significat) sed hanc potius tum in animum, tum in corpus eße graßatam, eaq; indignis affecisse modis, dum animam quidem uitijs obnoxiam, ac proinde ad proprium opus deteriorem reddiderit: corporis autem sanitatem & robur labefactarit: interdum autem & morbosum & uitiatis humoribus obnoxium effecerit: ad hæc autem & externa appellata bona attriuerit, aut etiam penitus absorpserit. Nam hoc est, quod per uoces κατῃκίζετο & ὑβρίζετο, indicare uoluit autor. Sed his explicatis ad sequentia pergamus.*

Quapropter cùm omnia consumpserit, quæ à fortuna acceperat, his seruire mulieribus cogitur, omniaq; sustinere, & indecorè se gerere, earumq; gratia facere quæ noxia sunt, ut aliena surripere, sacrilegium committere, peierare, prodere, prædari, & quæcunque his sunt finitima.

*Quemadmodum in superioribus, qua ratione quatuor illa explicata uitia, aliud ex alio oriretur ostendimus: ita & hic consideremus, quomodo superiorum illorum occasione, ad iniustitiam omneq; flagitiorũ genus protrudamur. Primùm igitur quòd incontinentia, luxuria, inexplebilis cupiditas & aßentatio, quæq; harum ueluti domina est, ἡδυπάθεια, id est, ut uerbum uerbo reddamus, suauis affectio, ijs, quæ à fortuna dantur, insidientur, inq; se insumi cogant, superius satis est declaratum. Deinde uerò & illud*

*patet, quòd qui his sese uitiјs dedant, quoniam honestatū nullam habent rationem, ad honesta certè studia & artes, quibus uitæ necessaria sibi comparent, non admodum sese applicant. Neque enim à uoluptatibus & uitiјs tantum otiј ipsis est, animusq́ satis liber, & diutina consuetudine, quæ in naturam propemodum abiјt, inertes, ignaui & desides sunt redditi. Et tamen prioribus exuti bonis, alia sibi conquirant necesse est, quæ in procaces istas meretrices impendant. Itaque, quod Cicero inquit, hinc erumpat audacia necesse est, inde omnia scelera ac maleficia gignantur. Cùm igitur inquit Senex, Quapropter cùm omnia cōsumpserit, quæ à fortuna acceperat, his seruire mulieribus cogitur: necessitatem ostendit, priori exhausta, nouæ pecuniæ conficiendæ. Cùm uerò, omniaq́ sustinere: ex necessitate hac erumpentem audaciam describit. Nam* ὑπομένειν *apud Græcos, & sustinere apud Latinos, animū ad aliquid inducere & audere non raro significat. Quæ uerò deinceps sequuntur manifesta sunt. Ex audacia enim huiusmodi oriri affectum, quo pudori & honestati renunciamus, ac proinde scelera & maleficia uniuersa docet, quorum etiam nonnulla speciatim enumerat, ut furtum, sacrilegium, periurium, proditionem, prædationem. Esse autem hæc noxia inquit, illis ipsis nimirum scelerum autoribus. quod ex iјs quæ sequuntur manifestè patebit.*

Cùm igitur omnia ipsos defecerint, Punitioni traduntur.

*Quis*

Quis scelerum, & maleficiorum, & omnino uitiorum sit exitus & finis, deinceps docere instituit. Quod certè quàm utiliter fiat, nemo est qui ignoret. Hinc enim fit, ut ab iys absterreamur. Cæterũ finis quidem est miseria, quo statim quis præcipitatur. Neque enim longa ad ipsam est uia. Excipit autem primò homines in scelera prolapsos, quæ Græcis τιμωρία dicitur, nos Punitionem uertimus, ut genus generi responderet. Est autem hæc, animaduersio & castigatio quædam, tum ad utilitatem eius ipsius pertinens, qui punitur, si quidẽ de eo aliqua sit spes reliqua, ut in posterum ab iniustitia abstineat, meliorq́; fiat: nam factum infectum fieri non potest: tum ad exemplum aliorũ, ut quæ patiatur animaduertentes, à uitiys absterreãtur, ut ex Platonis Protagora & Gorgia est intelligere. Cæterũ puniuntur homines, nunc quidem à legibus & magistratu, nunc uerò à deo optimo & sapientissimo, dum aut morbi ipsis immittuntur, aut fame, aut bello premuntur, aut aliud quippiam mali sustinent: ad hæc autem, quod non minimum supplicium censet Plato, scelerum admissorum conscientia cruciantur. Atque hæc omnia in hac uita: nam de ea nunc Punitione agimus. Quanquam fuerit non incommodum & alterius quoque, quæ post mortem homines manet, rationem habere, quòd uim non paruã & hæc ob oculos sæpe posita habeat, ut pulchrè docet Zaleucus in prooemio legum. Rectè autẽ noster autor Iniustitiæ statim Punitionẽ subiycit, quod τιμωρία sit, ut autor est Plato libro

*de Legibus quinto, ἀδικίας ἀνόλεθος παθεῖ. Uerùm quoniam Senex tradi quidem eos Punitioni dixit, minimè tamen quænam illa eßet ostendit, non immerito deinceps subijcit Hospes:*

Quænam hæc est? Vides à tergo ipsarum, inquit, quodam quasi hostiolum paruum, & locum quempiam angustum & tenebricosum. Quinetiam mulieres turpes, sordidæ, pannisq́ obsitæ adesse uidentur. Maximè.

*Hæc explicationis parum indigere uidentur, in pictura spectanda. Quanquam illud, à tergo ipsarum, ad priores meretrices & ἡδυπάθειαν, non ad sequentes mulieres pertinet. Nam locus qui hic describitur, ab illarum tergo est: hæ autem hic degunt. Cæterum nec illud prætereundũ, nonnullos hic pro θυρίον, id est hostiolum, θηρίον legiße, quorũ est Lodouicus Odaxius Patauinus (bestiolã enim uertit) sed malè, ut quiuis facile uidet. Describitur autem hic paruum hostiolum, & locus angustus, quo nihil aliud ab autore significatur, nisi quòd harum affectionum natura sit, animum contrahere, coarctareq́, ut contrariarum dilatare, ac explicare, & quodammodo fundere. Tenebricosus autem, uel quòd menti tenebras offundant, uel quòd sic affecti tenebras ament, lucem oderint. Ipsæ autem mulieres cur turpes, sordidæ, pannis obsitæ fingantur, cuiuis promptum est intelligere. Neque enim aut uerè quicquam in se boni habent, aut ulla boni specie & adumbratione hæ affectiones sunt commendabiles: sed quales sunt, tales & eße uiden-*

uidentur. Igitur turpes ſunt, ſua nimirum ipſarum natura. Sordidæ & pannis obſitæ, utpote quæ nulla aſſumpta & aduentitia boni ſpecie ſeſe uenditare ſtudeant. Itaque ab omnibus ex æquo fugiuntur. Quis enim eſt, qui harum affectionum aliquam ſibi, ſiue bonus is, ſiue malus ſit, expetendam ducat? Quòd ſi hæ nonnunquam cauſæ boni ſunt, id certè per accidens eſt, non per ſe: ut ultimo commentariorum libro docebimus. Cæterum quod ad orationem attinet, quanquam haud ita magni refert, uariè hæc diſtingui poteſt, ut aut tota uſque ad, Maximè, Senis eſſe ſtatuatur, ſiue enunciatiuè quis eam, ſiue interrogatiuè legat: aut prius quidem illud, Vides à tergo ipſarum, inquit, quoddam quaſi hoſtiolum paruum, & locum quempiam anguſtum & tenebricoſum, Seni: poſterius uerò, Quinetiam mulieres turpes, ſordidæ, pannisq́ obſitæ adeſſe uidentur, hoſpiti tribuamus: atque ita illud, Maximè, Senis rurſus erit, cuius & ea ſunt, quæ ſequuntur.

Atenim ex his, quæ flagellum manu tenet, Punitio uocatur. Quæ caput ad genua demiſſum habet, Aegritudo. Quæ capillos ſibi euellit, Aerumna.

*Tres hic ponit mulieres, quarum prima, quam uim habeat, ſuperius eſt traditum. Nam delicta punire, eius eſſe oſtendimus: qua de cauſa & flagellum manu tenet. Duæ uerò reliquæ, animi ſunt perturbationes, quæ Punitionem ſequuntur: quarum prior Græcis λύπη dicitur, Cicero Aegritudinem uertit. Hæc uarie à Stoicis definitur. Nam*

*Chrysippus, nunc quidem δόξαν πρόσφατον κακοῦ παρουσίας, id est, opinionem recentem mali præsentiæ, nunc uerò μείωσιν ἐπὶ φευκτῷ δοκοῦντι ὑπάρχειν, id est, imminutionem ob id, quod fugiendum esse uidetur, ipsam statuit. Zeno autem, συστολὴν ἄλογον ψυχῆς, quod Cicero libro Tusculanarum Quæstionum quarto interpretari uidetur, animi aduersante ratione contractionem: neque id fortasse malè. Cùm enim apud Græcos τὸ ἄλογον duobus accipiatur modis, interdum quidē, ut τῷ εὐλόγῳ opponatur, ac sit ἁμάρτημα καὶ κρίσις μοχθηρά, id est, error & uitiosum iudicium: interdum uerò, quod citra omnem fit rationem, cuiusmodi est, quæ secundùm perturbationem fit appetitio & motio: hanc certè, quoniam fit ἀπεστραμμένως καὶ ἀπειθῶς τῷ λόγῳ, ut in primo de Perturbationibus uult Chrysippus, aduersante ratione fieri, nō malè quis dixerit. Sunt autem hæ definitiones uitiosæ omnes, quinetiam nonnullæ inter se contrariæ. Neque enim rectè ad opinionem, quæ æstimatricis animæ partis est affectio, tanquam genus, ægritudo, quæ ad ἐπιθυμητικὸν pertinet, reducatur. & nunc quidem δόξαν eam facere, nunc uero μείωσιν aut ἄλογον συστολὴν, pugnantia omnino est dicere. Cæterū rectè eam definias, si animi perturbationem esse dicas, propter opinionem recentem mali præsentis. Nam sic & rationis expertis animæ partis eam feceris, & simul affectionis causam definitione comprehenderis. Hanc autem Punitionem sequi, rectè facit autor, quandoquidem ea præsens quoddam malū esse uidetur. Sed quam tandem ob causam*

caput

*caput ad genua demissũ ipsam habere facit? An quia hic mos est eorũ, qui ægritudine sunt affecti? An uero potius ad Stoicorum definitionem respiciens, qua ipsam συστολὴν ψυχῆς ἄλογον esse asserunt? Certè contrahi animoq; deijci uidemus, qui ita sunt affecti, uel corporis id habitu indicãte. Quæ uerò deinceps sequitur ærumna, sic enim ὀδύνην Ciceronem imitatus interpretor, species quidẽ, ut uolunt Stoici, ægritudinis est: definiunt autem eam λύπην ἐπίπονον, id est, ægritudinem laboriosam, quòd non solùm hæc affectio animum affligat, sed in corpus etiam redundet. Unde & capillos sibi euellere fingitur. Neque uerò hæc solum mala Punitionem sequuntur, sed etiam alia duo, de quibus statim interrogat Hospes.*

Atenim alius hic, qui ipsis adstat, deformis, corporis habitu tenui & nudus: ac deinde quædam ei similis turpis & macilenta, quinam sunt? Hic quidem Luctus uocatur, illa uero eius soror Anxietas. His igitur traditur, & cum his uitam agens supplicio afficitur.

*Præter superiores, alios insuper duos Punitioni adiungit comites, ὀδυρμὸν καὶ ἀθυμίαν, id est, Luctũ & Anxietatem. quorum illum quidem deformem, tenui corporis habitu & nudum facit, utpote qui tristis & acerbus cùm sit, homines pallentes, squalidos, exangues, denique sic affectos reddit, ut mortis quampiam imaginem te uidere credas: hanc uerò illi persimilem, quam proinde sororem eius nominat, ijsdem illis, ut arbitror, de causis. Cæterùm Luctum*

ctum Cicero libro Tuscu. Quæst. quarto sic definit: Luctus est ægritudo ex eius, qui charus fuit, interitu acerbo. quæ certè definitio, etsi uerissima est, tamen nostro huic Luctui, Punitionis comiti parum cõuenit, sed ea potius quam ibidem lamentationis facit, ut Luctum, de quo nunc agimus, esse dicamus, ægritudinem cum eiulatu. Quanquam posset forsitan aliquo modo & Luctus apud Cicerone͂ definitio, etiam nostro huic accommodari: si nimirum sic affectum, sua ueluti interijsse opinione accipiamus, ac proinde seipsum lugere. Neque enim alter quispiam, quàm ipsemet sibi quilibet charior est. Existimant autem homines uulgares & indocti, non solum si animo male sint cõstituti, quod non usquequaque absurdum uideatur, non esse ipsis amplius uitam uitalem, sed etiam, si quid corpori grauius accidat, aut amissio quæpiam bonorum maior intercidat, de se penitus esse actum. Hinc apud Comicos & Tragicos crebræ illæ uoces, Nullus sum, perij, interij, occidi, ut apud Plautum Euclionis, qui quadrilibrem auri aulam perdiderat. ἀθυμία uerò, id est, Anxietas quid sit, sic arbitror, optime cognouerimus, si primùm inspiciamus, cuius animæ partis sit affectio. Sanè, ut uox ipsa ostendit, τοῦ θυμοειδοῦς esse manifestum est. Et quoniam τοῦ θυμοῦ priuationem quandam ipsa compositione significare uidetur, non cuiusuis ipsius operis, sed eius, quod per se est, fuerit. Id autem esse prius traditum est, animi excelsi & inuicti magnitudinem & robur, sic enim τὸν τόνον τῆς ψυχῆς, καὶ τὸ ἀήττητον interpretor.

pretor. Quare huius ipsius defectio & dissolutio, ἀθυμία nimirum fuerit: cum qua aut eadem, aut admodum certe uicina affectio est δυσθυμία, ratione tantum maioris minorisue distans. At ἀθυμία ut & hoc obiter explicemus, ad alterum eiusdem huius partis per se opus pertinet, perseuerantiam nimirum in iis, quæ ratio iubet, ut animi in iis exequendis, quidam sit languor & desidia. βαρυθυμία autem, ὀχληρότητος quædam est species, quæ & χαλεπότης dicitur. Cæterum nos ἀθυμίαν Anxietatem uertimus, nec omnino, ut arbitror, male. Nam si quod ἄση est corpori, id ἀθυμία animo, quòd, ut ibi corporis uires à corpore grauantur, ut nullam decubitus figuram facile ferant, ita hic à curis & consimilibus affectionibus animus premitur, ut requietem nusquam inueniat. Cicero autem angorem, qui ab anxietate hoc differt, quod ira ab iracundia, ægritudinem prementem definiat, non pronam ad luctum & mærentem, semperq́ ipsam se solicitantem, asserat, nemini dubium: quoniam quod ἀθυμία Græcis, id Latinis sit anxietas. Hoc tamen inter has uoces interest, quòd Latina ab efficientis causæ effectu, Græca autem à patientis animæ partis affectione effectum illum comitante sit appellata. Uidetur autem Vergilius libro Aeneidos sexto, Luctui non sororem ἀθυμίαν, sed Curas adiecisse, cùm inquit.

Vestibulum ante ipsum, primisq́ in faucibus Orci
Luctus, & ultrices posuere cubilia Curæ.

Sed & hoc in idem recidit, quòd Curæ Anxietatis sint

*causa. Unde Cicero libro De diuinatione primo, eas anxiferas appellat, & Accius, Ubi cura est, inquit, ibi anxitudo acerba. Et has quidē quatuor affectiones Punitioni adiungit, sub quibus etiā alias consimiles cōprehensas esse, intelligi oportet, ut mœrorē, solicitudinem, molestiam, afflictationem: & cum his in cruciatu & supplicio, qui Punitioni traditus est, uitam agere asserit, atque ita, quod grauissimum est, ad infelicitatem detrudi, ut in sequentibus docet.*

Deinde rursus hinc in aliud domicilium detruditur ad ipsam Infelicitatem, & ibi quod uitæ est reliquum in omni miseria traducit, nisi pœnitentia ipsi à fortuna occurrerit.

*Ut beatitudo bonorum omnium finis est & extremū, ita malorum infelicitas. Quare & domum quandam eius facit. Porrò infelicitas, quam κακοδαιμονίαν Græci uocant, status quidam est, non solum omni uitiorum genere, sed etiam corporis & externis malis cumulatus. In huius igitur domicilium ad extremum detrudi ipsum asserit, & quod superest uitæ in omni miseria degere, nisi Pœnitentia ipsi à Fortuna occurrerit. Nam sic omnino Græca accipienda uidentur propter articulum τῆς, Fortunæ additum. alioqui interpretari liceret, Nisi Pœnitentia ipsi forte occurrerit. Unde non immerito quispiam dubitet, cur Pœnitentiam à Fortuna proficisci uelit, quòd nimirum rationis & mentis est particeps, ut ipsius nominis uis & etymologia indi-*

*cat, ab eo quòd in rationis priuatione consistit, ut superius est traditum. Utrum igiuur hoc loco per Fortunam, Prouidentiam intelligere oportet, ut superius nonnunquã apud autores usurpari uideri admonuimus? An uerò potius idcirco à Fortuna Pœnitentiam occurrere facit, quòd inconsultè ac temere prӕterq; nostrum institutum in eam incidamus? Neque enim ob hoc ad uitia uitamq; uoluptariam nos contulimus, ut per Punitionem & reliqua mala atque ipsam etiam Infelicitatem ad Pœnitentiam tandem perueniremus: sed accidit sic agentibus & uiuentibus nobis in eam incidere, non secus atque agrum fodientem, uineӕ, puta, plantandӕ gratia, thesaurum inuenire. Et alioqui rarӕ cuiusdam felicitatis & fortunӕ esse uidetur, eò prolapsum, ad mentem unquam redire, & emergere aliquando, & se ad frugem bonam, ut dicitur, recipere: quӕ pœnitentiӕ esse ex ipsius definitione, quӕ apud Grӕcos circumfertur, manifestè patet. Est autẽ huiusmodi: Μετάνοιά ἐστι, συναίσθησίς τε ψυχῆς ἐφ' οἷς ἔπραξεν ἀτόπως, καὶ ἡ πρὸς τὸ κρεῖσσον ἐπιστροφή, id est, Pœnitentia est, tum conscientia animi propter ea quӕ perperam sunt facta, tum ad meliorem statum conuersio. Videtur autem Grӕca uox, si quis diligentius intueatur, non solum à posterius intelligendo, ut uult Erasmus, dicta, ubi quis nimirum lapsus, re peracta, tum demũ animaduertit erratum suum: sed gemina quӕdam hic prӕpositionis μετὰ, uis subesse. Altera, de qua modo egimus, quӕ ὑστεροχρονίαν significat. Altera uerò, quӕ ἀπὸ πράγματος*

εἰς πρᾶγμα μετάβασιν, id eſt, à re ad rem tranſitum. Nam & in alijs permultis id eſt animaduertere, ut in μεταβουλεύεσθαι, quod interdum poſt rem conſilium capere ſignificat: quod Epimethei, non Promethei eſſe inquit Lucianus. Interdũ uerò conſilium mutare. Id autem fit, uel ſedato affectu diſcuſſaq; quæ inde erat caligine, quæ conſilij capiendi deliberationem impediebat. cuiuſmodi apud Vergilium libro primo Aeneidos de Iunone Veneri pollicetur Iupiter:

-quin aſpera Iuno,
Quæ mare nunc, terrasq; metu, cœlumq; fatigat,
Conſilia in melius referet.

Vel poſterioribus cogitationibus, quæ plerũque, ut aiunt, ſapientiores eſſe ſolent, aliquid animaduertentibus, quod priores fefellerat: aut etiam temporibus ipſis, reliquisq; circunſtantijs mutatis, ad quæ & conſilia mutari neceſſe eſt. Tale eſt illud Terentij:

Prò Iuppiter. M. quid? D. ſponſæ pater interuenit.
Repudio conſilium, quod primum intenderam.

Sed tertia hæc quidem conſilij mutatio, omni uacare culpa poteſt, quòd huiuſmodi conſilij mutandi cauſæ, in noſtra minimè ſint poteſtate. Reliquæ non item, quòd illic πάθος, hic ἁμάρτημα priori conſilio intercurrat. Conſimili autem ratione & μεταγινώσκειν dicitur, nunc quidem τὸ ἐχθὲς γινώσκειν, id eſt, faſrum cognoſcere, quod νηπίου, id eſt, ſtulti eſſe, Heſiodus & Homerus aſſerunt. Unde & Lactantius libro Diui. Inſtitu. ſexto, capite uigeſimo quarto inquit:

Quem

*Quem enim facti sui pœnitet, errorem suum pristinum intelligit. Ideoq; Græci melius & significantius* μετάγνωσιν *dicunt, quam nos Latinè possumus dicere resipiscentiam: nunc uerò sententiam permutare, cuius eadem est, quæ* τοῦ μεταβουλεύεσθαι *ratio, differtq; hoc ab illo, quod à conclusione ratiocinatio. Nam* γνώμη, τῆς βουλῆς, *id est, sententia, consilij quædam est ueluti conclusio. Eodē igitur modo &* μετάνοια, *nonnunquam* τὴν μετὰ τὸ πρᾶγμα νόησιν *significat: aliquando* γνησίαν, *ut definiunt nonnulli,* ἀπὸ τῶν ἁμαρτημάτων ἐπὶ τὸ ἐναντίον ἀγαθὸν ἐπιστροφήν. *quæ quoniam haberi non potest, nisi præcedente delictorum notitia, fit ut salutaris pœnitentia seu resipiscentia dicere mauis, utroque constet, & eorum quæ perperam facta sunt animaduersione, & ad meliorem frugem receptione, quæ utraque prior Græca definitio complectitur. Neque uerò aliter de ea sentire uidetur, loco iam à me citato Lactantius, cùm inquit: Resipiscit enim, ac suā mentem quasi ab insania recipit, quem errati piget, castigatq; seipsum dementiæ, & confirmat animum suum ad rectius uiuendum, tum idipsum maximè cauet, ne rursus in eosdem laqueos inducatur. Sed de Pœnitentia eiusq; occursu hæc propemodum sufficiant. Nunc quis eius usus, quod sit officium, deinceps ab autore audiamus.*

Quid tum inde? Si Pœnitentia ei occurrerit, à malis ipsum eripit, conciliatq; ei ac commendat aliam Opinionem & Cupiditatē, quæ ad Veram disciplinā ducit, nec minus interim ad eam, quæ Falsa disciplina appellatur.

*Duo quæpiam Pœnitentiæ officia tribuit autor. Prius, à malis eripere. Posterius, ad bona promouere. Eripit autem à malis, dum pristinum errorem intelligere nos facit, uitiorum naturam aperit, opinionum, quibus hactenus ducti sumus, falsitatem coarguit, Voluptatum cupiditatumq; adumbratam boni speciem retegit, ostenditq; quàm damnosa hæc & detestabilia sint. Ad bonum uerò promouet, ut ipse inquit, dum aliam nobis Opinionem & Cupiditatem adiungit & commendat, quod quam uim habeat, sic optimè, arbitror, considerauerimus. Cùm duplex sit animorum uis, ut superius est traditum, cognitionis altera, altera uerò appetitus: uidetur certè, quod acutè eximium illud ingenij lumen, Ioannes Lod. Viues, libro de Veritate fidei Christianæ primo perspexit, propter hanc, animanti illa à natura esse tributa, ut non solum stimulatrix & concitatrix, quod in sensibus potissimũ & imaginatione, simpliciterq; in omni irrationali cognitione animaduertimus, sed etiam dux & magistra quædam esset, præcipuè autem quæ rationalis est, cognitio, appetitus. Itaque ad mentem & cogitationem, scientiam & prudentiam dirigitur appetitus: sed in perfectioribus. Dirigitur autem & ad opinionem, ut in uulgaribus, quique adhuc imperfectiores existunt. Necesse est igitur, si opinio quidem falsa sit (nam & talis, & uera esse potest, mens autẽ & scientia non itidẽ) uitiosum quoque sequi appetitum, atque ut trunque deinceps actiones etiam prauas. Idq; ex superioribus est intelligere,*

gere, ubi uoluptatem summum bonum existimantes, dolorem contrà summum malum, hunc quidem fugiebant, illam uerò totis uiribus persequebantur. Quam etiã ob causam in omne uitiorum genus prolapsi, huc tandem per uaria mala ad infelicitatem sunt appulsi. Cæterũ hoc ijs accidit, quòd eam naturæ conciliationem animaduerterent tantùm, quam infimæ in nobis animæ partis, quæ cupiditatis est, ratione habemus: à qua sanè non id ducitur, quod hominis est proprium bonum, cùm ea nobis sit cum bestijs communis conciliatio, quemadmodum & ea, qua in uictoriam propendemus, quam & ipsam rursus animosæ animæ partis occasione obtinemus. Quare suo edocti malo nõnulli, & falsam hanc esse opinionem & cupiditatem noxiam pœnitentia docente animaduertentes, aliam esse hominis dignitatem, aliam excellentiam suspicantur. Neque enim huc, quò reliqua animalia, hunc esse conditum, quæ natura prona, ut inquit Sallustius, atque uentri obedientia finxit: sed ad honesti potius studium, ad quod propter eam, quæ rationis est compos animæ pars, conciliationem naturalem sortiti sumus. Hoc enim demum esse, quod hominis, qua homo est, proprium est bonum. Et sic quidem talem opinionem rectus sequitur appetitus, quam cupiditatem hoc loco uocat autor. Quanquam fieri potest, ut non unam aliquam Opinionem & Cupiditatem, sed ipsum uerarum opinionum genus, Opinionis, & rectarum ac castigatarum cupiditatũ, cupiditatis nomine significet, Nam

& ue-

*& ueræ opiniones & rectæ cupiditates, rectè factorum, ut superius indicauimus, sunt causæ. Inquit autem hanc opinionem & cupiditatem ad ueram disciplinam ducere, à qua falsæ & erroneæ opiniones & cupiditates prauæ abducebant: simul autem & ad eam, quæ Falsa disciplina dicitur. Quámnam autem Veram & Falsam disciplinam uocet, proximo commentariorum libro explicabimus. Est enim hoc eius loci proprium. Nunc quid deinde accidere dicat autor, consideremus.*

Deinde quid fit? Si quidem, inquit, Opinionem hanc assumpserit, quæ ad ueram ipsum disciplinam deductura est, ab ipsa purgatus seruatur incolumis, ac felix & beatus in omni redditur uita: nisi rursus à Falsa opinione in errorem impellitur. Papæ quàm magnum periculum aliud hoc est.

*In hac Senis oratione nonnulla ambiguitas esse uidetur. Primùm quod illud, ab ipsa purgatus seruatur incolumis, tum ad Opinionem, tum ad Veram disciplinam referri posse uideatur, ut intelligamus, uel ab opinione, uel à Vera disciplina ipsum purgatum seruari incolumem. Verum ex iis, quæ sequuntur, manifestè constat, de Vera id dici disciplina, cuius officium est, accedentibus purgatoriam uim potandam exhibere. Deinde uerò & hoc,* εἰ δὲ μὴ, *id est, Sin minus, sic dictum uidetur, ut ex superioribus sit repetendum, Opinionem hanc assumpserit, & sic ei opponatur,* ἐάν μὲν, *id est, si quidem. Quod quidem si recipimus, aliud esse* ψευδοδοξίαν, *aliud* ψευδοπαιδείαν *necesse est, quod superius*

*superius unam eandemq́ Opinionem & ad ueram & ad falsam nos ducere Disciplinam dixerit autor. Si uerò, quòd magis mihi uerisimile est, idem nunc utraque uoce significetur, tum sanè ea mihi magis lectio probatur, quam quidam sequitur interpretum, ἂν μὴ πάλιν πλανᾶται ὑπὸ τῆς ψευδοδοξίας, id est, nisi rursus in errorem à Falsa opinione impellatur. Et hæc quidem, quod ad orationis, pertinet ambiguitatem. Inquit autem autor, si hanc, de qua iam dictum est, Opinionem aßumpserit, ab ea quidem ad ueram ipsum ducẽdum eße Disciplinam: à uera autem Disciplina purgatum (rationem autem ac modum proximo discemus libro) seruandum incolumem, ac felicẽ & beatum in omni reddendum uita: Nisi, inquit, à Falsa opinione (idem autem est, ac si Falsam dixißet disciplinam) rursus in errorẽ impellatur: quod qua ratione fiat, quæq́ sit Falsæ disciplinæ natura, quod opus, proximi commentariorum libri initium explicabit: ad quod ut transeamus, iam tempestiuum arbitror.*

FINIS.

# IVSTI VELSII HAGANI
## IN CEBETIS THEBANI TABVLAM COMMENTARIORVM LIB. IIII.



*Umanæ naturæ ea est conditio, ut primò quidem cum ignorantia nascatur, non solũ omnis uirtutis expers, sed etiam ad uitia & mala procliuis. Deinde uerò, si quidem ab ignorantia ad scientiam, à uitijs ad uirtutes progredi debeat, per media quæpiam id fiat necesse est. Neque enim ab extremo subitò ad extremum datur transitus, quod & in omni rerum natura spectare licet. Quare inter ignorationem & scientiam, opinio, & disciplina seu eruditio media est: inter uitium uerò & uirtutem, appetitus, & animi quædã constitutio, in qua lucta quæpiã affectus & rationis notatur. Cæterũ tam opinio quàm disciplina, tum uera tum falsa esse potest: ignorantia non nisi falsa: scientia uera tantùm. Consimili autem ratione, & appetitus, & ea, de qua diximus, animi constitutio tum ad bonum, tum ad malum propendere potest, cùm uitium tantum sit malum, uirtus contrà bona tantùm. Et opinio quidem uera, nihil, aut certè minimum uidetur, quantum ad agendum pertinet, ab eruditione seu disciplina, & scientia differre, quantum ad iudicandum, plurimum. Unde Aristoteles cùm triplicem libro tertio Politicorum medicum esse statuisset, δημιουργόν, qui ex alieno præscripto rectisq; opinionibus, quarum neq; demon-*

*demonstrationem neque rationem probabilem adferre posset, artē exercet. ἀρχιτεκτονικὸν, quem & εἰδότα, id est, scientem ibidem appellat, & πεπαιδευμένον, id est, eruditū, his quidem iudicandi uim tribuit, illi autem minimè. Pari autem ratione inter appetitum rectum & eam animi constitutionem, in qua ratio affectum superat, itemq́ uirtutem, quantum ad uitæ morumq́ probitatem externam spectat, minimum discrimē esse uidetur: quanquā quoad alia quæpiam, ut ex sequentibus cognoscemus, plurimum distant. Voco autem hoc loco appetitum, quem Græci ὄρεξιν nominant, qui in pueris rectus plerunque ex institutione quadā puerili excitatur. Sed de ignorantia quidem, opinione & appetitu, quæq́ his sunt cognata, itemq́ uitiis & malis, in primi ambitus explicatione egimus. De Falsa uerò disciplina, etiamsi extra secundum ambitum sit cōstituta, quoniam tamen ad ipsius ingressum est collocata, eiusq́ amatores intra secundum conspiciuntur ambitum: deq́ Continentia & Tolerātia, quæ animi quæpiā sunt affectiones, in quibus rationi cedit affectus: itemq́ de Vera disciplina, & quæ eius filiæ esse dicuntur, Veritas & Persuasio (hæc enim omnia ad secundum pertinent ambitum) in quarto hoc commentariorum libro, quantum instituto nostro conuenire uidebitur, disseremus, ab his autoris nostri uerbis exorsi.*

Verum enimuero Falsa hæc disciplina quænam est? inquam ego. Vides'ne alterum illum ambitum? Omni-

no, inquam, uideo. Extra ambitum igitur ad ingressum mulier quædam consistit, quæ munda admodum & elegans esse uidetur. Prorsus ita se res habet. Hanc itaque homines uulgares ac leues Disciplinam appellant, cùm non sit, sed Falsa disciplina, inquit. Atenim seruandi cùm Veram petere disciplinam contendunt, huc primum diuertunt.

*Quæ de Falsa hic disciplina ab autore dicuntur, ea ut melius assequamur, necessarium esse uidetur, prius quid omnino disciplina sit constituisse. Sic enim & quæ falsa dicatur, facile cognosci poterit. Est igitur in uniuersum παιδεία, tum habitus quidam, qui altera ex parte scientiæ respõdet, tum ad huiusmodi habitum institutio, quam etiam ob causam duæ apud Latinos ipsi uoces respondent, Eruditio & Disciplina. Cæterum de priore eius significatione, Aristoteles libro de partibus animalium primo, hunc in modum disserit: In omni contemplatione ac methodo, tam humiliori, quàm præstantiori, duo habitus modi esse uidentur: quorum alterum quidem rei scientiam rectè appellaueris: alterum uerò eruditionem quandam. Eruditi enim est, quodammodo probabiliter iudicare posse, quid bene, aut non bene explicet qui disserit. Nam huiusmodi sanè quendam, & qui uniuerse est eruditus, esse arbitramur, & eruditũ esse, hoc, quod dictum est, facere posse. Sed hunc quidem, de omnibus, propè dixerim, iudicandi ui præditũ esse, unus numero cùm sit, existimamus: illum uero, de definita quapiam natura. Fuerit enim alius quispiam eodem*

*modo*

modo cum iam dicto affectus in una quapiam parte. Quare patet, quòd & naturæ inuestigationis tales quosdam esse terminos oportet, ad quos respiciens modum probãdorum admittat, citra exquisitam ueri indagationem atque inuentionem, sícne, an aliter se habeat. Ex quibus Aristotelis uerbis colligere promptum est, hoc inter scientem & eruditum interesse, quòd ille demonstratiuæ methodi præsidio, accuratam, exquisitam, firmam ac stabilem, &, ut sic dixerim, scientificam rei cognitionem habeat: hic uerò dialectices adminiculo, probabili coniectura & ratione innixam tantum. Et prior quidem παιδείας significatio, hæc & huiusmodi est. Posterior uerò, qua institutionem quandam ad eam, quam diximus eruditionem, significat, describitur illa quidẽ à Platone, libro primo de Legibus satis exquisitè, sed ita tamen, ut, dum suo seruit instituto, ad actionem magis, quàm ad eam, de qua agimus eruditione & cognitione, accommodata sit. Nos autem eam in tribus potißimũ consistere iudicamus. Primum ingenij cuiusque exploratione, non ea solum de causa, quòd, cùm magna sit ingeniorũ diuersitas, & alia quidem sint acutiora & perspicaciora, alia uerò hebetiora & tardiora, ad horum quidem se captum institutor demittere, illorum uerò, altius attollere debeat: sed etiam quòd ex ijs, quæ cuiq; uidentur, & probabilia sunt, cum unoquoq; sit agendum. Cæterùm qua ratione ac uia uniuscuiusque ingenij periculũ facere oporteat, breuiter quidem, ut fere omnia, in dialecticis do-

*cet Aristoteles: exemplis autem clarissimis copiosè explicat Plato, compluribus etiam ipsius dialogis ab hoc ipso* πειραστικοῖς *appellatis. Deinde disciplinarum earum ac methodorum, quæ ad quamque eruditionem comparandā sunt necessariæ, inter quas dialectica, ut in genere dicam, non postremum obtinet locum, traditione. Tertio uero & postremo, exercitatione, consuetudine & commentatione assidua & quotidiana peritè dubitandi & in utramque partem disserendi. Hac enim elicitur & tanquam exprimitur aliquid, quod aut uerum sit, aut ad id quam proximè accedat. Atque hæ quidem* παιδείας *duæ sunt significationes, quarum utraque, quàm quæ apud nostrum habetur autorem, generalior est. Possumus autem eam hoc modo, ex autoris nostri sententia, qui latiori ipsam oratione explicat, breuiter definire,* παιδείαν *esse dicētes,* σωφρονισμόν τινὰ ἀμαθίας ἀπαλλακτικὸν καὶ κακίας ἁπάσης ἐκκαθαρτικόν, *id est, ut sententiam utcunque reddamus, animaduersionem, castigationem & moderationem, quæ ab imperitia nos liberandi, & ab omni uitiositate expurgandi uim obtinet. Sed hoc quidem si sit* παιδεία, *erit nimirum, quæ hanc ementitur,* ψευδοπαιδεία, φαινόμενος σωφρονισμὸς ἀμαθίας ἀπαλλακτικός, καὶ κακίας ἁπάσης ἐκκαθαρτικός, *ut in sequentibus latius docebimus. Constituit autem hanc extra secundum ambitum, sed ad eius tamen ingressum. quo significare mihi uelle uidetur, fucosam & fallacem ipsius esse naturam, sed quæ usum tamen aliquem obtineat, ut suo docebimus loco. Cæ-*

*terum*

terum cur πάνυ καθαρὰ εὔτακτος eſſe uideatur, cuiuis intelligere promptum. Nam quæ alios purgatura uidetur, ipſa prius puritatem & munditiam præ ſe ferat oportet: & cũ φαινόμενον σωφρονισμὸν eam eſſe dixerimus, non immerito τὸ φαινόμενον εὔτακτον ipſi tribuitur. Eſt enim concinnitas, & elegantia, ſic enim εὐταξίαν interpretor, σωφροσύνης, quam & κοσμιότητα nominant, propria, maximeq́ cum, ut inquit libro Politicorum quarto Plato, non abſimilis hæc ſit ἁρμονίᾳ. Hanc autem homines uulgares & leues Diſciplinæ loco habere, inquit, quod ſi unquam aliàs, hac certè noſtra ætate magno mortalium malò experimur: qua non ſolum, quam autor deſcribit ψευδοπαιδείαν, ſed huius etiam ipſius ψευδοπαιδείας ψευδοπαιδείαν ἑτέραν, ὥσπερ εἴδωλον εἰδώλου, omnia tantum non occupare animaduertimus. Sed de hoc poſterius commodior erit diſſerendi locus. Nunc in autoris explicatione pergentes, uideamus quare hoc ipſum, quod à Sene dicitur, uulgaribus & leuibus hominibus, quiq́ præcipitis ſunt iudicij uſuueniat. An hoc ipſum manifeſtum eſt, cùm error adhuc in huiuſmodi & deceptionis poculum obtineat? Et alioqui fucata & ſimulata ſynceris plerunque & ueris maiora uidentur. Sed cur & ſeruandos, cùm ueram petere diſciplinam contendunt, huc primum diuertere aſſerit? An & hos deceptos id facere dicemus? quod propemodum ex eo ſuſpicari licet, quod non ita multo pòſt apud autorẽ ſequitur, μέχρις ἂν ἀπογνόντες τῆς ψευδοπαιδείας, ἐπέλθωσιν εἰς τὴν ἀληθινὴν ὁδόν, & cætera quæ ſequũtur.

*tur. An uerò potius non sine numine & mente huc sese ipsos applicare dicemus, quod posterius iubere Numē narretur, ut aliquandiu apud Falsam disciplinam commorentur, & nonnulla ipsis usui futura, ab ea accipiāt? Verùm de hoc in sequentibus exactius considerabimus. Nunc quid apud autorem nostrum sequatur uideamus.*

Nunquid igitur alia uia est, quæ ad Veram ducit disciplinam? Est, inquit.

*Cùm seruandos, ad Falsam disciplinam diuertere audisset hospes, priusquam ad ueram peruenirent, non ineptè interrogare uidetur, sítne alia quæpiam ad Verā disciplinam perueniendi uia, quàm hæc, quæ per Falsam est disciplinam. Cui Senex, esse quidem respondet: quænam autem illa sit, nunc non explicat, quod posterius id commodius facturus uideatur. Quare nec nos nunc de hac re quippiam dicemus: sed cùm ad eum autoris locum peruenerimus, ubi de hoc agitur.*

Sed hi homines, qui intra ambitum reuertuntur, qui nā sunt? Falsæ, inquit, disciplinæ amatores, decepti existimantesq́ꝫ sibi cum Vera disciplina commercium esse.

*Quæ hic ab autore dicuntur facilia sunt, quæq́ꝫ ocularis inspectionis magis, quàm explicationis indigere uideantur. Sed tamen, quod ex hospitis interrogatione (seu percunctatione dicere mauis) intelligitur, id minimè indiscussū relinquendum arbitror, cur intra ambitū, secundum nimirū, Falsæ disciplinæ amatores reuerti fingantur. Nam hoc*

ἀνακάμπτειν, *non autem de uia declinare, ſibi uelle exiſtimo. Utrum igitur uiæ, quæ non ita multo poſt, circa Continentiam & Tolerantiam, proferre ſe incipit, difficultate deterritos, id eos facere exiſtimandum eſt? An uerò potius, quòd in iis acquieſcentes ſcientiis & artibus, de quibus mox agemus, alii his ad gloriam comparandam, alii ad uoluptatem, ad diuitias alii, & alii item ad aliud quid ex iis, quæ hominum uulgus admiratur & ſtupeſcit, re uera autem per ſe bona non ſunt, abutantur, quæ in primum rurſus ambitum eos retrahant? Certè utrunque uſuuenire uidemus. Cæterùm quod inquit, hos Falſæ diſciplinæ amatores deceptos, arbitrari ſibi cum Uera diſciplina eſſe commercium, id propter quandam Falſæ cum Uera diſciplina ſimilitudinem ipſis accidit, qua fit, ut hanc ab illa ſecernere & internoſcere huiuſmodi homines nequeant, quod & in aliis multis rebus euenire manifeſtum eſt, ut docet Ariſtoteles, in Sophiſticis Elenchis, ſtatim in principio.*

Qui igitur hi uocantur? Alii, inquit, Poëtæ, alii Oratores, alii Dialectici, alii Muſici, alii Arithmetici, alii Geometræ, alii Aſtrologi, alii Voluptarii, alii Peripatetici, alii Critici, & quicunque his tandem ſunt ſimiles.

*Qui hic ab autore enumerantur Falſæ diſciplinæ amatores, eorum alii à ſcientia ſeu facultate, quam profitetur: alii à ſecta, quam ſequuntur, ſunt appellati. Et ſcientiæ quidem, à quibus nomen obtinent, eæ ſunt, quas ingenuas*

& liberales nominamus: quarum tres, quæ sermonis sunt, Logicas: quatuor uerò, quæ circa quantitatem uersantur, Mathematicas appellare, publico usu receptum est. Sectæ autem cuiusmodi sint, posterius dicemus. Verùm hoc loco non iniuria dubitauerit aliquis, qua ratione has tam nobiles & præclaras disciplinas, quæq; ad sapientiam comparandam uidentur necessariæ, ad Falsam referat disciplinam. Nam mathematicæ, ut de his primum agamus, uidentur illæ quidem non solum per se expetendæ, cùm eius, quæ in contemplatione est posita, philosophiæ pars sint non minima, ut Nicomachus Gerasinus, libro suæ Arithmetices primo, firmis probat argumentis, & Proclus item primo commentariorum in Euclidem: sed etiam uim quandam habere, ut Græcè significantius dicam, ἀναγωγικὴν καὶ καθαρτικήν: quarum illam quidē, libro iam à me citato, ex Platone docet Nicomachus, cùm inquit: Et uerò Plato ad finem decimitertij de Legibus libri, qui à quibusdam Philosophus inscribitur, quòd in eo consideret, qualem Philosophum esse oporteat, summatim colligens, quæ pluribus disputata & confirmata sunt, infert: Omne lineamentum, numeriq; coagmentationem, ac harmoniæ cōciliationem, astrorumq; lationis conuenientiam, unam apparere ei, qui commodè discat, oportet. Cæterùm uidebitur, quòd dicimus, rectè, si quis in unum intuens, omnia discat. Vinculùm enim omnium horum unum apparebit. Quòd si quis aliter philosophiam tractet, fortunam aduocet adiutricem oportet.

oportet. Neque enim sine his quæpiam unquam in rebus pub. beata reddetur natura. Sed hic modus, hæ disciplinæ, siue difficiles, siue faciles, hàc eundum. Negligere autem minimè conuenit. Cæterùm hæc omnia sic qui percipiat, ut dico, hunc ego sapientissimum appellauerim, iocoq́; ac serio esse contenderim. Manifestũ enim est, gradibus quibusdã ac pontibus has disciplinas similes esse, cùm mentem nostrã à sensibilibus ac opinabilibus, ad intelligibilia ac scientifica traducant, & ab iis inter quæ educati sumus ac à pueris assueuimus materialibus ac corporeis, ad insueta, & à sensuum quidẽ commercio alieniora, materiæ autem carẽtia & perpetuitate animis nostris magis cognata, multóque prius ei, quod intelligentiæ ui in eis præditũ est. Neq; uerò ab his dissentiũt, quæ apud Platonẽ in Phædro habentur, ubi tres nobis celsos seu erectos, seu sublimipetas, seu quocunq; tandem nomine, quos Græci ἀναγομένους appellant, interpretari uelis, tradit Socrates, qui primam ipsi uitã absoluãt, Philosophum, Amatorium, & Musicũ. Nam ut his sua & peculiaria, quibus subuehãtur, sunt instrumẽta, & quasi gradus, ita & Philosopho mathemata. Et hæc quidem ἀναγωγικὴν harum artium facultatem satis conuenienter probare uidentur. Quæ uerò apud Proclum libro primo commentariorum in Euclidem habentur, alteram illam, κατπερλικὴν nimirum, euidenter astruũt. Inquit enim: Quòd si, quæ ab hac habetur, utilitatem aliò referre oporteat, ad eam, quæ intelligentia continetur, cognitionem, eius usus

erit reducẽdus. Nam ad eã nos manuducit ac præparat, animi oculum expurgans auferensq́ à sensibilibus oriunda impedimenta ad cognitionem totius. Quemadmodum igitur purgatoriam uirtutem uniuersam, non ad huius uitæ usus spectando, utilem aut inutilẽ censemus, sed ad eam, quæ contemplationi est dedita uita: sic & mathematices finem ad intelligentiam mentemq́ referre oportet, & uniuersam sapientiam. Sed & apud Platonem libro de Repub. septimo, Socrates hanc mathematicarum artium uim & utilitatem uel maximam censere uidetur, cùm eum, cum quo disserit, consentaneas quasdam, sed leuiores minorisq́ momenti ad mathematum usum probandum rationes adferentem redarguens, inquit: Suauis es, inquam ego, quoniam uereri uideris multitudinem, ne te existiment inutiles disciplinas iniungere. At uerò hoc nequaquam expeditum est, sed perdifficile persuadere, ab harum disciplinarum qualibet animi quoddam instrumentum expurgari & rediuiuum fieri, ab alijs studijs exercitijsq́ perditum & excæcatum, mille corporeis oculis ut seruetur præstabilius. Hoc namque solo ueritas perspicitur. Neque uerò his solum uirtutibus mathematicæ prælucent artes, sed etiam ad reliquas scientias omnẽq́ adeo uitam mirum quantum usum præstent: ut non immeritò alicui parũ probabilis noster uideatur autor, qui contrà atque Timæus & alij probatissimi ueteres senserunt, non καὶ παιδεύσεως ὁδὸν τὴν τῶν μαθημάτων γνῶσιν appellet, sed

ad ψευδοπαιδείαν, quæ tanta utilitate & dignitate commendabiles sunt disciplinæ, relegandas censeat. Idem quoque de ijs statuendum, quæ sermonis artes esse dicũtur. Si quidem enim & discere & docere res ullo modo citra harum adiumentum possemus, non iniuria Falsæ disciplinæ ipsas esse iudicaremus. Nunc uerò contrà se res habet. Nam instrumenta quæpiam hæ sunt, non philosophiæ solum, sed etiam artium omnium, quæ in ratione consistunt, ut est à nobis in ea oratione accuratè probatum, qua in medico uariarum artium ac scientiarum cognitionem requiri demõstrauimus. Iam uerò & dialecticæ, ut de hac nunc potissimum agamus, quòd ut reliquis præstantior est facultas, ita & philosopho proximiorem præstet usum, tantam dignitatem uult esse Plato, quanta alterius scientiæ nullius. Itaque cùm libro de Rep. septimo mathematicas artes, quòd ab antiquioribus hypothesibus ordirentur, scientias esse negasset, de dialectica sic deinceps subijcit. Atqui, inquam ego, dialectica methodus sola hac pergit hypothesibus sublatis ad ipsum principium, ut cõfirmetur, comperti quid habeat. Et reuera in cœno quodam barbarico animi oculum defossum, sensim extrahit, sursumque euehit, adiutricibus usa & auxiliarijs, quas modo recensuimus, artibus. Et paulò pòst: Anne igitur tibi uidetur, inquam ego, tanquàm fastigium disciplinis dialectica nobis imposita esse: neque ulterius aliam hac superiorem ipsi disciplinam rectè imponi posse, sed ad finem iam mathematũ esse

 peruen-

peruentum? Cùm igitur & de hac tam magnificè ſentiat Plato, ut eam propriè & ἀνυπόθετον ſcientiam eſſe dicat, ac proinde omnium diſciplinarum faſtigium, cui non mirum uideatur, ſic ab autore noſtro hanc deſpici & contemni, ut falſæ diſciplinæ in parte ipſam locarit. Nam de Poëtica & Rhetorica minus utique miretur quiſpiam, cùm hanc quidem Platonem audiat, nunc partis Politices ſimulacrum, remq́ turpem ac malam aſſerere, utpote quæ ſub aſſentatione tanquam genere contineatur: nunc uerò non ſolum ſcientiam eſſe negare, ſed ne artem quidem concedere uelle, utpote rem rationis expertem. Illam uerò etiam ex optimè conſtituta repub. expellere & exterminare, quòd iuuentutis ingenia & mores corrumpere uideatur, dum Poëtæ, cùm maiorem partem in imitatione ipſorum ars conſiſtat, partim quidem diſſimiliter res, de quibus carmina condunt, imitentur: partim uerò ſimiliter quidem, ſed rerum uariarũ imitatores cùm ſint, uarias etiam, ut conſentaneum eſt, imitationes reddant. Neque uerò hæc quiſpiam ſic intelligat, tanquam nullum aut Rhetorices aut Poëtices uſum eſſe Plato exiſtimet (neq; enim ita ſe res habet) ſed quòd hæ facultates, niſi Philoſophica moderatione regantur, hominum abutentium uitio degenerantes, huiuſmodi ferè quid incommodi ſecum trahant. Quid igitur pro noſtro autore ad hæc dicemus? Neque enim exiſtimare par eſt ipſum quæ omnibus eius temporis philoſophis notiſſima erant, ignoraſſe: & ab his de ijs, quæ tam ualidis

ſunt

ſunt argumentis probata, temere nullaq́ de cauſa diſſentire uoluiſſe, minimè ueriſimile eſt. Dicimus igitur primum quidem, ipſum, quod ſectæ eius, quam ſequitur, conſentaneum eſt, ut præter uirtutes, quæq́ animum hominis per ſe meliorem reddant, nihil in bonis habendum cenſet: ita nec ad ueram diſciplinam ullas pertinere artes & ſcientias exiſtimat, quæ non etiam proximè & per ſe ab ignorãtia & falſæ ſcientiæ perſuaſione nos liberet, & ab omni, ut abſolutè dicam, uitioſitate expurgent. quod quoniã hæ, ad quas iſti annominantur artes, non præſtant, ut ab autore inferius docebitur, non iniuria eas à Vera diſciplina ſeparat. Atque hactenus quidem ratio conſtat. Cur autem ad Falſam diſciplinam ipſas releget, adhuc utique dubitauerit aliquis. Poſtulare enim omnino rationis conuenientia uidetur, ut, quemadmodum inter bona & mala, neutra quædam & media, quæ ἀδιάφορα Stoicis appellantur, collocauit, ſic inter Veram & Falſam diſciplinã has quoque artes & ſcientias medias ſtatueret, quòd naturam in utramque partem uertibilem & inclinabilem obtineant: & nunc quidem uſu recto plurimum proſint, boniq́ cauſa fiant: nunc uerò prauo noceant, inq́ malum agant. Verùm ſi quis diligentius rem ipſam perpendat, inueniet & hic noſtrum autorem ſibi conſentaneum eſſe. Nam ut illic inter bona & mala, indifferentia quædam conſtituit: ita & hic inter eam, quam ſecundùm affectionem ignorantiam ſuperius Peripateticis appellari diximus, & ueram diſciplinam,

nam, has artes medias facit, quas non eo genere falsam disciplinam appellat, quòd omni ex parte & penitus sint falsæ, nihilq; in se ueri contineant (neque enim circa propria subiecta sunt falsæ) sed quòd in ijs falsitas ueritatem exuperet ac uincat, dum qui ex his artibus nomē inuenerunt, non solum, quæ uniuscuiusque facultatis sunt propria, rectè nouisse se arbitrantur: sed etiam harum ipsarum cognitione elati & inflati, septa, quod dici solet, transilientes, aliarum quoque & maximarum rerum peritos se esse existimant: qui certè error cùm sit grauissimus, facile, ut in Apologia apud Platonem uult Socrates, etiam, quam habent, scientiam obscurat. Quanquam uideo & huius ipsius aliam quandam esse, nec minus fortasse conuenientem, solutionem. Videtur enim mihi autor, ut inter uitia & uirtutes absolutas, eas, quæ ἡμιτελεῖς κακίαι καὶ ἀρεταὶ, ut diximus, nonnullis appellantur, medias fecit: ita & hic inter insipientiam seu ignorantiam, & scientiam, falsam & ueram interiecisse disciplinas: illam quidem, in qua uero falsum præpolleat: hanc uerò contrà, in qua falso uerum: ut quibus gradibus à uitijs absolutis ad perfectam peruenitur uirtutem, ijsdem & ab ignorantia seu insipientia, quæ uitiositatis pars quædam esse uidetur, ad scientiam, quæ ad uirtutis naturam pertinet, fiat progressio. Quare nec hac ratione, malè has ad falsam disciplinam artes ipsum retulisse patet. Deinde uerò & hoc dicere possumus, non temere ab autore factum esse, quòd non artes ipsas & scientias

Falsæ subiecerit disciplinæ, sed harum professores potius, eius amatores fecerit. Nam hoc ipso non tam artes, quàm artium abusum damnare uidetur. Cùm enim harum quælibet non ipsa propter se suumq; absolutè finem expetenda ueniat, sed usum aliò referendum obtineat, qui in his certè acquiescunt, & primario loco huiusmodi scientias colunt, eos manifestè patet plurimum decipi, ac proinde artibus ipsis non secundùm naturam uti. Tales autem sunt, qui ex harum unaquaque nomē sibi inuenerunt. Neque enim aut Rhetores, aut Dialecticos, aut Arithmeticos, aut Geometras quosuis uocamus; qui has quidem artes didicerint, in ijs autem minimè acquiescentes, ad alia se deinceps seueriora contulerint studia: sed qui hic studiorū suorum finem faciunt, qui has tanquam extremas & ultimas quasdam scientias amplectuntur. Atque in uniuersum quidem, quæ pro nostro autore, ad ea, quæ superius sunt obiecta, adferri possunt, hæc sunt & huiusmodi quædam. Particulatim autem, quod ad artium mathematicarum usum attinet, siue ἀναγωγικόν, siue καθαρτικόν, eum & noster agnoscit autor. sed quoniam hic omnis contemplationi uniuersi seruit potius quàm actioni, cuius nobis præcipua habenda est ratio, si modo ad uitam beatam peruenire uelimus, eam nimirum ob causam, harum cognitionem non in totum reijcit ille quidem, sed tantū studium, tamq; multam operam ponendam in ea non arbitratur, apud Xenophontem Socrati & hic consentiens, qui à contempla-

tionis superuacaneæ curiositate homines auocat, & ad uitam ornandam actionemq́ instruendam adducit. Itaque & Numen postea iubere ait, apud Falsam disciplinam aliquandiu cōmorari, & quicquid ab ea utile haberi potest, idipsum arripere: sed breui tamen hinc discedere, matureq́ ad ueram disciplinam contendere. Quare minimè inter se pugnant rectè intellecta, & quæ superius pro mathematicis attulimus artibus, & quæ de ijs noster sentit autor, cùm earum cultores & professores Falsæ disciplinæ amatores facit, sed omnia sibi mutuo congruunt, ut uera par est. De dialectica autem, quoniam multis ea modis dicitur (nam interdum quidem omnem disserendi rationem hoc nomine comprehendunt: interdum uerò peculiari quadam ratione probabilitatis instrumentum intelligunt; id est, eam methodum, qua instructi, de quauis proposita quæstione, in utramq́ partem ex probabilibus disserere possumus: nonnunquam autem & demonstratiuam methodum dialecticam appellant, non ea sanè ratione, qua topicem illam probabiliter disserendi rationem, quæ idcirco generis sibi nomen peculiariter usurpat, uel quòd proprium & accommodatū nullum habeat, uel quòd popularior quædam facultas cùm sit, magisq́ communis, apud hominum uulgus primas facilè partes obtineat, maximeq́ cùm circa idem genus cum philosophia, ut tertio τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ docet Aristoteles, uersari uideatur: sed propter ueram excellentiam dignitatemq́ qua præfulget, philosophi præcipuum

puum cùm sit instrumentum ad scientiam comparandã) cùm sanè in postrema accipitur significatione, merito ipsi ea tribuantur, quæ superius ex Platone sunt adducta, minimeq́ ad falsam, sed ueram potius disciplinam pertineat. Cùm uero in secunda, falsæ utique disciplinæ pars erit, eoq́ magis, si quis hac, tanquam proprio scientiæ comparandæ instrumento, utatur. Quod cùm hodie non solum faciant plerique, sed etiam, quod longè est absurdius, ad rectè solideq́ de rebus grauissimis iudicandum, eam rhetorices partem adhibendã putent, quæ circa concertatorium & refractoriolum illud iudiciale dicendi genus occupatur, quam omnium deterrimam censet Aristoteles, quod ad σοφιστικὴν & ἀγωνιστικὴν quàm proximè accedat, quomodo nõ multis hos nominibus Falsæ disciplinæ amatores existimemus, qui tum se, tum alios huiusce rei occasione, in grauissimos & perniciosissimos impellunt errores? Uerumenim uero ut hoc ipsum magis pateat, quoniam superius obiecta conuenientem solutionẽ sortita sunt omnia, age de harum artium, quarum ab autore cultores, Falsæ disciplinæ amatores appellantur, uero usu cõsideremus, ab ijs exorsi, quas superius sermonis esse diximus. Quoniam igitur inter has naturæ ordine prima est grammatica, cuius loco tum partem eius poëticẽ, tum κριτικὴν, unde κριτικοὶ sunt appellati, nunc posuisse uidetur autor, primum omnium de hac agamus, & quem usum nobis præstare possit, consideremus. Sanè grammatices officium est, qua ratione mentis sensa

quàm optimè uel dicendo uel ſcribendo exprimere poſsimus docere. Nam orationis quidem eiusq; partiũ hoc proprium eſt opus, animi ſenſum explicare. Rectè autem idipſum facere, eius eſt uirtus, ut prauè, uitium: quod quidem in una dictione, barbariſmus: in orationis autem ſtructura, ſolœciſmus generali uocabulo appellatur. Atque hæc quidem cõſiderare, deq; his præcepta tradere, grãmatices eſſe dicimus. Eiuſdem autem illius fuerit & Poëtarum reliquorumq; autorum, qui ad linguarum cognitionem faciunt, enarratio, quòd præcepta nouiſſe parum ſit, niſi & hæc exercitatione firmentur, atque in habitum ducantur. Unde non minimam huius artis utilitatem eſt colligere, dum non ſolum, quo præſtamus uel maximè feris, orationis uidelicet uſu, eum facilem & expeditum ut habeamus efficit, ſed etiam, ut hoc ueluti inſtrumento, & alios docere, & ipſi ab alijs diſcere poſsimus, non modo ijs, qui noſtræ ſunt ætatis, & quibus cum uerſamur, ſed etiam ueteribus quiq; noſtra tempora aliquot annorum millibus anteceſſerunt, dum illorum ex uerbis ſententias quomodo eruamus oſtendit. Itaque huius ope & cum Platone & Ariſtotele uerſamur, eorumq; adiuuamur inuentis, &, quæcunque uiſum eſt, ueterum ſcripta perluſtramus. Sed neſcio quomodo plerique huius artis naturam non ſatis animaduertentes, nõ iam dicta utilitate ipſam metiũtur, ſed omnẽ in ea ætatẽ cõterunt, uel curioſius præcepta, quàm ex uſu ſit, diſquirentes, uel ad Poëtarũ aliorũq; ſcriptorũ, unde lingua-

gua-

guarũ cognitio petitur, lectionẽ, tanquã ad saxũ adhærescẽtes: & tamẽ dictu mirũ, quàm interim sibi placeant, literatores isti, quàm alios præ se contẽnant, quàm seuerè de omnibus rebus pronũcient, quàm nihil dubitẽt, maximeq́ si uel tantula dialectices cognitio accesserit, ut unum alterúmue utcunq; cõficere syllogismũ possint. Verùm hoc non solum grammaticorum proprium esse uidetur uitium, sed omnium, propè dixerim, aliorum, qui elegantiora minimeq́ sordida tractãt artificia, commune. Hoc autem ipsis ex eo accidere uidetur, quod Græci παρὰ τὸ πῆ καὶ ἁπλῶς uocant. Nam cùm secundum quid, & in una aliqua facultate sint docti, absolutè se simpliciterq́ doctos esse existimãt. Cæterùm huius falsæ de nobis opinionis causa rursus est, immodicus nostri amor, quam Græci φιλαυτίαν nominant, quæ omnia, quæ in nobis bona esse uidentur, in immensum exaggerare solet, ut mala ecõtra extenuare, ut aut nulla, aut certè exigua appareant. Sed de his aliàs fortasse commodius. Nunc ad institutum reuertamur, & explicata grammatices utilitate, ad Poëticen ueniamus, quam superius grammatices partem fecimus, tum quòd ad nullam aliam sermonis facultatem commodius, quàm ad hanc, reduci posse uideretur: tum quòd grammaticorum plerosq; animaduertam, de hac quoq; præcepta tradidisse. Cæterũ quoniam interdũ, cuiusuis carminis, etiã eius, quod moralia, uel physica, uel alterius alicuius, aut artis aut scientiæ præcepta cõtinet, autorem, poëtã nominãt: interdum uerò

eum duntaxat, cuius præcipua uis in fingendo imitandoq́ consistit: fit ut nec poëtices, nec poëmatis seu poëseos utra sit ratio, sed nonnunquam quidem, eam λέξιν μετρικὴν καὶ ἐναρμόνιον esse definiant, quam sanè ad Possidonium autorẽ nonnulli descriptionem referũt: nonnunquã autem θείων τε καὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων μίμησιν, id est, diuinarum & humanarum rerum imitationem. Atque de hac quidem poëtice & hoc poëta nostrum potissimum nunc autorem loqui, intelligere conuenit, quòd hic demum sit, qui uirtutis quadam imagine & umbra, tum ipse seipsum, tum alios etiam decipit. Quare de hac nunc nobis agedum, considerandũq́ quis huius sit scopus, utrúmne eius quod optimũ est, quodq́ prodest aliquam rationem habeat, an uerò potius ad uoluptatem & delectationem spectet tantum. Sanè si quid Socrati in Gorgia apud Platonem credimus, ut ab omnibus hæc tantumnon, omnis ætatis Poëtis tractata est, uidetur, uel solum audientium delectationem, uel maximè certè quærere. Quam ob causam, ad assentationem ipsam referendam censet, uideturq́ iis connumerare artibus, quæ legitimas & ueras ementiuntur. Cuius etiam sententiæ Anitius Seuerinus Boëthus esse uidetur, libro de Consolatione Philosophiæ primo, prosa itidem prima, ubi Philosophiam, conspectis circa ipsum Poëticis musis, quæ fletibus eius uerba dictarent, tanquam dolorem leuaturæ, commotam paulisper, ut ipse loquitur, ac toruis inflammatam luminibus, sic loquentem facit: Quis has scenicas meretriculas ad

hunc

hunc ægrum permisit accedere, quæ dolores eius non modo nullis fouerent remedijs, uerum dulcibus insuper alerent uenenis. Hæ sunt enim, quæ in fructuosis affectuum spinis, uberem fructibus rationis segetem necant, hominumq; mentes assuefaciunt morbo, non liberant. Ex quibus uerbis haud obscurè colligitur, huiusmodi poëticen pro animi & affectuũ quadam medicina sese uenditare, cùm tamen tantum absit, ut eius officium præstet, morbumq; tollat, ut eum ipsum potius augere uideatur. Cæterum qua ratione id accidat, sic, arbitror, optimè cognouerimus, si naturam ipsius latius aliquanto explicuerimus. Primùm igitur ex superioribus id constat, de qua nunc agimus Poëtica, eam habitum quendam esse imitationis. Cùm autem omnis imitatio, & quæ imitetur, sibi proponat: & aliquibus ea imitando effingere atque exprimere conetur: insuper autem & modum quendam rationemq; adhibere debeat, hinc sanè magnam uarietatem oriri necesse est. Nam primum quidem quos sibi fingendo exprimendos proponant poëtæ, ij aut boni, aut mali erunt, aut etiam fortasse inter hos medij. Horumq; rursus aut perpetuo eosdem imitabuntur, aut nunc hos, nunc illos, dissimiles naturas in uno poëmate miscentes. Et quos ipsis tribuent mores, affectus & actiones, hi personæ cuiq; aut congruent, aut ab ea discrepabunt, aut partim quidem conuenient, partim uerò dissidebunt. Deinde uerò cum omnis poëtarum imitatio sermone, harmonia, & rhythmo constet, hæc certè moribus,

bus, affectibus & actionibus, quæ exprimere & effingere student, aut adamußim respondebunt omnia, ipsaq; adeo inter se: aut prorsus tum ab his, tum à se mutuo dißonabũt: aut partim quidem consentanea, partim uerò dißentanea erunt. Tertiò autem, quod ad modum rationemq; attinet, aut narrando explicandoq;, quæ uolent, exprimẽt: aut agendo & imitando: aut quædam hoc, quædam illo modo. Si quidem igitur in his poëtarum omnis cõsumitur opera, conatus autem ipsis studiumq;, uel omne, uel præcipuum est, ut in Gorgia à Socrate probatur, ut delectent: minimã autem curam utilitatis habent: neceße fuerit, ut ex his, nõ quæ optima sunt, eligant, sed ex quibus auditores ac spectatores quàm maximam uoluptatem capiant. Quare quoad primum quidem, non bonos constanter & perpetuo imitando exprimere, ijsq; æqualiter unoq; tenore congruentes aßignare mores, affectus & actiones laborabunt, quòd hoc spectatoribus parum iucundum fore existiment: sed poëma quàm maximè uarium facere studentes, non solùm dispares imitabuntur naturas, sed etiam non raro dißimiliter heroibus non modo auaritiam, illiberalitatem, intemperantiam, insolentiam, superbiam, cõtumaciam, reliquosq; humanos affectus turpes, ipsorumq; persona indignos affingentes, sed etiam de dijs fabulantes, quæ ab ipsorum natura sunt alienißima, neque sine summa impietate ijs tribui poßunt, ut furta, adulteria, inimicitiæ, bella, & id genus alia. Animaduertũt enim, homines cùm uarietate capi,

tum

*tum monstruosa magis, quàm naturalia admirari. Quanquam non hæc ipsis sola tum uariorum & disparium, tum inæquabilis ac dissimilis imitationis est causa: sed non minus etiam illa, cuius Plato in Timæo mentionem facit, paucis uerbis maxima comprehendens, cùm inquit, cuiuis manifestum esse, imitatricem nationem, inter quæ educata est, hæc facillimè & optimè expressuram. Quod uerò extra cuiusque est educationem, cùm factis operosum, tum uerbis adhuc rectè exprimere difficilius esse. Quibus quid quæso breuius, quid rursus accuratius & exquisitius dici potest? Nam primum quidē, cur tum ueteres, tum sui etiam temporis poëtæ, ut maximè uelint & conentur, nec optimos, nec optima commodè facileque imitando exprimere queant, ac proinde relicta meliorum, simplicium & syncerorum imitatione, ad uaria, multiformia, disparia & deteriora ingenia effingenda sese contulerint, causam esse ostendit, quòd inter hæc educati sint, ijsque à pueris assueuerint, utpote quorum longè maxima ubique est copia: cum illis autem non perinde commercium habuerint, quod uiri boni & simplices, ueritatis amici, minimeque fallaces omnibus semper temporibus albo coruo rariores extiterint. Deinde uerò & eandem hanc inæquabilis itidem & dissimilis imitationis causam esse. Neque enim ob aliam causam magis tum heroibus mores, affectus, & actiones personis ipsorum indecores affingunt, tum de dijs tam absurda fabulantur, quàm quòd hæc ipsis maximè sint cognita, utpote*

familiaria & domestica, quæ à uita cōmuni ad ipsos transferunt: quæ autem uerè sunt bona ac pulchra, heroibus ac dijs conuenientia, tanquā insolida & inusitata ignorent. Atque hæc quidem quoad ea, quæ imitando exprimere conantur, poëtarum sunt grauissima perniciosissimaq́ peccata, quibus in hominum uitam grassantur, tum morum integritatem & innocentiam corrumpentes, quod ferè fieri solet, ut quæ quis admiratur, ijs quàm maxime similis euadat, & quæ iucunda sunt, cum suauitate quadam in animos illabentia, ipsis sibi facillimè & uehementissimè conforment, tum animum falsis & prauis complentes opinionibus & affectionibus, quæ in posterum aut nullo modo, aut certè difficulter euellantur. Et tamē, si dijs placet, hos teneræ ætati non modo legendos, sed ediscendos etiam proponimus: hanc eruditionem liberalem & doctrinam putamus. Quod uerò ad ea pertinet, quibus ipsa imitatio perficitur, id enim erat secundum, neque æquabile & temperatum orationis genus colent, quod id minime ijs, quos exprimere mores, affectus & actiones cupiunt, conueniat: sed hoc quoque uarium & multiforme sectabuntur: neque harmoniam, quæ acuti & grauis quædam est temperatura, frugi & modestam: neque rhythmum itidem, qui longi breuisq́ quadam ad se mutuo affectione ac ratione cōstat, optimum, eandem illam nimirum ob causam: sed & hæc omnia apud ipsos multiplicia & tortuosa inuenientur. Cuius rursus occasione, & quod in nobis rationis est particeps,

ceps, & quod affectibus mancipatum plurimum oblædi necesse est, ut quam illi animi medelam adferre se profitentur, ea præsentissimum eiusdem inueniatur uenenum. Sed hæc quidem si sic se habeant, & tertium ipsis respondere necesse est, dico autem, rationem ac modum, qui uel maxima ex parte, uel etiam totus ipsis in actione imitationeq; consistet. Ex quibus omnibus colligere promptum est, tria hæc ex præclara illa & celebri poëtica, quæ animi quædã medicina habetur, & ad uitæ morumq; honestatem institutio, reportari incommoda, opinionum uanitatem, & deprauationem, immoderationem affectuum, & in omni uita uarietatem & inconstantiam: quorum illud quidem, rationis cõpotis partis est uitium: alterum uerò eius, quæ appetitus est: tertiũ autẽ totius animæ. Uerum enimuero dicat aliquis, si ea huius Poëtices est ratio, ut tam res noxia & pestifera sit, cur de Homero eius parente tam præclarè sentiunt, non solum literatorum uulgus, quod facile forsitan quis contemnat: sed etiam excellentissima quæq; philosophorum ingenia, atque ipse adeo Plato in nonnullis dialogorum suorum locis, nũc ipsum prudentissimũ, nunc maxime diuinum poëtam nominans? cur item de hoc inquit Horatius?

> Qui quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid nõ,
> Plenius ac melius Chrysippo & Crantore dicit.

Neque uerò hoc contentus sententiæ insuper suæ probationem subijcit. Ad quæ hoc modo breuiter respõdemus. Pri-

mum quidem, quod cùm philosophi, aut etiam Plato Homerum celebret, Poëtam eum sapientissimũ & diuinum appellans, non ipsum simpliciter probet, sed ut Poëtam: neque eam ob causam ipsius poëmata, quod in suo genere sint absolutissima, illico quoque ad primam eruditionem & institutionem accommodata iudicet. Habent enim & hæc suum forsitan usum, quamuis non eum, quem ipsi hominum tribuit error. Deinde uerò, quod ad Horatium attinet, etiamsi promptissima responsio esset, non mirum poëtæ suffragari poëtam: nunc tamen huc confugere nolo, sed quod ab eo dictum est, tanquam uerum recipio. Sed aliud esse dico, quod in Homero laudat Horatius: aliud quod in poëtica ex Platonis sententia nos reprehendimus. Nam Horatius quidem, ut arbitror, cum spinosis Chrysippi & Crantoris scriptis, luculentissimam Homeri poësim comparans, hanc illis præferendam censet, quòd uirtutum & uitiorum, expetendorum & fugiendorum naturam copiosius & commodius in ea Homerus, quàm in suis scriptis illi, explicuerit: quod certe negari non potest. Neque enim, siue dictionem spectes, Chrysippi (ut de hoc potissimum agamus, utpote cuius scripta qualia sint ex ijs, quæ passim satis multa à Galeno citantur, cognoscere possumus) inepta loquacitas, & in uerbis nouandis & faciendis licentia impudens, cum Homeri conferenda est apposita dicendi ratione & usitati sermonis festiuitate uerecunda: siue rerum tractationem, friuolæ planeq; illiberales illius argutiæ, cum

cum huius solida atque ingenua doctrina. Nos autē, hanc quidem laudem tum Homero, tum ueterum poëtarum plurimis concedentes, inutilem tamen omnem huiusmodi poëticen, immo & noxiam formandis puerorum & iuuentutis ingenijs existimamus, ob eas, quæ superius à nobis adductæ sunt causæ. Cæterum si quis huius sit usus, eum esse statuimus adultioribus, quiq; prudentiæ reliquæq; uirtutis habitum iam sibi compararunt ingenijs, ut in hac tanquam speculo quodam morum & ingeniorum discrimina notantes, uniuersæq; uitæ humanæ uariam conditionem, uarios casus animaduertentes, hac honestissima simul & utilissima oblectatione seuerioribus studijs defatigatum animum recreent, quod his, utpote prudentia instructis & uirtutis usu roboratis, ab illis nihil amplius sit periculi, à quibus teneræ ætati metuebamus. Et hæc quidem de his. Illud autem minimè dissimulādum, libro de Legibus secundo, uelle Platonem, primam disciplinam & eruditionem per Musas esse & Appollinem. Neq; tamen existimare oportet, ipsum hæc dum dicit secum pugnare, quòd de ea hic agat poëtica, quæ philosophica moderatione regitur: & uel bonos imitatur tantum, conuenientes ipsis mores, affectus & actiones tribuens, atque hæc sermone, harmonia & rhythmo ijs proprio & consentaneo exprimēs, orationisq; forma, quæ tales maximè personas deceat: uel etiā malos, sed ita, ut turpificati animi deprauationem & fœditatem sic exprimat: sic in teneræ illius ætatis sensum penitus in-

currere faciat, ut ea non modo offendatur, sed tanquã fœdißimum monstrum insuper horreat. Quod qua ratione consequi quis poßit, in secundo & tertio de Rep. libris aliquousque docet Plato, dum & formas quasdam præscribit, quibus tum deos, tum heroas imitando exprimere debeat: & orationis, harmoniæ rhythmi genera cõmonstrat, huiusmodi subiectis personis congruentia. Ac de poëtica quidem, eiusq; tum incommodis, tum oportunitatibus hæc hactenus. Consequens est, ut de rhetorica & dialectica agamus. Et quoniam quatuor hic se methodi offerunt inter se uicinæ, demonstratiua, dialectica, rhetorica, & sophistica, fuerit arbitror non incommodum, de ipsis coniunctim dißerere. Harũ igitur quatuor methodorũ, demonstratiuè quidẽ, scientia est finis: unde & ἐπιστημονικὴ apud Græcos, id est, ut uerbũ uerbo reddamus, scientifica uocatur. Dialectices autem seu topices, opinio: quæ cùm uera fuerit, & firmioribus subnixa rationibus in habitum quendam abierit, eruditio appellatur. Rhetorices uerò, ea quam Græci modo πίστιν, modo πειθὼ nominant, fidem & persuasionem nos uertere poßumus. At uerò sophistices, nullus quidem per se huiusmodi est finis, ad uitam utilis: sed ei propositum est, harum semper artium aliquam ementiri, potißimum autem demonstratiuam aut dialecticam. Unde & nobis hæc discenda est, non ut eam exerceamus ipsaq; utamur, neque enim hoc probi uiri officium est, sed ne quid in ueri inuestigatione ab hac patiamur incommodi. Cæterum ex

*his quatuor methodis, demonstratiua quidem ad ueram pertinet disciplinam, ut posterius probabimus. Sophistica autem, quæ eius, quæ secundùm affectionem est, ignorantiæ est causa, uidetur illa quodammodo, hoc quidem modo considerãtibus nobis, infra ψευδοπαιδείαν esse, illo uerò rursus, uel ipsa ψευδοπαιδεία, uel eius certe aliqua in parte collocanda. Nam si quis occasionem omnem, qua tum sese, tum eos quibus cum uersantur in errorem impellunt homines etiam quilibet & uulgares, ad sophisticam pertinere existimet, atque ita hoc nomine utatur, quo sanè modo dicitur, quòd omnia, quæ in uitæ actionibus perperã geruntur, sophismatibus succedant, tum infra falsam fuerit disciplinam. Si uerò generosam illam & peruagatam, maioris eruditionis specie sese uenditantem & ostentantem facultatem hac uoce intelligas, aut ipsa certè ψευδοπαιδεία erit, aut ad ipsam omnino pertinebit. Cæterum quod dico manifestius erit, latius aliquanto explicatum. Qui hic inter falsæ disciplinæ amatores numerantur, omnes aliquo modo sophistæ appellari possunt, quatenus nimirum, ut prius est dictum, maiora uero tum ipsi de se cõcipiunt, tum apud alios profitẽtur. Itaque & Poëta & Orator & Dialecticus Sophistæ erunt: Arithmeticus item & Geometra, Musicus & Astronomus. Nec minus uoluptarius Epicureus, Peripateticus argutus, & seuerus Criticus. Rursus autem, peculiari quadam ratione sophista dicitur, qui cum philosopho, quemadmodum & dialecticus, eodem*

*in genere uersatur. Sed philosophus ab illo quidẽ, proposito uitæq; instituto differt: à dialectico uerò, facultatis modo. Nam quæ dialecticus conatur, ea cognoscit philosophus, scire autem præ se fert sophista. Quare id, quod diximus, manifestum iam est, peruagatam illam sophisticam, si priori genere accipias, eandem cum falsa esse disciplina, aut siquidem omnino exactè loqui oporteat; quod in falsa disciplina est falsi, id eiusq; causam esse sophisticam: si uerò posteriori, tum aliqua eius censenda est portio. Videtur autem sophistices in genere ea uis esse & facultas, ut quiduis uideri, minimè autem esse faciat: ut sapientem uideri, & non esse: dialecticum item & oratorem, & quemuis alium artificem. Atq; hæc quidẽ de sophistica. Dialectica autẽ, quod ad falsam pertineat disciplinã, dictum id quidem est & prius. Dicetur autem & nũc, & quoad eius fieri poterit, conuenientibus argumentis probabitur. Primum igitur uideamus, quem superius finem aßignauimus, isne ipsi conueniat, an non. Id autem hoc pacto commodißimè cognouerimus, si eius, qua de nunc agimus dialectica, naturam diligentius intueamur. Dicimus igitur eam, methodum esse, qua instructi de quauis proposita quæstione, in utranque partem ex probabilibus disserere poßumus. Sed omnis qui disserit ac ratiocinatur, prorsus aliquid efficere & argumenti sententiam concludere conatur. Qui autem de quauis proposita quæstione, & in utranq; partem, utramlibet, & nunc hanc, nunc illam contradictionis ut*

inferat partem, euenire necesse est: quarum altera necessario uera, altera autem falsa est. Iam cùm omnes, qui commentando & ratiocinando comparantur seu habitus, seu affectiones quis dicere malit, tres sint, nec plures, nec pauciores, scientia, opinio, fides (dabunt enim facile, ut arbitror, qui liberalius sunt instituti, ut hoc modo πίστιν Graecorum reddam, maximeq́ cùm fidem facere Latinè dicamus. Nam praepostere in uocibus curiosos, rebus negligentes, & nimis anxiè Ciceronianos nil moror) Intelligentia enim, seu mēs, & sensus, quaeq́ hunc sequitur imaginatio, tum natura insunt, tum omni argumentatione & ratiocinatione sunt antiquiora, scientia certè dialectices effectus non erit, quòd scientia uera tantum, non autem & falsa sit: dialectici autem syllogismi conclusio, nunc uera, nunc falsa, cui & animi affectionem respondere oportet, qua in ea acquiescimus. Restat igitur, ut aut opinio sit, aut fides. Sed fides esse non potest, quòd à credibilibus, sic enim πιθανὰ interpretor, haec oriatur, quae in quolibet inuenire, rhetorices esse officium, libro de arte dicendi ad Theodecten primo docet Aristoteles. Opinio igitur sit necesse est, quā ex opinabilibus & probabilibus, quae Graecis ἔνδοξα dicuntur, efficit dialectica. Sed uniuscuiusque artis ultimus effectus, & finis eiusdem fuerit, quòd, cùm eò sit peruentum, cesset & conquiescat. Haec enim ipsius finis propria est nota. Quare patet, rectè à nobis dictum esse, dialectices finem esse opinionem. Unde ab effectu, ut demonstratiua methodus ἐπι-

σημαντική, sic & hæc δοξαστικὴ non malè appelletur. Neque uerò hoc loco nos interturbet quisquam, dicatq́ non solum inelegantem & ineruditam, si quidem hic ipsius sit finis, sed etiam inutilem & superuacaneam hanc uideri artem, quòd in eo comparãdo tantum operæ & studij ponat, quòd tam peruulgatæ omnibusq́ (ut ex autoris sententia prius est dictum) expositæ est naturæ, ut uel nolentium in animos obrepat: tam porrò lubricum & incertum, ut ei tuto fidere nequeas: sed intelligat præter eam, quam superius attulimus opinionis significationũ distinctionẽ, etiam aliam quandam superesse eiusdem uocis diuisionem, quæ huic à nobis loco est reseruata. Nam opinionum aliæ quidem ab inferioribus & rationis expertibus, sensu nimirũ & imaginatione ortum habent: aliæ uerò à superioribus & ratione præditis, mente & cogitatione. Quarum illæ omnium sunt communes & uulgares, inconsideratæ, fluctuantes, maiorem etiam partem falsæ, quas superius assilire fecit autor, & quemlibet complecti: deinde abducere: hæ uerò contrà singulares & elegantiorum propriæ, ingeniosæ, stabiliores, plurimum ueræ, uel ad ueritatem proximè accedentes: cuius generis eam esse dicimus, quam dialectices finem statuimus. Sed hoc explicato, & illud animaduertere promptum, quam ob causam ad Falsam hæc pertineat disciplinam. Nam præter ea quæ superius sunt dicta, & huius conclusionem non perinde stabilem & perpetuam esse, ut demonstratiuæ methodi constat. Neque tamen propterea

ptereà inutilis fuerit & superuacanea, quod fieri nequeat, ut ab ignorantia & temeraria illa ac fluctuante opinione, tanquam densissima caligine, ad tantum certissimæ scientiæ splendorē subito transferamur: sed medijs quibusdam & hic opus sit, quæ animi oculum temperata paulatim luce recreent, & clarioris luminis præparent appulsui. Ac de dialectica quidem hæc in præsentia sufficiant. Nunc ad rhetoricam ueniamus, quæ & ipsa falsæ disciplinæ in parte locatur. Est autem eius finis, ut prius est dictum, πίστις, id est, fides, quam & πειθὼ (persuasionē uertere possumus) nonnunquam appellare solent. Quoniam autē huius duæ sunt, ut in Gorgia docet Socrates, species, altera firma & scientiæ coniuncta: altera uerò citra scientiam: cùm eam rhetorices finem esse dicimus, posteriorem hanc intelligimus. Describimus autē eam hoc modo, ἡ πίστις ἤτοι πειθώ ἐστιν, ἐκ τῆς πιθανολογίας γινομένη συγκατάθεσις περὶ πράγματος ἀμφιβόλου τινὸς, id est, Fides seu persuasio est, credibilis & uerisimilis orationis ui, extorta de re dubia assensio. De hac seu arte, seu facultate, seu experientia, multa omnibus tantum non seculis sunt dubitata, & ab excellentissimis quibusque ingenijs disputata in contrarias partes. Nam statim quidem idipsum non satis inter scriptores conuenit, quódnam rethorices sit genus: cùm alij eam artem esse uelint, ac proinde libros suos περὶ τέχνης ῥητορικῆς inscribant: alij uerò, non artem, sed uim quandam & facultatem: nonnulli autem, quorū est & Plato, experientiā: nec desunt, qui κακοτεχνίαν,

*id est, artem quandam maleficam, eam esse asserant: quibus & Plato in Gorgia quodammodo assentiri uidetur, cùm rhetoricam rei cuiusdã particulam esse, inquit, parũ honestæ, quam deinceps κολακείαν nominat, & rhetores nihil in ciuitatibus posse probat, si modo quis posse, bonũ esse existimet. Deinde uero ex generis inuestigatione occasione sumpta, & hoc agitare cœperunt, utilis, an inutilis, aut etiam noxia sit censenda rhetorica. In qua consideratione non minor rursus inter ipsos, quàm in priore illa, est dissensio, alijs aliud de ea statuentibus. Ad hæc multa alia his finitima, de hac in dubium sunt uocata, quæ si quis cognoscere desideret, secundum Quintiliani Oratoriarum institutionum librum adeat. Nos autem, quod ad nostrum institutum eæ potissimum, quæ duæ propositæ sunt quæstiones, facere uideantur, breuiter de his agemus. Primum igitur dicimus, minimè mirum uideri debere, si tam uarias atque adeo dissidentes, de eius genere, sententias habuerint ueteres. Neque enim eodem omnes mentem retulerunt, ac de eadem locuti sunt rhetorica: sed alij in ueram eius speciem intuentes: nonnulli artem ipsam esse: quidam facultatem pronunciarunt. Et artem quidem Aristoteles, qui id etiam, breui quidem, sed satis efficaci argumentatione concludit, cùm inquit:* τῶν μὲν οὖν πολλῶν, οἱ μὲν εἰκῇ ταῦτα δρῶσιν. οἱ δὲ διὰ συνήθειαν καὶ ἀπὸ ἕξεως. ἐπεὶ δ᾽ ἀμφότερα ἐνδέχεται, δῆλον ὅτι εἴη ἂν αὐτὰ καὶ ὁδῷ ποιεῖν. διὸ γὰρ ἐπιτυγχάνουσιν, οἵ τε διὰ συνήθειαν, καὶ οἱ ἀπὸ ταῦτο μάτου, τὴν αἰτίαν θεωρεῖν ἐνδέχεται. τὸ δὲ τοιοῦτον ἤδη πάντες ἂν ὁμολογήσαιεν τέχνης ἔργον εἶναι. *Quem subsecutus,*

tus, sed timidius aliquanto Cicero, libro de Oratore secundo, non artem eam esse, quod tamen merito posset, absolutè concludere sustinet, sed, si non planè artem, at quasi artem quandam esse infert. Subijciam autem & eius hoc loco uerba, quæ Aristotelis propemodum orationem exprimunt. Etenim, inquit, cùm plerique temere ac nulla ratione causas in foro dicant: nonnulli autem propter exercitationem, aut propter consuetudinem aliquam callidius id faciant: non est dubium, quin si quis animaduerterit, quid sit, quare alij melius quàm alij dicant, id possit notare. Ergo id qui toto in genere fecerit, is si non planè artem, at quasi artem quandam inuenerit. In quibus tum Aristotelis, tum Ciceronis uerbis maior quæpiam probationis uis, quàm prima fronte quis suspicetur, diligentius examinãti latere deprehenditur, licet non per omnia Aristotelis subtilitatem expresserit Cicero. Est autẽ summa totius demõstrationis huiusmodi. Quicquid fit, ab alijs temere ac nulla ratione, ab alijs ex consuetudine ac habitu, id ad artem redigi potest. Sed appositè ad persuasionem dicere, id ab alijs fit temere ac nulla ratione, ab alijs ex consuetudine & habitu. Ergo appositè ad persuasionem dicere, ad artem redigi potest. Et huius quidem syllogismi propositio minor, quam assumptionem, qui Ciceronianè loqui student, appellant, usu & experientia probatur: quòd plurimos uideamus, etiãsi non omni ex parte (neque enim hoc temere citra artem usu uenire solet) at aliquousque tamen, alios melius, alios dete-

rius id facere. Maioris autem, quam propositionem, si placet, appelles licet, ab eo, quod artis est proprium, dependet probatio. Cæterum artis propriũ est, causæ notitiam habere, hocq; ab experientia distat ars, quòd hæc causam eius, quod ab ipsa fit, cognoscat, illa uerò ignoret. Procedit autẽ argumentatio hoc modo. Cuiuscunq; causa notari & percipi potest, id ad artem redigere licet. Id enim ex eo quod iam dictum est, per se est manifestum. At quicquid fit, ab alijs temere nullaq; ratione, ab alijs ex consuetudine ac habitu, eius causa notari & percipi potest. Nam & hoc quoque euidens est. Igitur quicquid ab alijs fit temere ac nulla ratione, ab alijs ex consuetudine ac habitu, id ad artem redigere licet. Atque ita uidemus hanc quæstionem spe citius absolutam esse, eiusq; demonstrationem ex solidis principijs, tum eo, inquam, quod sensus & rerum probat usus, tum qua menti sunt euidentia ductam: quæ per alia priora ulterius confirmare non est. Et hæc quidem eorum est ratio, qui artem esse rhetoricam uolunt. A quibus non multum dissident, qui ipsam facultatem statuunt. Neq; enim de rebus est ipsis cum prioribus controuersia: sed uocum quandam subtilem & argutam magis, quàm solidam & usitatam distinctionem introducentes, sic artem à facultate separant, ut hæc quidem contrariorum utrunque scopum sibi propositum habeat: illa uerò alterum tantum. Quanquam enim, ut libro quinto Ethicorum ad Nicomachum inquit Aristoteles, non solum facultates, sed etiam

scientiæ,

ſcientiæ, ſub quibus & artes comprehendi, eo loco intellige re oportet, eædem contrariorum ſunt: attamen alterum tantum contrariorum definitè ſcopum ſibi propoſitum habent, id nimirum, quod melius eſt. Cùm igitur contraria dicendo perſuadere, rhetorices, ut, in utramq; partem diſſerere poſſe, dialectices ſit finis, ut ipſi inquiunt, non ars, ſed facultas quædam erit cenſenda. Sed mihi uidentur hi, dum nimirũ ſubtiles eſſe uolunt, planè hebetes fieri. Nam etſi hoc quidem inter dialecticam & rhetoricam, ac cæteras artes eſt diſcrimen, quòd reliquarum nulla contraria concludat, illæ autem ſolæ hoc faciant: non tamen propterea contrariorum utrunque ſcopum ſeu finem ipſis eſſe, rectè quis dixerit: ſic enim unius ſeu facultatis, ſeu artis duplicem fecerit finem, quod abſurdum planè uidetur: ſed & harum utrique unus tantum & ſuus, ut & alijs artibus, ſtatuendus eſt finis. Is autem fuerit, qui per ſe, non per accidens ipſis conueniat. Videamus igitur quis rhetorices huiuſmodi ſit finis. Meo certè iudicio, cùm omnis eius uis in oratione dicendóque conſiſtat, dictione perſuadere, rectè ipſius per ſe finem eſſe, cum Ariſtotele & Cicerone ſtatuerimus. Cæterum bona ſint, an mala, quæ dicendo perſuadere conatur, quod ad artem pertinet, nihil intereſt: quod ad hominis & ciuis officium, plurimum. Neque enim ullius boni aut hominis, aut ciuis eſt, mala & inutilia perſuadere: & tamen qui hoc poſſit, bonum nihilominus oratorem dicimus. Accidit autem hoc & in alijs artibus, ut in ipſa

ſtatim

statim medicina. Nam bonum appellamus medicum, qui quamplurimos & commodissimè sanet, síntne autem illi Græci, an Barbari Græcorum hostes, quod ad artem pertinet, nihil interesse putamus. Sed Hippocrates tamē Artaxerxis exercitum peste laborantem curare recusat, non quòd uereatur, ne boni medici nomen amittat, si quidem hoc faciat: sed quòd contra officium boni uiri Græcorumq́ amantis, id esse iudicet. Sed uideo quid hic obijci possit: pugnare nimirum, quæ hic à me dicuntur, cum ijs, quæ tertio libro tradidimus. Ibi enim asseruimus, etsi quæ cum ratione coniunctæ sunt facultates, cōtrariorum eædem sunt omnes, tamen contrariorum alterius per se, eius nimirum quod melius est, alterius uerò per accidens esse: hic uerò dicimus, nihil interesse bona sint, an mala, quæ dicēdo persuadere instituit orator. Ex æquo enim bonum oratorem futurum, modo accommodatè ad persuadendum dicat. Atqui uidetur, si illud uerum sit, quod libro tertio est à nobis scriptum, arte dicendi abuti, qui hac mala & inutilia persuadere conetur. Neque enim ad malum, sed ad bonum hæc dei concessu ac munere hominibus est data. Quod si sit, & uerum eius usum, ac proinde finem esse, non absolutè dictione persuadere, quæcunque illa tandem fuerint, sed bona, iusta & utilia. Quid igitur ad hæc dicemus? An scilicet duobus modis rhetoricam spectari posse? Aut enim absolutè & per se: aut cum quadam, quam ad aliam se superiorem facultatem obtinet, affectione cogitatā. Et illo quidem modo,

modo, is ipsius fuerit finis, quem superius assignauimus. Hoc uerò, non is simpliciter, sed ad politices usum, sub qua reliquæ sunt omnes scientiæ, artes ac facultates, coangustatus. Hæc enim est, quæ ad suum perpetuo finem, reip. incolumitatem & salutem, seu beatitudinē respiciens, alias suis seruire commodis iubet, non cōtra naturam his utens, sed quàm maximè secundùm naturam. Nam quid magis secundùm naturā arti & scientiæ cuique esse potest, quàm si ad bonum facultatis, id quoq; in ipsis adiungatur, quod uoluntatis esse dicitur? Sic enim fiet, ut non solum facultates, ut libro primæ philosophiæ octauo uult Aristoteles, dici mereantur: sed etiam ad uirtutis & officij naturam aliquo modo accedant. Et qui in ueram eius speciem intuiti sunt, sic de illa pronunciarunt. Qui uerò ad aliam quandam adulterinam, quæ per id tempus in Græciæ ciuitatibus insolentius se iactabat, Tisia & Gorgia, & alijs id genus portentis autoribus, se animo & cogitatione conuerterunt, hi non artem eam esse, non facultatem, sed experientiam quandam assentatoriam, & maleficam iudicarunt, & consentaneis insuper & uerisimilibus id rationibus probarunt. quas, quòd prolixiores sint, hoc loco subijcere minime est uisum. Quare si quis & has cognoscere desideret, Platonis Gorgiam legere poterit, ubi de his plenissimè tractatur. Nos autem, quoniam prior satis explicata, quantum ad institutum nostrum attinet, quæstio uidetur, ad secundam progrediamur, quam propemodum iam ab-

solutam existimem. Nam ex ijs, quæ prius sunt dicta, constat, sic demum rhetoricam utilem futuram, si uera eius species, ciuili subiecta disciplinæ, ad eius præscriptũ exerceatur. Cæterum tum hanc sibi permissam tantum, tum adumbratam illam, inutiles esse & noxias. Et hanc quidem, toto genere: illam autem, propter eam quam habet instrumentariam naturam, quæ, nisi certa quadam moderatione regatur, usum sui nullum præbet. Sed fortasse quærat aliquis, quis sit is, quem in repub. usum hominibus præstet. Dicimus igitur eum esse potissimum, uulgarem popularemq́ institutionem, atque eorum omnium, qui similiter ut uulgus affecti sunt. Nam cùm & hos officium colere, in quo sita est uitæ honestas omnis, quammaximè reip. intersit, huc autem, utpote imperfecti minusq́ sapientes, non uirtutis ipsius perspecta natura & officij ratione cognita adduci possint (fuerit enim id omnino elegantioris & philosophici ingenij) aliæ quædam, deo & natura commonstrãte, à sapientissimis excogitatæ sunt rationes, quibus, quod illo modo nequeunt, secunda & proxima, ut dici solet, nauigatione obtineant: inter quas est & hæc flexanima orationis uis, quæ non solum ex cõmunibus quibusdam rationis compoti animæ parti fidem facere conetur & ad uirtutem amplectendam impellere: sed etiam eam quæ rationis est expers, spe, metu, pudore, cupiditate, & alijs quibusdam excitandis orationis ui affectibus, à uitijs quidem & turpitudine absterrere, ad probitatem autem & ui-

tæ honestatem incitare moliatur. Neq́ uerò ullam aliam hac maiorem ego huius artis utilitatē existimem, eoq́ cùm rhetorica in tres species, quæ nonnulli causarum genera nominare solent, sit diuisa, quam Græci δημηγορικὴν, itemq́ συμβουλευτικὴν appellant, Latini deliberatiuam, eam omnium præstantissimam iudicarim, planéque talem, cui aut soli, aut certè potissimum liberaliora ingenia operam dare debeant, quod demonstratiuum quidem genus, quod Græci ἐπιδεικτικὸν, tanquam ingenij uenditationi & ostentationi accommodatum, appellant, nisi huc referatur (id autem fiet, si uirtutibus uirisq́ bonis laudandis, aut contrà uitijs malisq́ uituperandis, illinc quidem ad æmulationem & uirtutis imitationem homines accendat, hinc uerò à flagitijs absterreat) usum in rep. nullum penitus habeat: iudiciale autem, in malè constitutis rebusp. præcipuè uerò in popularibus ciuitatis statibus, ubi & opifex & mercenarius iudices sedent, habere quidem aliquem uideatur, propter iudicis conditionem, qui ueris & solidis rationibus iustum ab iniusto discernere nequit: quam etiam ob causam plurimi semper in huiusmodi rebusp. extiterunt oratores: sed reuera tamen tam periculosi in his sit usus, non modò hæc rhetorices pars, sed ea etiam uniuersa, ut eam prorsus nullam ibi esse, quàm cum tanto periculo coniunctam, sit satius. Hinc enim & olim in Græcia, & nostro hoc tempore in Germania pestilentissimū hominum emersit genus, quos Græci δημαγωγοὺς uocant, populi nimirum assentato-

res, qui iuris & legum autoritatem infringentes, ac legitimam & ordinariam potestatem maledictis insectantes, ab hac ad populum (quod ipsi est non ingratum) prouocãt, callidè me hercule ac uersutè, ne dicam ueteratoriè facientes. Intelligunt enim, ut arbitror, si quidem id obtineri semel poßit, ut penes populum omnis absolutè sit potestas, se facile principes uiros in rebus publicis fore, quòd multitudinis mentes ad arbitrium suum mouere se poße cõfidant. Nam in ijs, quæ rectè sunt constitutæ resp. & iuris legũq; autoritas retinetur, nullus ipsis est locus, neque ei etiã rhetorices parti, quæ in forensibus iudiciorum disceptationibus uersatur, tum quòd, ut optimus est quisq;, ita primum ibi locum obtineat, tum quòd non ex multitudinis suffragijs, sed ex legibus iurisq; æquitate sententiæ ferantur. Unde reprehendenda omnino, quæ hodie paßim in scholis obtinet, est consuetudo, qua fit, ut aut in hac una separatim elaborent, eamq; solam tradant, aut certè præcipuam temporis partem in hac conterentes alias obiter tantum attingant. Sed hoc usuuenire arbitror, quòd hoc genus, quàm reliqua, maiorem suppeditet, tam apud Græcos, quàm Latinos exemplorum copiam: nec minus interim ob eam causam, cuius libro primo rhetorices ad Theodecten meminit Aristoteles. Hæc autem est, quod nullo alio in genere magis operæprecium sit, quàm in hoc, quæ extra causam sunt dicere, nec usquam liceat magis argutulum, uersutum, & ueteratorẽ agere. Huc accedit forsitan & error quidam, quem

quem non solum studiosorum uulgus, sed etiam maiorum quasi gentium, ut sibi certè, & fanaticis nonnullis uidentur, theologos occupasse uideo, qui nomine, ut reor, iudicialis decepti, existimant huius subsidio quæstiones controuersas & plenas dissensionis optimè explicari posse, ignorantes, id, si quidem ad ueritatem exquisitè ac sciẽter fieri debeat, demonstratiuæ methodi esse opus: si uerò eruditè, & ut ad ueritatem quàm proximè accedat, dialecticæ. Ac de sermonis artibus, quatenus nimirum ad nostri instituti rationem attinent, hactenus dictum esto. Deinceps de mathematicis agendum. Sed quoniam tum multa superius de his in genere sunt dicta, tum oratio quædã nostra, De mathematicarum disciplinarum uario usu dignitateq́, quiq́ ad harum comparandam cognitionem adhibendi sint autores: deq́ optima horum explicandorum ratione, in lucem est emissa: cõtentus nunc ero pauca quædam de eius speciebus subiecisse, quis nimirum cuiusq́ finis sit, & in quibus potissimum uersetur. Cùm igitur, ut Pythagoreis uisum est, mathematice in quatuor partes hoc modo diuidatur, ut aliam eius partem in quantitate disiuncta, Græci ποσὸν nominant, aliam in continua, quam iidem πηλίκον appellant, uersari dicamus: & harum rursus utranq́ duplicem faciamus: quòd quantitas quidem disiuncta, alia per se spectetur, nullam ad aliam affectionem obtinens, ut par, impar, perfectum, & similia: alia uerò ad aliam quodammodo affecta, & cum ea, quam ad alteram illam obtinet, affe

 ctionem,

*ctionem, cogitata, ut maius, minus, duplum, dimidium, sesquialterum, sesquitertium, & quæ his sunt finitima: continua uerò, hæc quidem in mansione stabilitateq; sit: illa uerò in motu & circunnectione: disiunctæ quidem quantitatis priorem speciem Arithmetica contemplabitur, posteriorem uerò Musica: continuæ autem, quod fixum est & immobile, Geometriæ erit subiectum: quod uero uolubile & in orbem incitatum, Astronomiæ. Finis autẽ harum uniuscuiusque, proprij subiecti naturæ cognitio est. Ea in duobus potissimum consistere uidetur: tum substantiæ in quoque rationem obtinet, tum eius, quod quæ huic per se & propria ratione insunt, consideratione: quorum illud quidem γένος ὑποκείμενον, hæc uerò ἴδια πάθη καὶ συμπτώματα à Græcis nominantur. Cæterum, quoniam harum artium subiecta, quantitatem tum disiunctam, tum continuam esse diximus, non ipsam absolutè multitudinem & magnitudinem per hæc intelligere oportet: sed quod in utroque est genere definitum. Neque enim infiniti scientia ulla esse potest. Ad hæc autem, nec quantitatem, seu continuam, seu disiunctam, eam, quæ in rebus sensui subiectis conspicitur, has contemplari artes statuemus, quod exquisitum illud & syncerum (Græci τὸ ἀκριβὲς καὶ εἰλικρινὲς nominant) in ijs non inueniatur, quo has collineare ueterum philosophorum statuit consensus: sed eam potius, quæ mente & intelligentia continetur, utpote in qua & sine altitudine superficies, & sine latitudine linea, omnisque dimensio-*

nis expers punctum inueniatur, ut & indiuidua unitas, & quæ reuera secari nequit δίεσις, centrumq́; & poli, quæ magnitudinem nullam habent. Unde plurimum à uero aberrant, qui ad artium mathematicarum utilitatem probandam, huiusmodi adferunt rationes, quæ à uitæ necessitatibus & corporeis externísque ducuntur usibus: Arithmeticam quidem magno usui esse dicentes ad supputationes, distributiones, contributiones, permutationes, societates, & commercia: Geometriam uerò ad castra metandum, ciuitatum & templorum cōstructiones, agrorum diuisiones, terræ magnitudinis, & cœlestium corporum ac spatiorum dimensiones: Musicam autem ad ferias celebrandas, animiq́; oblectationes, & deorum cultus: Sphæricamq́; denique & Astronomiam ad agriculturam, medicinam, nauiculariã, aliarumq́; actionum primordia, quarum oportunitatem commoditatemq́; præsignificat. Neque enim huc deducendæ sunt, à quibus mentem seuocare & ad rerum contemplationem sublimiorum excitare solent. Nam hoc ijs esset contra naturam uti, uimq́; ipsarum ἀναγωγικὴν, quam superius probauimus, in κατηγωγικὴν conuertere. Sed aliæ quædam sunt artes, seu exercitationes potius, harum extremæ propagationes & soboles, aut, ut quod uerius est dicam, umbræ & imagines, quæ huiusmodi necessitatibus seruiunt circa sensibilia occupatæ. Has sex numero uult esse Geminus, Mathematicus non ignobilis, Mechanicam, Astrologiam, Opticen, Geode-

Geodesiam, Canonicam, Logisticen. Et Arithmetices quidem fœtus esse, Logisticen & Canonicen. Geometriæ autem, reliquas quatuor. Neque uerò hoc quispiam miretur, quòd ad duas has, quæ in rebus menti & intelligentiæ subiectis uersantur, solum, ac non potius ad quatuor illas, de quibus superius disseruimus, eas, quæ in sensibilibus sunt occupatæ, referat. Est enim eius sententiæ Geminus, quòd duæ tantum sint artes mathematicæ, quæ in rebus, quæ animo & intelligentia continentur, uersantur, Arithmetica nimirum & Geometria. Reliquas autem omnes sensibilium esse uult. Cæterum quæ sit harũ uniuscuiusque natura & ratio, si quis didicisse cupiat, ea, quæ apud Proclum ad primi propemodum libri commentariorum in Euclidis Geometrica Elementa finem habentur, legat, ubi plenissimè harum pertractatur natura. Nos autem, quoniam de ijs artibus, ex quibus falsæ disciplinæ amatores nomen sibi inuenerunt, satis est disputatũ (neque enim hic de supputatoribus, mensoribus, cantoribus, & diuinatoribus astrologis agendũ, qui tamen hominum errore, quod & de sua ætate queritur Galenus, pro illis coluntur, ut quod superius dictum est, hinc manifestè intelligatur, ψευδοπαιδείας ψευδοπαιδείαν ἑτέραν, ὥσπερ εἴδωλον εἰδώλου, omnia tantumnon nunc occupare) ad sectas transeamus, ad quas uoluptarij, Peripatetici, & Critici annominantur. Cùm igitur sectæ, seu potius harũ æmulatores, Simplicio & Ammonio autoribus, ex pluribus occasionibus nomen sibi inuenerint,

nerint, nunc quidem ex autore, quem sequuntur: nunc uerò, ex autoris patria: interdũ & à loco, in quo uersantur: nonnunquam autem & à uitæ, quam instituunt, forma: est &, cùm ex modo rationeq́ exercitationis & commentationis: & ex fine itidem, quem sibi in philosophando proponunt: insuper autem ex accidente: Voluptarios quidem, ex fine, quem sectantur nomen inuenisse, cuilibet manifestum: Voluptatem enim summum bonum esse statuunt, ad quod omnia in uita referri oporteat. Appellantur autem eidem & à sectæ huius autore Epicuro, Epicurei. Peripateticos autem ab accidente, quod nimirum inter philosophandum deambulare soleat, ipsorum sectæ autor Aristoteles, sic appellatos accepimus. Criticos uero à modo & ratione exercitationis. Nam hi poëmatum & aliorum operum iudicium & censuram ex arte grammatica, secundùm eius præcepta, sibi usurpabãt, quam tam seuerè exercuerunt ueteres grammatici, ut autor est Quintilianus, ut non uersus modò censoria quadam uirgula notare, & libros, qui falsò uiderẽtur inscripti, tanquã subdititios summouere familia permiserint sibi: sed autores alios in ordinem redegerint, alios omnino exemerint numero. Cæterũ cur hos falsæ disciplinæ amatores fecerit autor, de uoluptarijs quidem in promptu est causa. Hi etenim in summo uersantur errore, ac in maximarum rerum ignoratione. Neque uerò ea simplici, quæ minus utiq; grauis esset, sed quam Aristoteles libro posteriorũ resolutoriorũ primo διὰ συλλο-

γιτικῶς nominat, quòd ratiocinatione concilietur. Videtur autem hoc ipsis merito accidere, ut qui disserendi arte spreta, nec ullis aut definiendi, aut diuidendi ac partiendi, aut artificiose concludendi rationibus & præceptis instructi, nihilominus & disputare aggrediuntur, & de rebus difficillimis citra dialectices cognitionem constituere, & argumenti sententiam concludere non uerentur. Errant igitur illi, tum in physicis, & quidem grauissimè, tum in ethicis, de quibus potissimum nunc agimus, non minus fœdo quàm pernicioso errore. Nam uoluptatē, ut ex Epicuri ipsius ad Menœceum epistola, quæ moralis eius philosophiæ summam quandam complectitur, est uidere, principium & finem beatæ statuunt uitæ. Sed qua tandem id ratione probent, operæpretium est uidere. Omne, inquiunt animal, simul atque natum sit, uoluptatem appetere, eaq; gaudere, ut summo bono: dolorem aspernari, ut summum malum, & quantum possit, à se repellere: idq; facere nõdum deprauatum, ipsa natura incorruptè atque integrè iudicante. O præclarum argumentum, & Epicuro dignum. Sed nos ipsam argumentationem diligentius excutiamus & examinemus. Duo igitur quæpiam sunt, quæ hic probare uult Epicurus (nam is huius ratiocinationis est architectus) prius uoluptatem summum esse bonum: posterius dolorem summum esse malum. Procedit autem ipsi argumentatio, si quam maiorem ipse omisit, quod ἐνθυμηματικῶς agat, quis adijciat, hoc modo: Quod omne animal, simulatq; natum sit,

sit, appetit, quóque gaudet ut summo bono, nondum deprauatum, ipsa natura incorruptè atque integrè iudicante, id summum est bonum. Sed uoluptatem omne animal, simul atque natum est appetit, eaq; gaudet ut summo bono nondum deprauatum, ipsa natura incorruptè atque integrè iudicante. Ergo uoluptas summum est bonum. Consimili autem ratione, & dolorem summum esse malum concludetur, si id tantum in propositionibus tollatur, quod ad boni rationem pertinet, & pro eo, quæ mali notionem constituunt, reponantur. In hac ratiocinatione, quàm multa Epicurus peccet, consideremus. Nam primum quidem, de qua nũc agitur quæstione, eam non satis distinctè animo ac mẽte concepisse uidetur. Cùm enim bonũ, alicuius omnino sit bonum, id quod nunc quæritur summum bonum, nõ alterius, ut arbitror, quàm hominis fuerit. Neque enim dei, quòd hoc, ex Epicuri etiam sententia, supra hominis sit sortem. Neque rursus brutorum, quod longè infra hominis est dignitatem. Et tamen, nescio quomodo, id esse uidetur, quod nunc quærit Epicurus, ut simpliciter pecudis & hominis idem bonum esse, censere uideatur. Nam cùm, omne animal, inquit, manifestum est, ipsum non hominis proprium, sed quod ipsi cum cæteris animalibus est commune, considerare bonum. Cùm uerò, simulatq; natum sit, eo ipso innuit, non de eo nunc agi bono, quod simpliciter in omni rerum natura sit præstatissimum, aut alioqui, quod & cum deo nobis sit commune, quem animal immortale

& beatum facit, ut hac ratione animalis in genere bonum quæsisse uideatur: sed quod mortalis & dissolubilis animalis sit propriũ, quod est nobis & cum pecudibus commune. Atque in eo quidem, quod concludere propositum ipsi est, id est, problemate ipso, hic Epicuri statim turpissimus est lapsus, qui cuius rei occasione ipsi acciderit, posterius patebit. Nunc ad syllogismum ueniamus, cuius propositio maior, ueluti notio quædam distincta summi in animante boni esse uidetur. Nam si bonum quidem absolutè id esse intelligitur, quod omnia appetunt, erit nimirum animalis bonum, quod omne animal appetit: & summum, quod primo loco, id est, ad quod omnia refert, ipsum autem nusquam, (id enim ea uerba sibi uolunt) quoq; gaudet, ut summo bono. Quanquam satis ineptum uideatur in summi boni descriptione, summi nominatim boni mentionem fecisse, & hoc modo, idem ex seipso definire conari. Cæterũ quoniam animaduertebat Epicurus, si hoc modo simpliciter summi boni notionem subijceret, obijci posse, quod & ipse confitetur, opinionum uanitatem & consuetudinum deprauationem imbecillitatem animorum torquere & flectere multifariam, tanquam distinctionem quandam necessariam, notioni adiunxit, nondum deprauatum, ipsa natura incorruptè atque integrè iudicante. in qua, ut quid, per nondum deprauatum, sibi uelit facile intelligo: id enim, quod iam à me est dictum: ita non satis assequor, quid sit, ipsa natura incorruptè atque integrè iudicante, utrúmne hoc ad

omne

omne animal, an ad solum hominem sit referendum. Nam quòd omne quidem animal sine doctore suapte sponte & natura ad uoluptatem amplectedam feratur, non ignoro: an uerò iudicio quodam hoc faciat, plurimum dubito. Immo si quod mihi maxime probabile uidetur dicere debeam, non iudicio, sed naturæ instinctu hoc facere existimem. Sed de hoc paulo pòst considerabimus. Iam uerò nec hoc facile quis dixerit, quid incorruptè atque integrè iudicare uocet. An scilicet, interpretatio quædam sit eius, quod præcessit, nondum deprauatum: perinde ac si dicere uellet, nondum deprauatum, id est, ipsa eius natura (per quam, quæ animanti natura insitæ sunt, facultates intelligit) incorrupta adhuc atque integra iudicante: an uerò potius, quod Græci alio etiam nomine dicunt, ἀδεκάστως. Utrouis enim modo acceperis, non parum incommodi habet oratio. Neque enim, ut maximè incorruptæ sint, quæ natura ingenerantur uires & facultates animanti, integræ etiam simul atque natum sit, fuerint, id est, ad summum uigorem & robur perductæ. Quare nondum etiam optimè ad actiones suas se habeant: sed ab ipso iam inde ortu in dies augescunt, donec ad eam ætatem fuerit peruentum, quam Græci ἀκμὴν nominant. Tum enim ad summum perductæ incrementum consistunt, neque in melius proficere amplius possunt. Unde non malè hanc integram ætatem appellat Terentius. Itaque si in priore significatione Epicuri accipiamus uerba, falsa planè maior erit propositio, etiam huius

ipsius occasione. Si uerò in altera illa, quid sibi uelit, penitus non intelligo. Neque enim inuenire possum, à quibus animãtis natura corrumpatur, ut secus de his rebus, ac sentiat, iudicet. Nam quòd sæpenumero reluctante ratione, à cupiditate aut ira abripiamur, id ipsum à nobis prius satis est expositum, ratioq; eius indicata. Ut uerò de rebus, non ad alium, sed ad nos ipsos pertinentibus, cuiusmodi est hæc de summo bono quæstio, aliter atque existimemus, apud nosmetipsos constituamus, eodem illo nimirum tempore, quo sic affecti sumus, id nulla unquam admittit ratio. Sed fortasse dicat aliquis: Neutrum iam dictorum, incorruptè & integrè, in hac propositione significare: uerum superesse, & tertiam quandam harum uocum acceptionem, quæ hic quadrare uideatur. Rectè nanque, ac ut res se habet, de re statuere, id nunc ab Epicuro dici, incorruptè atque integrè iudicare, cui uidelicet deprauatè ac perperam opponitur. Age sanè sit hæc eius sententia, nondum tamen omne incommodum euasit. Quæ enim altera melius iudicare debet natura, eam necesse est, ut & ad hanc actionem melius se habeat, minusq; ipsi adsit impedimenti. Consideremus igitur in statim nato animali, quomodo se res habeat: an uidelicet adulto iudicandi facultatem perfectiorem obtineat, minusq; huc obstaculi. Immo uerò potius, quod prius esse uidetur, id ipsum examinemus, an omnino in eo, quod iam primũ in lucem editũ est animal, aliqua sit iudicãdi uis, quæ iam tum sese exercere, & in actũ, ut loquũ-

tur,

*tur, prorumpere possit. Certè de quo nūc agitur iudicio & iudicādi facultate, hæc in eam hominis ætatē cadere nō potest, in mutæ etiā bestiæ nullam. Et præclarè sanè nobiscū agitur, si uel adultiores rectè de uitæ fine constituere possimus. Sensuum autem iudicia, etsi nobiscum nascuntur, tamen temporis progressione in nobis absolui, ex superioribus intelligi potest. Cæterum ut id, quod dicimus, ita se habere manifestè pateat, quandā eorum, quæ Græci* κριτήρια *uocant, hic diuisionem subyciamus, ipsi etiam Epicuro, si modo euidentiæ aliquam rationem habeat, non negandā. Cùm igitur uerum, æstimationis iudicetur cum subiectis conuenientia & concordia: subiectorum autem, alia quidem sub sensum cadant atque appareant, alia uerò abdita sint, & ad quæ sensus penetrare nequeat: & illorum, alia per se in sensum incurrant, ut album, nigrum, dulce, amarum, calidum, frigidum, & quæcunque his sunt finitima: alia uerò ex alys quibusdam comprehendantur, ut quæ ex signis & notis percipiuntur: horum autem, alia euidentia sint & appellentur, ut quæ eidem sunt æqualia, sibi mutuo esse æqualia, bis duo quatuor esse, de quolibet aut affirmationem, aut negationem uerè dici: alia uerò ex argumenti conclusione, id est, ratione, quæ ex rebus perceptis ad id, quod non percipiebatur adducit, cognoscantur, ut ex Stoicorum sententia, diuitias neque bonum, neque malum esse, ex hac, quibus bene ac malè est uti, & cætera: quæ quidem ex apparentibus, per se in sensum incurrunt, & patentia*

*atque*

*atque aperta ſunt, ea ad ſenſus iudicium pertinent: quæ uerò ex alijs comprehendi debent, coobſeruatione dijudicantur, ut hunc pleuritide laborare, expirandi difficultate, tuſsi, febre aſsidua, dolore ad iugulum uſque & præcordia tendente, & cæteris conſimilibus ſignis: cras fore ſerenam tempeſtatem, ex ueſpertino cæli rubore: pluuiam expectandam, ex eo quòd iris appareat: aliquem timere, ex pallore: peperiſſe hanc, ex eo quòd lac habeat. Omnia enim hæc, cũ ex apparentiũ ſint genere, etiãſi nunc nõ cõſpiciantur, uel quòd in corpore animantis uel aliquo alio incluſa, tanquã in occulto lateant, uel nondum extent, ſed futura ſint, uel iam præterierint, ex alijs quibuſdã eiuſdem generis, quæ cum ipſis aut ſimul eſſe ſolent, aut ea præcedere aut ſubſequi, iam in ſenſum incurrentibus, ſui nobis cognitionem præbent. Eſt autem horum κριτήριον συμπαρατήρησις, quam coobſeruationem, uoce Latina adamuſsim Græcæ uoci reſpondente interpretati ſumus, quòd inde hæc uera eſſe ſciamus, quòd diutina obſeruatione hæc ad illa ſic affecta eſſe nouerimus. Eorum uerò, quæ abdita ſunt ſenſibusq́ inacceſſa, quæ quidem euidentia nominantur, hæc communis hominum omnium intelligentiæ iudicio ſunt ſubiecta: quæ uerò ex argumenti concluſione percipiuntur, cum conceſsis conuenientia conſenſuq́ dijudicari debent. Porro conceſſa dicimus, tum quæ ſub ſenſum cadunt, tum quæ euidentia ſunt: ad hæc autem & quæ demonſtratione ſunt firmata. Tot igitur cùm habeamus rerum dijudicandarum*

normas, ſic enim κριτήρια non malè, ut arbitror, uerterimus, ad quãnam tandẽ ex his, de ſummo hominis bono, conſtituere pertineat, conſideremus. Atenim uidetur, quòd nec ad ſenſum, nec ad cõmunem intelligentiam, quæ cum pecudinis ſuis affectibus ſola Epicurus nouit κριτήρια, Circes, ut credo, uirgam expertus. Neque enim tanta eſſet, inter peritiſſimos etiam homines, hac de re diſſenſio, quod quæ ſenſu quidem dijudicantur, aperta cùm ſint & patentia, omnibus eadem, non autem alijs alia uideantur. Cæterum omnibus, cùm dico, non eos intelligi uolo, qui morbo aliquo laborantes, quempiam ex ſenſibus oblæſum habeãt, ſed qui hos ſanos & ualentes obtineant: neque rurſus eos, qui aut per minus conueniens medium, aut ex maiori minoríue quàm oporteat interuallo quid ſpectent, aut audiant, aut alio quouis ſenſu percipiant, ſed qui, ut ſemel dicam, omnia remoueant, quæ obſtant & impediunt, nunc ſpatium uel cõtrahentes, uel diducentes, nunc mediũ permutantes: quæ uerò communi intelligentia, in ijs, utpote euidentibus, hominum omnium ſumma ſit conſenſio, niſi fortaſſe ſophiſtarum quorundam, qui contradicendi rabiem, animi uitio, quouis corporis morbo tetriori correpti, non ipſi quidem de his aliter in animo perſuaſi ſunt, ſed uerbotenus contentionis quodam ſtudio diſſentiunt, ex quo rerum naturam immutari non poſſe, manifeſtum eſt. Iam uerò, nec coobſeruationem huius normam eſſe poſſe, hinc, arbitror, haud difficiliter perceperimus, quòd hæc de re-

*bus sensibilibus ex alijs eiusdem generis iudicet: id autem de quo nunc agimus, nec ex eorum, quæ sub sensum cadunt & apparent, sit numero (animi enim, non corporis est bonum) nec ex alijs apparentibus cognosci possit, sed ex animi eiusque partium cognitione. Restat igitur, ut cum concessis conuenientia consensuque dijudicetur, quod demonstrationis opus esse, nemo est, cui sanæ mentis uel semiuncia superest, qui dubitet. Ipsam autem rursus demonstrationem, cùm ratiocinatio quædam sit, eius animæ partis, quæ rationis compos est & particeps, officium esse ac munus, extra omnem est controuersiam. Quare id quod superius dictum est, longè omnium uerissimum esse, iam constat, nec infantibus pueris, nec mutis bestijs, quæ Epicuro penè loquuntur, magistra ac duce natura, nihil esse prosperum nisi uoluptatem, nihil improsperum nisi dolorem: quod tamen nos, utpote quibus batauа est auris, exaudire nequimus, de summo bono iudicandi, ullam uim inesse: quòd hæ absolutè omnis rationis sint expertes: illi autem potentia quidem sint rationales, actu uerò nondum, quæ certè Galeni est sententia. Quòd si quis & hos actu rationales esse contendat, quanquam perfectum quid, quodque iam adsit, actu significetur, hoc tamen fateatur necesse est, tum imperfectam in his adhuc nec absolutam rationem, ut in Politicis uult Aristoteles, tum nimia & redundãte humiditate, ut prius est traditum, prægrauatã ac oppressam, & ab irrationalis animæ partis, quæ per id tempus aut sola aut maximè certè ui-*

tè uiget, affectibus uarijs & multiformibus turbatã, aut prorsus de re omnium longè difficillima iudicare non posse, aut certè multo deterius, quàm eorum, in quibus & corporis & animi uires ad summum iam peruenerunt incrementum: fluctuans autem illa humiditas paulatim absumpta est, & exhausta, & ad temperamenti mediocritatem quãdam redacta: insuper uerò turbulenti illi affectus, quibus antea, tanquam fluctibus quibusdam & tempestate, obscurabatur atque penè obruebatur mens & ratio, iam resederunt & sedati sunt. Et multis quidem nominibus falsissimam esse Epicurei syllogismi propositionem maiorem, satis iam demonstratum arbitror. Minor autem, priore sui parte, quæ absolutam propositionem constituit, uera est: posteriore uerò, quæ διορισμῦ, id est distinctionis cuiusdã uim obtinet, falsa. Neque enim negandum est, omne animal simulatq; natum est uoluptatem appetere. Nam id euidens est. Sed quòd iudicio hoc faciat, nedum incorrupto atque integro, id uerò minimè concedendum, quemadmodũ ex ijs, quæ de maiore propositione à nobis sunt dicta, est intelligere. Naturæ enim instinctu & appetitione quadam, quam Græci ὁρμὴν nominant, ad amplectendam uoluptatem impelluntur. Quare, ut semel finiamus, sic se habentibus propositionibus, ut iam dictum est, non effici nec concludi, quod uult Epicurus, ipsiusq; decretorum comprobatores atque æmuli, cuiuis manifestum est. Quidnam autem sit, quod ipsum in hunc errorem impulerit, id quoque si ad-

 ieceri-

iecerimus, non malè, credo, de studiosis merebimur. Duæ igitur sunt, ut mihi quidē uidetur, huius Epicuro grauissimæ ruinæ, in finis constitutione, causæ. Altera quòd res quasdā inter se uicinas, & finitimas, & tamē nominibus usitatis ac tritis discretas, à se mutuo seiūgere & discriminare neglexerit. Altera, quòd ex animi partiū ignoratione, nō nisi unā, eamq́ in nobis uilissimæ partis conciliationem tantum animaduerterit. Et res quidem quas distinxisse oportuit, hæ sunt: quid nimirū inter appetitionem, quæ est ὁρμὴ Græcè, & uoluntatem, quam eidem βούλησιν, dicunt, ad quam hoc loco & προαίρεσιν adducere, & tanquam pro eodem habere oportet (causam autem paulo pòst intelligetis) itemq́ inter ἑκούσιον, ultroneum, si recipitis, aut certè spontaneum nominabimus, & τὸ ἐφ᾽ ἡμῖν, quod Latinè uno nomine uoluntarium dicitur, intersit. Nam etsi tum uoluntas, tum appetitio, utraque auiditas quædam est, (neque enim aliam uocem, qua ὄρεξιν commodius exprimam, nūc inuenio) sequiturq́ eam, quæ Græcis συγκατάθεσις, Latinis assensio atque approbatio dicitur: tamen illa semper rationalis animæ est partis, hæc autem & eius, quæ rationis est expers: & illa quidem, eam comitatur assensionem, quæ rationis & iudicij ui tantum excitatur: hæc uerò, etiā quolibet uiso commotam. Unde patet omnem quidem uoluntatem, appetitionem esse, non omnem autem appetitionem, uoluntatem. Itaque infantibus, pueris, & mutis bestijs appetitionem cōcedimus, uoluntatem adimimus. Con-

simili autem ratione & uoluntarium ad spontaneum est affectum. Latius enim hoc illo patet, ut quodcunque uoluntarium sit, idem rectè & spontaneum dixeris, non autem econuerso. Definiunt autem Spontaneum hoc modo, quod ex minimè uiolenta, undecunque impulsa, fit aßensione. Voluntarium uerò, quòd cum aßensione fit à ratione & iudicio oriunda. Quare rursus quod à pueris reliquisq; fit animalibus, rectè spontaneum dixeris, uoluntarium non item. Cæterum quamobrē hoc loco ad βούλησιν & προαίρεσιν contraxerim, cùm tamē reuera, ut superius est traditum, distinctæ & separatæ sint facultates, illud in causa est, quod, ut nonnunquam, quæ ex sua natura sunt προαιρετὰ, nobis fiunt βουλητὰ, quando nimirum in ijs, tanquam finibus quibusdā, acquiescimus, ut sapere, uidere, & uoluptates quædam, & honores: ita econtra, & quæ simpliciter βουλητὰ, alicui interdum προαιρετὰ, cùm nimirum dubitet, hócne illo potius sit pro fine habendum ac persequendum. quare τὸ ἐφ' ἡμῖν non minus ad βούλησιν, quàm προαίρεσιν pertinebit. Et prior quidem causa, quæ Epicurum in errorem impulit, hæc est, quòd harum rerum confusam & indistinctam notionem habuerit. Posterior uerò, quæ animi partium, eiusq; conciliationū est ignoratio, huiusmodi nimirū fuerit. Nam cùm hominis anima ex tribus, ut superius probatum est, constet partibus, æstimatrice, animosa, & quæ cupiditatis est, ad tria etiam naturæ conciliationem obtineat oportet: æstimatricis quidem ratione, ad honesta-

*tem, ſeu, ut quod magis cum ipſa eſt adæquatũ dicam, pulchritudinẽ, quæ Græcis καλὸν nominatur, uel διὰ τὸ καλεῖν, ut autor eſt Proclus in commentarijs ſuis in Alcibiadem Platonis priorem, uel διὰ τὸ κηλεῖν: animoſæ uerò, ad uictoriam. Eius autem, quæ cupiditatis eſt, occaſione, ad uoluptatem. Pari autem ratione, & à tribus alijs, quæ iam dictis ſunt contraria, alienationem naturalem habemus, turpitudine, eò quòd uictoriæ opponitur, Græcis ἧττα dicitur, apud Latinos, quòd ſciam, nomen non inuenit, & dolore. Cæterum hæc ita ſe, ut diximus, habere, non tam demonſtratione, quàm animaduerſione & admonitione cognoſcimus. Uidemus enim tum pueros, tum reliqua animalia uoluptatem per ſe & ſua ſponte, citra omnem inſtitutionem, appetere, ſibiq́ aſciſcere, dolorem autẽ aſpernari & à ſe repellere. Uidemus autem & ferocire eos, & calcitrare, & mordere, & uincere cupere, cæterosq́ ſuperare, ut & animalia nonnulla, non alio ipſis præter uictoriã ipſam propoſito certaminis præmio. Atque hæc quidem ab ineunte ſtatim ætate, cùm nondum rationis uſum obtinent. Procedente uerò ætate, cùm rationis uis iam actuoſa redditur, tum ſanè & pudor quidam ingenuus & dedecus fugiens laudemq́ maximè conſequens uerecundia in ijs apparet, gaudentq́ honeſtis actionibus, & iuſtitiæ reliquarumq́ uirtutum ſtudio tenentur, multaſq́ tum actiones ſuas, tum cogitationes ad harum uirtutum notiones dirigunt, cùm antea in teneriori adhuc ætate conſtituti affe-*

ctibus ducerentur tantum, spretis ac repudiatis, quæ ex ratione ipsis proponebantur, præceptis. Tres igitur nobis cùm sint naturæ conciliationes, itemq; alienationes, trium animæ partium ratione, ut dictum est, Epicurus eam tantum uidit, quam ad uoluptatem, abiectissimæ animæ partis occasione, habemus: quæ ipsi altera, ut diximus, est causa, malè de summo hominis bono uitæq; fine constituendi. In quo cùm tam turpiter errarit, quid in reliquis, ijs, inquam, quæ ad finem referũtur, ipsum fecisse putemus? Nimirum, quod dici solet, οὐδ᾽ ἐγγὺς. Toto aberret cœlo oportet, qui in ipso statim portu tam grauiter impingit, cùm paruus etiam error in principio, magnus fiat in fine. Sed si cui & hoc nouisse lubet, habet à Diogene Laërtio eius absurdissima dogmata satis copiosè explicata in ipsius uita, & à Cicerone itidem, in libris de Finibus bonorũ & malorum. Quare non immerito hos Penelopis sponsos, Epicurum, inquam, quiq; ab ipso sunt Epicurei, inter falsæ disciplinæ amatores numerari uidemus: quorum non exiguam turbam etiam hodie conspicere est, effrenatis suis cupiditatibus & libidinibus effusis, sanctũ illud & augustũ Euangelij nomen prætendentium. Ac de Epicureis quidem hæc sufficiant. De Criticis autem, quod & hi ad hunc ordinem pertineant, id ut probetur, non longa eget oratione. Nam si Grammatici, ut prius est dictum, falsæ disciplinæ sunt amatores: hi autem omnem ætatem in ea consumunt facultate, in minutissimis quibusq;, ac quæ ad solidam eruditionem

tionem nullius sunt momenti obseruandis occupati, atque ita artem alioqui non inutilem, ad anilem propemodum superstitionem reducunt, ut deinceps quomodo quis loquatur nesciat: quis dubitet, quin uel de principatu in hoc ordine certent. Huius autem generis cùm alij hodie sunt multi, tum etiam illi, qui præpostera quadam curiositate in Ciceronis imitatione uersantes, ex hoc, Ciceronianorum nomē sibi inuenerunt, quo tamen nūquam Ciceronem usum accepimus, ut mirum sit ipsos non perinde ut Christiani, ita & Ciceroniani nomen respuere. Minimè itaq; mirum, ut diximus, & hos ab autore in Falsæ disciplinæ collegium cooptatos. Sed de Peripateticis quid dicemus, maximeq; huius sectæ autore Aristotele, qui summa semper in ueneratione fuit, qui solus ex omnibus philosophis dignus est uisus, ut in scholis retineretur, ad tot nationum cognitionem, ex alia subinde in aliam linguam translatus? Nam & hos noster autor ex philosophorū honestißimo cœtu, in hunc adulterinum gregem reijcere non est ueritus. An scilicet autori nostro diem dicemus, & aut sententiam mutare atque adeo retractare cogemus, aut causam suam nobis probare? Nam alterutrum ut faciat, merito postulaturi uidemur. Age igitur, quid est ô Cebes, quod in Peripateticis nostris, & eorum principe Aristotele huiusmodi deprehendisti, ut & hos cum falsæ disciplinæ amatoribus consociares? Neq; enim te credo, tam benè de uirtutibus cùm disseras, aut inuidia stimulatum id fecisse, aut odio, quod Pythago-

*reis & Platoni, quos tu maximè mihi probare uideris, iniquior esset. Causa igitur, & grauis subsit oportet, cur sic de Peripateticis sentias. Sed uideo propemodum quid sit, quod te mouerit: & in eius quidem sectatoribus præcipuè, in ipso autem non pari fortasse ratione, sed aliquo tamen modo. Contrariam enim hi philosophandi uiam, atque Socrates ingressi uidentur: quòd hic philosophiam à rebus occultis & ab ipsa natura inuolutis auocauerit, & ad uitæ communis cultum adduxerit: Aristoteles uerò, multoq; magis eius æmuli Peripatetici, neglecta propemodum morum disciplina, aut obiter tantum tractata, totis in naturæ obscuritatem uiribus incubuerint. Itaque factum uidemus ut nec hi de naturæ conciliationibus rectè constituerint: alijs quidem, hominem ad se ipsum conciliationem primã habere asserentibus, quorum de numero Xenarchus est & Boëthus: alijs uerò ad uoluptatem. Neque uerò desunt, qui utrunque coniungentes & ad seipsam, & ad uoluptatem, primam ipsi conciliationem esse statuant. Nam hæc Alexandri Aphrodisei sententia esse uidetur. Verginio autem Rufo, prima naturæ conciliatio, sua cuiq; perfectio est: quam esse dicit,* τὸ ἐνεργείᾳ εἶναι, τοῦτ᾽ ἐστὶ, τὸ ζῆν, καὶ τὰς ἀπὸ τοῦ ζῆν ἐνεργείας ἐνεργεῖν οὔσας ἡδείας, *id est, actu esse, hoc est, uiuere, actionesq; hinc profectas exercere, quæ iucũdæ sunt. Et horum tamen interim quilibet, ad suæ sententiæ confirmationem, Aristotelem testem aduocat, alijs atque alijs, ex eius ad Nicomachum moralibus, locis productis: quod argu-*

*Mm mento*

mento eſſe poteſt, quàm hic in lubrico uerſetur Ariſtoteles, quemadmodum & in ea, quæ de animæ immortalitate eſt, quæſtione, ut huius occaſione Alexander Aphrodiſeus & alij peripatetici nonnulli, ipſius ſententiam eſſe aſſerant, animam à corpore ſeparari nõ poſſe, ac proinde cum corpore interire, cùm eius ſit forma, & uis ac facultas nimirum quæpiam, ex corporis temperamento reſultans: alij autem rurſus reclamẽt, ut Philoponus & Simplicius, qui diuerſæ ipſum ſentẽtiæ eſſe uolunt. Iam fortaſſe & hoc Cebetem offenderit, quòd nouæ ſectæ conſtituendæ gratia, pleraque contentioſius, quàm philoſophũ & ueritatis inueſtigatorem deceat, cum ueteribus diſputet, rectè etiam ab ipſis dicta euertere quærens, nonnunquam non ſatis candidè illorum expoſitis ſententijs. Quæ quidem, & fortaſſe alia his ſimilia, etſi penitus inficiari non poſſumus, conſtabit tamen apud nos Ariſtoteli ſuus honor, quòd methodi autor optimus cùm ſit, plurimum diſcentium & philoſophantium ſtudia iuuerit, non ſolum demonſtratiua & dialectica, cunq; his rhetorica ad artem redactis: ſed etiam quæ ad naturalem pertinent ſcientiam uniuerſa, quæq; ad primã philoſophiam, ita ſubtiliter, acutè ac ſcienter ab ipſo pertractatis, ut nihil in eo genere fieri poſſe uideatur argutius: moralibus autem & politicis, etſi in his exquiſitam illam & ad tenue elimatã docendi rationem nõ æquè obſeruat, ſed pinguiore, ut aiunt, Minerua & rudiori conatu & adumbratione ueritatem oſtendit, quod & ipſe fatetur,

pro

*pro subiectæ tamen materiæ natura satis distinctè eleganter apteq́; explicatis. Atque de falsæ quidem disciplinæ amatoribus, quorum nominatim noster autor meminit, hactenus dictum esto. Quod uerò deinceps subijcit, & quicunque his tandem sunt similes: id quam uim habeat, minimè prætermittendum. Neque enim leuem aut contemnẽdum usum habet, sed, ut mihi uidetur, longè maximum, in quibus hæc similitudo, qua de nunc agit, consistat, quibusq́; notis animaduerti poßit, cognouiße. Sic enim non solum alios his similes, sed eos etiam ipsos expeditè ex uniuersalibus quibusdam indicijs, non tanquam ex unguibus leonem, quod dici solet, æstimare, sed potius, tanquam ex auribus prominentibus, solidis ungulis, cauda, nec nõ alijs quibusdam coniecturis asinum leonis pelle contectum, agnoscere licebit. Quare ex quibus, tum in artificibus, tum in sectæ cuiuscunque comprobatoribus & æmulis, hæc spectari similitudo debeat, breuiter ostendamus. Dicimus igitur, quòd ex duobus quidem, quæ poßunt etiam à uulgari intelligentia ac prudentia communi obseruari & notari, tertio autem artificioso. Illorum, alterum est finis ipse & cuius gratia aliquid fit, alterum exitus, quem si & euentum & effectum hoc loco nominare uoles, minime peccaueris. Hoc autem tertium, ea sunt quæ ad finem referuntur. Et ex fine quidem, hoc modo. Nam primum quidem, qui non totius uitæ suæ, omniumq́; in hac agendorum, atque ipsius adeo illius, quam quis profitetur artem, finem, ueram beatitudi-*

nem statuat, quam non solum eandem hominis & reipub. ut uult Aristoteles, sed etiam uniuersæ hominum consociationis & communitatis existimare oportet (quænam autem hæc sit, cùm ad eum autoris locum, ubi huius mentionem facit, fuerit peruentum, dicemus) sed huius loco uel inanem aucupetur rumorem, umbrasq; gloriæ consectetur, uel diuitijs misere inhiet, aut uoluptate capiatur, aut aliô quopiam falsorum bonorum respiciat, eoq; studia sua omnia & actiones dirigat, hunc fallacis & fucosi ipsius nimirum uitæ finis occasione, falsæ disciplinæ amatorem rectè statueris. Si uerò præterea, quod ferè tamen consequi solet, professionis etiam suæ finem adulteret & uitiet, ut, exempli causa, ambitiosus aliquis, ut secundùm uulgares hos uersiculos nunc agamus,

Esurit ars, decreta tument, lex lucra ministrat,
Pontificat Moyses, thalamos medicina subintrat.

Iuri Pontificio operā dans, animaduertensq;, si quidem uerè solideq; eius peritus effici debeat ac legitimè hoc tractare, quòd & quàm magnarum artium ac scientiarum ad eam rem ipsi cognitione sit opus, ut autem esse uideatur & non sit, breuiore eò uia peruenire posse: huc sese conuertat, & uideri potius quàm esse studeat, quòd sic, quos appetit honores, & citius & facilius se assecuturū speret: hic iam duplici nomine falsæ disciplinæ amator merito censeatur, quòd tum uitæ, tum professionis suæ finem falsum sibi proponat, illius quidem gloriam inanem, huius uerò, Iuris Pon-

tificij

tificij fictam & adumbratam scientiam. Consimili autem ratione, & si quis aut opum appetens, Iuris ciuilis, quod profitetur, studium non ad legitimæ atque usitatæ in rebus causisq́ ciuium æqualitatis conseruationem, sed ad iustitiam eludendam, & quamuis causam, nouis subinde fraudibus & fallacijs, quas practicas legulei uocant, inuentis, obtinendam dirigat: aut sacerdotiorum ac dignitatum ecclesiasticarum, Theologiam à uitæ puritate & innocentia, pietate & religione, ad hypocrisim & superstitionem, uel econtra, quod hodie nostri pseudoeuangelici faciunt, ad carnis libertatem, nimiamq́ de sua salute securitatem & confidentiam, solennium cerimoniarũ, sacrificiorum, & omnibus temporibus sacrosancti cultus diuini neglectionem, ne dicam despicientiam detorqueat: aut uoluptatum, arte medica non ad sanandum, sed ad obsecundandũ & aßentandum utatur, quòd hac ratione omnia sibi peruia & penetrabilia animaduertat. Nam & hi omnes gemina ratione falsæ fuerint disciplinæ amatores. Atque ex fine quidem sic de ipsis constituas. Ex euẽtu autem hac ratione. Sit enim exempli gratia, qui se demonstratorem profiteatur, aut etiam de demonstratione scribere audeat. Hic si quidem nec ipse, cùm res postulet, hac uti methodo ualeat, nec alium huc instructum reddere, merito ad hunc gregem ex euentu pertinere iudicabitur. Paßonis enim Mercurius fuerit, quod intus an extra scientia sit incertum, quemadmodum & ille. Pari etiam ratione (ut & in

 sectis

*sectis non minus earumq́; æmulis examinandis hæc ualere, quàm in artibus & artificibus intelligamus) si quis nouū hoc doctrinæ genus, quod, tanquam contagio quædam, ab uno profectum proh dolor latißimè manauit, amplexus, se certum eße de eo aßerat, quòd ex numero sit electorum, quodq́; fidem iustificantem in se habeat, nec tamen motus animi turbatos cohibere poßit, nec à uitijs, etiam craßioribus illis, quæ in Epistola ad Galatas opera carnis à Paulo nominantur, abstineat: hunc certo scias & ipsum seipsum plurimum decipere, & huius falsæ persuasionis & consimilium occasione, in falsæ disciplinæ amatorum gregem reijciendum. Nam quouis magis uerum eße oportet, quod ab eo, qui mentiri nequit, est dictum. Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum, aut facite arborem malam, & fructum eius malum. Ex fructu enim cognoscitur arbor. Itaque, ut iam dictum est, tum ex fine, tum ex euentu, de ijs, qui ad hunc cœtum pertinent, constituere poterimus. Ex tertio autem, quod artificiosum appellauimus, sunt autem ea quæ ad finem referuntur, ut rectè iudicemus, ad tria hæc respicere oportet, sítne uidelicet horum quodlibet, quæ uel ad finem uitæ, uel artis cuiuscunque referuntur: primum quidem uerum ac solidum: deinde utile ad id, quo dirigitur: postremo autem consequens, id est, an ad subiecta principia sequatur. Cæterum qua ratione hæc sint dinoscenda, de uero quidem dictum est prius. De utili autem & consequenti nunc breuiter agamus, ut nec illorū*

*normæ*

normæ ignorentur. Igitur quod utile futurum est, id prius, ut fieri possit, necesse est: quod quæ fieri nequeãt, inutilia iu dicentur. Deinde uerò & sic, ad quod utile esse dicitur, affe ctum sit oportet, ut hoc sine illo aut prorsus consequi nequeamus, quod non solum utile, sed etiam necessarium fue rit: aut non satis commodè: aut omnino per hoc commodius & facilius, ut, exempli causa, uirtutes ad beatitudinem sunt utiles, quòd sine illis ad hanc perueniri non potest: rursus grammatices præcepta ad autores intelligendos utilia dicimus, quòd sine his haud temere, ex solo usu quis assequa tur, ut ipsos intelligat. Iam uerò & astrologia medico utilis esse dicitur, quòd commodius meliusq́ artem suam huius præsidio exerceat. Et utilis quidem hæ sunt normæ. Consequens autem quid esse, non ex eo iudicamus, quod cum alio quopiam quomodocunque simul existat, ut nonnulli existi marunt, ignorantes multa quidẽ simul esse, in quibus nulla tamen consecutio spectetur, ut diem esse, & respirare quempiam: sed quo sublato, necessario aliquid simul tollitur, & posito infertur, hoc illi consequens esse, statuendum est, & omnino, qua ratione, quæ secundum cohærentiam inter se connexa & apta sunt, iudicantur, eadem utendũ & in his, quæ inter se consecutionem habere dicuntur. Sed ex his, ut dictum est, iudicare, non cuiusuis fuerit: sed in uni uersa quidem uita, sapientis & prudentis, eiusq́ qui diuinarum & humanarum rerum est peritus, & ciuilis scientiæ cognitione pollet: in qualibet autem arte, eius qui artis cuiusque

cuiusque notitiam est assecutus. Et quidnam igitur nostri temporis hominibus persuasit, ut non solum literatorũ uulgus ex his de quouis iudicare audeat, sed etiam omnis planè eruditionis expertes? Nam & sutores uideas & zonarios, cetarios, lanios, coquos, fartores, piscatores, aucupes, fabros, textores, fullones, cæmentarios, tinctores, pelliones, alutarios, coriarios, & reliquos operarios uniuersos, cùm ex scopo, quem tum uitæ, tum artis parum honestum ac legitimum plerique sibi propositum habent, moribusq; & uita euangelicæ puritati plurimum repugnantibus, ab aliquo emunctioris naris redarguantur, illico ad doctrinam prouocare, atque hinc censere de professione ipsorum iudicandum esse. Hanc enim apud ipsos longè ueriorem esse, quàm apud aduersarios: & cùm hi in sophisticis quibusdã & inutilibus uersentur, ut ipsi inquiunt, se ea tractare, quæ ad solidam pietatem faciant: porrò autem & quæ ipsi profitentur, undique tum sibi consentanea, & consequentia esse, tum ijs quæ diuinitus à prophetis & apostolis, cæterisq; spiritu dei illuminatis diuinis hominibus sunt tradita, cùm illorum placita tum plurimum inter se discrepent, tum ab illis etiam prorsus abhorreant. Quòd si quis hic interpellans dicat: atqui de his iudicare rectè, non cuiusuis est, sed summi Theologi, cui & demonstratiua methodus, atque ipsa adeo dialectica uniuersa non modo exquisitè cognita sit, sed etiam assidua commentatione & exercitatione in habitum ducta & firmata: continuò obstrepentes obijciunt:

*obijciunt: Christianorum omnium communem Theologiam esse facultatem, non quorundam, qui eam impudenter sibi solis arrogarunt, propriam: ad ea autem, quæ hic tractantur, nihil humana sapiẽtia & prudentia esse opus: spiritu hæc dijudicari, qui mysteria regni cœlestis abscondit à sapientibus, & reuelat ea paruulis: eoq́ non multos sapientes secundùm carnem, non multos potentes, non multos nobiles saniori se adiungere doctrinæ, quod & Paulus testatur, sed simplicem potius plebeculam hominesq́ uulgares, quales & Apostoli fuerunt, quorum nonnulli à piscatu ad apostolicum munus sunt uocati: Matthæus uerò etiam ex telonio. Nam hæc ipsis in promptu sunt illico, tanquam inexpugnabilia quædam arma. Sed quàm his nihil agant consideremus, ab illo exorsi, quòd Theologiam, communem Christianorum omnium facultatem esse asserant. uidetur enim mihi, id perinde dici, ac si quis eam, quæ de uita & moribus est, omnium communem disciplinam esse statueret. Nam ut hic neque prorsus à ueritate aberraret, neque penitus eam assequeretur: ita & illos facere censendum. Cùm enim, ut superius dictum est, triplex in qualibet facultate consideretur habitus: scientis, quem* εἰδότα *&* ἀρχιτεκτονικόν: *eruditi, quem* πεπαιδευμένον: *& secundùm rectas quasdam opiniones & persuasiones agentis, quem* δημιουργόν *uocat Aristoteles, secundùm postremum quidem hunc habitum, tum moralem disciplinam, tum Theologiam, omnium communem esse concedimus: secundùm*

priores uerò duos, minimè. Quare de ijs, quæ artificiosi hic sunt iudicij, uulgares nihil neque probabili, neque scientifica ratione constituere posse censemus, sed totum id uel ad eruditos, cuiusmodi Theologiæ sunt candidati, uel scientes, ipsos nimirum Theologos pertinere. Quod uerò de spiritus iudicio hic loquuntur, id non parua indiget distinctione. Nam primum quidem, quæ talia sunt, ut arte & scientia in qualibet facultate comprehendi ac tractari possint (sunt autem & in Theologia huiusmodi nō pauca) si quis in ijs, spreto hoc dei beneficio, aliô quopiam, cùm de horum ueritate quæritur, prouocet, hunc ego non satis rectè facere iudicem. Neque enim animaduertere, quæ rerum ipsarum conditio sit & natura: sed perinde facere, ac si quis, cùm de niue sit statuendum, alba sit nécne, oculorum iudicio repudiato, ad mentem ac rationē confugiat. Esse enim & de quibus mens & ratio iudicet, quæ supra omnē sunt sensum: esse autem & de quibus sensus, quæ infra mentem & rationem sunt posita. Consimili autem ratione & in Theologia esse, tum quæ scientiæ sint subiecta, tum quæ omnis scientiæ modum excedant: in quibus ad spiritū prouocasse, non uideatur forsitan absurdum. Sed hic tamen rursus idipsum distinguendum arbitror, cùm spiritus non uno modo consideretur, sed nunc quidem, ut uniuersè toti adest Christi Ecclesiæ, ijsq; ad quos legitimè ecclesiæ trāslata est autoritas: nunc uerò, ut distributim secundùm donorum diuisionē singulis: atque id rursus dupliciter: aut enim

peculia-

peculiari quadam ratione, ut prophetis & quos diuino numine afflatos dicimus: aut communiori, ut multis pijs & deo charis hominibus, cùm in dubijs quibusdam in religione & controuersis quæstionibus, quæ omnẽ humanæ mentis & intelligentiæ uim & facultatem exuperant, spiritus appellatur, tum ad eum, ut primo consideratur modo, confugiendum esse: atque hoc esse τὸ ἀκρότατον, quod habemus in religione κριτήριον, cui & scripturæ interpretatio, sicubi inexplicabilis aliquis locus occurrat, est subiecta, & controuersiarum disquisitio, ut dictum est, quæ omnem scientiam & cognitionem humanam excedunt. Atque in huius simpliciter autoritate acquiescere oportet, qui in Ecclesiæ catholicæ uoce resonat, cùm reliquis spiritibus non nisi examinatis credere debeamus, tum quòd falsi prophetæ nõ raro inueniãtur, tum quòd in prima sua epistola diuus Ioannes moneat, ne cuiuis spiritui credamus, sed spiritus examinemus an ex deo sint. Unde patet inscienter admodum ad spiritum prouocare, qui Ecclesiam non audiunt. Nam quo minus ipsorum spiritui credamus, in causa est, quòd ij spiritus fructus, quos penultimo capite epistola ad Galatas describit gentium ille doctor Paulus, in ipsis non appareant, sed carnis potius opera conspicua sint. Neque uerò quicquam pro ipsis facit, quòd mysteria regni cœlestis abscondi à sapientibus, & reuelari paruulis, ex autoritate Christi & Pauli asserant. Nihil enim hoc cõtra nos facit, si non etiã & pro nobis. Nam Christus quidem & Paulus

*non de uerè absoluteq́ sapientibus, neque de uerè simpliciterq́ infantibus & insipientibus loquuntur: sed, ut ex Pauli uerbis manifestè patet, de ijs, qui præpostero & peruerso carnis & mundi iudicio tales uiderentur: nos autem, quod superius artificiosum esse statuimus iudicium, à uerè simpliciterq́ hîc insipientibus & ijs destitutis adiumentis, sine quibus hoc exerceri nequit (tales enim sunt, quos superius subiecimus uulgares, omnis eruditionis expertes, & qui affectibus potius quàm ratione ducantur) ad uerè absoluteq́ Theologica facultate doctos & sapientes, ijsq́ instructos artibus & scientijs, quibus uerum à falso, ab inutili utile, consentaneum à dissentaneo dijudicandum ac discernendum est, transferimus, quæ minimè inter se pugnare manifestum est. Sed nos his dimißis ad propositum reuertamur, &, quoniam, quæ ad falsæ disciplinæ amatores pertinent, omnia satis exquisitè sunt explicata, ad ea quæ apud autorem sequuntur progrediamur.*

Sed mulieres illæ, quæ circuncurrere uidentur, prioribus illis similes, inter quas incontinentiam esse dicebas, & aliæ, quæ cum ijs cõspiciuntur, quænam sunt? Illæ ipsæ sunt, inquit.

*Quod superius rectè à nobis Falsa disciplina sit definita, cùm eã,* φαινόμενον σωφρονισμὸν ἀμαθίας ἀπαλλακτικὸν καὶ κακίας ἁπάσης ἐκκαθαρτικὸν, *esse diceremus, ex his, & quæ deinceps sequuntur manifestè patebit. Neque enim uerè aut à uitijs animũ expurgat, aut ab ignorantia & errore opinionumq́*

*nionumq; fluctuatione nos liberat, eoq; in ipsius amatoribus ea uitia adhuc animaduertere est, quæ prius sunt enumerata, incontinentiam nimirum, luxuriam, inexplebilem auiditatem & aßentationem: quanquam fortaße non hos ita totos occupant, ut priores illos & uulgares, quòd liberalioribus quibusdam subinde intenti studijs, hæc à se repellant, quæ tamen mox, ut primum uacuum rursus animum senserint, & occupationibus illis relaxatum, recurrunt. Idq; mihi significare uoluiße uidetur autor, cùm hos circuncurrere, superiores autem penitus complecti ipsa uitia facit. Minus enim quippiam τὸ περιτρέχειν, id est, circuncurrere, quàm συμπλέκεσθαι, id est complecti, eße uidetur. Cæterum non solum, hæc, quæ diximus, uitia circuncurrere hos facit, sed etiam Punitionem, Aegritudinem, quæq; reliqua superius commemorata sunt mala. Huc enim pertinet, quod dicitur, & aliæ, quæ cum ijs conspiciuntur. Neque uerò id mirum uideri debet, quòd hæc uitiorum & uoluptatis sit natura, ut ferè dolorem & mala secum trahant, alterumq; alteri succedat.*

Vtrum igitur & huc ingrediuntur? Per Iouem inquit & huc: sed raro, & non perinde ut in primo uersantur ambitu.

*Ex ijs quæ iam dicta sunt, & hæc sunt manifesta, nec explicationis ulterioris indigent. Inquit enim & huc quidem ingredi uitia & reliqua mala, sed non perinde obtinere, ut in primo ambitu, cuius causa à me iam est explicata.*

An'ne & opiniones? Ita inquit. Adhuc enim & in his potio, quam à Seductione hauserunt, & ignorantia per Iouem manet, cumque hac adeo insipientia: nec ab ipsis tum opinio, tum reliqua uitiositas discesserit, usque dum Falsa disciplina reprobata, in ueram ingrediantur uiam, eiusque uim purgatoriam hauriant, malaque omnia, quæ habent, eijciant, tum opiniones, tum ignorantiam, tum reliquam uitiositatem uniuersam: tum enim demum sic seruentur incolumes. Hic uerò apud Falsam disciplinam si permanserint, nunquam soluti ac liberi euadent, neque mali quicquam eos deficiet harum disciplinarum ergò.

*Cùm ex præcedentibus, uitia in hunc secundum ambitum ingredi, intellexisset hospes, hoc loco nunc quærit, an & opinionibus huc pateat aditus, quòd procul admodum hinc habitare uideantur, ad primi nimirum ambitus ingressum, statim post Seductionem. Respondet autem Senex, & huc eas peruenire, causamque addit, quòd nimirum etiam nunc in his, qui falsæ disciplinæ sunt amatores, Seductionis potio uim suam exerat, ac proinde ignorantia eorum animos adhuc occupet, quodque grauius est, insipientia. Cæterum ignorantiam nunc eam accipere oportet, quæ* κατ᾽ ἀπόφασιν *dicitur, aut etiam eam, quæ* κατὰ διάθεσιν *appellatur, sed simplicem duntaxat, non autem ratiocinatione conciliatam. Insipientiam uerò* τὴν κατὰ διάθεσιν καὶ διὰ συλλογισμοῦ. *Neque uerò sic interrogationi satisfecisse contentus, insuper & id addit Senex, quousque tum opinio, tum reliqua uitiositas hominem comitetur, & quis illarum progressionis sit modus & finis. Nam eum esse statuit, Falsæ quidem*

*disciplinæ*

*disciplinæ repudiationē, ueræ autem uiæ ingressionem, ubi Veræ disciplinæ facultate purgatoria hausta (quænam autem illa sit, suo non ita multo pòst loco explicabimus) omnia expellunt exterminantq́ mala, ut opiniones, uoluptates, cupiditates, ignorationem, incontinentiam, & reliqua uitia & perturbationes: quibus antea affligebantur & laborabant. Quibus demum liberati malis, animi sanitatem recuperant, saluiq́ in posterum conseruantur. quod certè ipsis, quamdiu Falsæ adhærent & addicti sunt disciplinæ, usuuenire minimè posse, inquit: cuius etiam causa à nobis superius est reddita. Atque hæc quidem autoris hoc loco est sententia, minimè ijs, qui superiora rectè assecuti sunt, obscura aut difficilis. Sed in uerbis fortasse hic quispiam hæreat, nec inueniat, quo* τούτου *illud, in hac oratione,* καὶ πίωσι τὴν τούτου καθαρτικὴν δύναμιν, *referre debeat, quod* ὁδὸς, *id est, uia, quò referri omnino debere uidetur, fœminini sit generis. Sed huiusmodi generum enallage apud Græcos, & potissimum Atticos non est insolens, ut hoc neminem offendere debeat. Quod autem ad finem habetur, neque mali quicquam eos deficiet harum disciplinarum ergò. quid sibi uelit, ex ijs, quæ de Falsæ disciplinæ amatoribus copiosissimè à nobis superius sunt disputata, facile intelligi potest. Nam cùm hæ disciplinæ, ut dictum est, nec ab ignorantia & falsæ scientiæ persuasione nos liberent, nec à reliqua uitiositate expurgent, rectè ab autore dicitur, harum disciplinarum ergò, id est, quantum ad has pertinet*

*discipli-*

*disciplinas, nihil eos mali defecturum. Ac de Falsa quidem disciplina eiusq; amatoribus, quæq; ipsos comitentur uitia & mala, cùm hæc propemodum sufficere uideantur, deinceps se ad eam conuertit uiam autor, quæ ad Veram ducit disciplinam, quam describere uolens, sic Hospitem de hac interrogantem facit.*

Atqui quænam hæc est uia, quæ ad Veram disciplinam ducit?

*Optimo mihi ordine uti uidetur autor. Nam omnibus hactenus commonstratis, quæ à recto nos itinere abducerent, diuerticulis ac flexionibus, ipsam tandem rectam subijcit uiam, quæ per Veram disciplinam ad uirtutes & beatitudinem ducit, eamq; in sequētibus ita luculenter describit, ut nihil inueniri poßit illustrius. Occasionem autem de hac percunctādi, ex superiori oratione arripit Hospes, ubi dicebatur, Usque dum Falsa disciplina reprobata in ueram ingrediantur uiam, &c. Cui deinceps respondens Senex, his uerbis eam describit, atque Hospiti ostendit.*

Vides'ne, inquit, suprà locum quendam, illum ubi nemo habitat, sed desertus esse uidetur? Video. Nunquid & ianuam quandam paruam, & uiam ante ianuam, quæ nō multum frequentatur: quinetiam admodum pauci eam petere contendunt, utpote quæ accliuis ascensuq; difficilis, aspera & petrosa esse uidetur? Quid ni? inquam ego. Atqui & collis quidam excelsus esse uidetur, & ascensus angustus admodum, cuiq; hinc inde alta sunt præcipitia, Video. Hæc itaq; est uia, inquit, quæ ad Veram ducit disciplinam,

sciplinam, & admodum quidem certè aspectu difficilis atque ardua.

*Quæ ad ueram disciplinam ducit uia, cuiusmodi sit, oculis quidem ipsis intueri non possumus, quòd animi sit, nõ corporis: sed tamen quemadmodum uiæ nomen, quamuis propriè huiusmodi animæ affectioni, qua uel in melius proficit, uel in deterius labitur, non conueniat, ob quandam similitudem à corpore ad ipsum transferimus, & sic utcunque, quod uolumus de eo intelligi, exprimimus: ita & hoc loco noster autor, à rebus quibusdam sensibilibus ducta similitudine, cuiusmodi ea ratio sit ac uia, qua ad ueram perueniamus disciplinam, ita clarè sub oculos ponit, ut non solum cogitatione in eius quandam notitiam facile peruenias, sed tantum non eam intueri te credas. Primum igitur præcelsum atque editum locum facit, quòd uera nimirum rectaque disciplina animum ab humilibus istis ac corporeis occupationibus exercitijsque abducere conetur, & ad sublimia quæpiam, cœlestia, mentique cognata extollere, quò certè nos, ut & antea dictum est, corporis figura uocare uidetur. Deinde talem, quem nemo incolit & habitat, sed planè desertus est: quod quam uim habeat, non iniuria dubitauerit aliquis. Nam si paucissimos ibi degere dixisset, & locum non admodum frequentari, nihil utique quod nos remoraretur esset. Nunc autem cùm prorsus neminem ibi habitare dicat, & locum esse desertum, quid sibi uelit, non statim quis animaduertit. Sed meo quidem iudicio, non id*

uult autor, quòd nemo ibi sit, aut eam ingrediatur uiam: falsum id enim esset: sed quòd nullum in hoc itinere sit diuersorium, ubi interquiescere & reficere se quis possit, antequam ad ἡμιτελεῖς illas ἀρετὰς sit peruentum, ubi tamen nõ diuersorium esse intelligitur, sed locus tantummodo quidam, ubi paululum quis respiret uiresq́ recipiat, ex difficili & arduo ascensu afflictas. Neque enim in hac uia uspiã subsistere oportet, sed continenter progredi, quòd tota hæc lucta quadã consistat rationis cum affectibus, cum quibus inducias pacisci neq; tutũ est, neq; decorũ. Unde & difficilior & molesta magis hæc uia esse uidetur, cùm & illis careat cõmoditatibus, quæ iter faciẽtibus solatio esse cõsueuerunt. Quod uero de ianua sequitur parua, eiusdẽ significationis est cum eo, quod apud Matthæũ capite septimo, de porta angusta habetur. Nam primus quidem ad uirtutem aditus, à uitijs autem recessus, res plena laboris & molestiæ est, quòd affectibus illis rationis expertibus, & uoluptati cum dulcedine quadam ad sensus affluenti & illabenti renunciare, haudquaquam sit expeditum ac promptum, sed si aliud quicquam, difficile & arduum, tum quòd cum illis in lucem editi sumus ac à pueris assueuimus, tum quòd ad hancquoque, ut dictum est, conciliationem naturalem obtinemus. Eodem autem spectare uidetur, & id quod sequitur, de uia ante ianuam, quæ non multum frequentatur. magni enim est laboris, rationis expertes animæ facultates, hactenus effrenatas & indomitas, condocefacere &

ſub rationis iugum mittere. Quare minimè mirũ eſt, hanc à paucis frequentari uiam, cùm hominum maxima pars affectibus ſeruiat, rationis repudiato imperio. Neque uerò id ſatis autori fuiſſe uidetur, quòd hanc non frequentari dixiſſet, ſed quod maius eſt, inſuper addit, quinetiam pauci eam petere cõtendunt, utpote quæ accliuis aſcenſuq; difficilis, aſpera & petroſa eſſe uidetur. per quæ id nimirũ, quod res eſt, indicare uult, non ſolum paucos ab affectibus ſeſe ad rationem ſurſum recipere, ſed etiam pauciſſimos huc aſpirare, conatumq; ſaltem aliquem adferre, quòd ſtatim tantumnon omnium animos deſperatio occupet uel ad primum itineris huius aſpectum. Cæterum accliuis aſcenſuq; difficilis, idcirco dicitur, quòd eiuſmodi animi affectiones, cuiuſmodi continentia & tolerantia ſunt, laborioſæ cuidam in altum conſcenſioni adſimiles, ut paulo pòſt oſtendemus, uideantur, dum rationem affectu ſuperiorem reddere moliuntur. Aſpera autem & petroſa eſſe fingitur, quòd offenſiones crebræ ac ueluti ſalebræ hic occurrere ſoleant, dum affectus rationi reluctantes, eam ſubinde nutare faciant, ac tanquam ad lapſum ſollicitare uideantur. Sed quid tandem ſibi uult quod ſequitur? Atqui & collis quidam excelſus eſſe uidetur, & aſcẽſus anguſtus admodum, cuiq; hinc inde alta ſunt præcipitia. An & hoc eodẽ pertinet? An uerò potius id inſuper docet, ipſum id, quod conamur medium tenere, difficile eſſe, tum quòd non magnam latitudinem obtineat, ſed cõtractum in anguſtumq;

*ſit deductum, tum quòd facili momento hinc excidamus & præcipites feramur, quòd rationis expers affectus, in nobis grauitatis & ponderis quandam rationem ſubeat, ratio autem appetitionis ſeu impetus, ſecundùm quem animalia mouentur. Itaque ut illa, ſi quando per prærupta loca, quæq; uias anguſtas obtinent incautius incedant, facili momento exturbantur, & corporis mole in præceps feruntur: ita & nos cùm in hoc itinere ſumus conſtituti, niſi attenti ſimus, niſi omnia caueamus, facile ab honeſto uitæ propoſito declinantes, affectuum ueluti pondere depreſſi ruimus. Hoc igitur eſſe cenſendum eſt, quod autor his uerbis exprimere uoluit. Atque his quidem ſic ſubiectis, hanc eſſe uiam, inquit, quæ ad ueram ducit diſciplinam, quæ, ut inquit Maro, -Dextrum petit ardua callem*

*Difficilemq; aditum primo ſpectantibus offert.*

*Sed cùm hæc iam ſatis ſint explicata, nos ad ea quæ ſequūtur pergamus.*

Num'ne & ſuprà circa collem petram uides magnam, editam & undiq; præruptam? Video inquam. Vides'ne igitur & mulieres duas in petra hac inſiſtentes luculenta facie, ac corporis bona habitudine, & quàm promptè manus extendant? Video. Sed qui uocantur, inquam, hæ? Altera quidem, Continentia, inquit, appellatur: altera uerò Tolerantia. ſunt autem ſorores germanæ.

*Viæ ratione, quæ nos ad ueram diſciplinam ducit, deſcripta, aut ea certè eius parte, quæ laborioſa eſt atque difficilis (nam reliquam, quæ facilis eſt & expedita, paulo pòſt*

*ſubijciet)*

ſubijciet) deinceps ad Continentiam & Tolerantiam exprimendam ſe conuertit. quod ita appoſitè mehercle facit, &, quod magis mirum eſt, tam breui oratione, ut haud facile quempiam inueniri poſſe exiſtimem, qui uel prolixiſſimo ſermone idem aſſequatur. Primum igitur locum, ubi conſiſtunt, deſcribit. Facit autem eum, petram, ſuprà, circa collem, magnam, editam & undiq; præruptam. quorum ſingula quid ſibi uelint, diligentius cōſideremus. Quòd igitur editiori loco eas cōſtituit, non tamen in collis ſummitate, ſed circa collem, id rationem quidem in ijs præualere oſtendit, ſed non ſummam illam & omnibus numeris abſolutam, quam ſcientiam appellamus, ſed, quæ quaſi inferiori quodā loco poſita eſt, opinio recta. Atenim ut tum quæ hic dicta iam ſunt, ac deinceps etiam dicenda facilius intelligantur, non fuerit, arbitror, incommodum, de animi affectionibus ſeu ſtatibus quibuſdam inter ſe uicinis, in quorum numero & Continentia & Tolerantia eſt, nonnihil diſſeruiſſe, eaſq; à ſe mutuo exquiſitius diſtinxiſſe ac ſeparaſſe. Cùm igitur, ut ſuperius ex Peripateticorum ſententia traditum eſt, duplex ſit animorum uis, una quidem appetitus, altera uerò cognitionis: rurſus autem ipſius animæ, alia quidem pars, rationis ſit cōpos & particeps, alia uerò, eiuſdem expers, cùm in hanc illa perfectum & plenum imperium obtinet, utraque ſua facultate, tum quæ cognitionis eſt, tum quæ appetitus ad ſummam abſolutionem perducta, tum in animo ornata quædam concinnitas &

partium omniũ ac facultatũ quasi cõcentus cõsensusq́ exi-
stit, & hic eius habitus primus & absolutißimus est: ac to-
tius quidẽ animæ ratione, iustitia appellatur: partiũ autẽ,
eius quidem, quæ rationis est compos, prudentia: animosæ
uerò, fortitudo: eius autem quæ cupiditatis est, temperan-
tia. Cùm uerò econtra, quæ rationis est expers dominatur
ac rerum potitur, ratio autẽ penitus oppreßa prostrataq́
succumbit, tum cognitionis ui, tum recto appetitu destitu-
ta, hîc sanè & abominanda quædam deformitas in animo
conspicitur, & incontentus totus existit, cõtraq́ naturam
omni ex parte affectus: estq́ hic teterrimus secundùm per-
turbationem, eius status, qui, quod ad totam pertinet ani-
mam, iniustitia: quod ad æstimatricem eius partem, insi-
pientia: animosam, ignauia: cupidineam (audendum enim
hercle & eam animæ partem, quæ cupiditatis est, ad Græ-
corum imitationem, hac uoce notare) intemperantia no-
minatur. Huic autem uicina & finitima & alia quæpiam
est constitutio, quod ad reliqua quidem pertinet, eadem:
hoc autem solo à prædicta diuersa, quòd ab affectu ratio in
seruitutem adducta, tum appetitu, eôdem, quô illæ, fera-
tur, tum cognitionis, qua adhuc aliquousque pollet, uim
omnem in hoc intendat, ut rationes ac modos omnes exco-
gitet, quibus affectum expleat. Atq́ hic quidem omnium
absolutè simpliciterq́ est peßimus animæ status, in quo non
solum perturbatio, sed etiam calliditas, & malitia quæ-
dam notatur: quarum illa quidem, secundùm affectionem
insipien-

insipientia est, id est, peruersa & uitiosa sapientia, cùm in præcedenti animi habitu hæc secundùm priuationem tantum existeret: hæc uerò, iniustitia uoluntaria & cogitata, cum altera illa in priore constitutione ex perturbatione esset. Quare longius à primo illo & optimo animi habitu hunc distare manifestum est, quàm præcedentem, cùm hic perinde ad eum sit affectus, ut contrariũ ad id, quod omni ex parte est contrarium: præcedens autem, partim quidem, ut contrarium ad contrarium, partim uerò, ut priuatio quodammodo ad habitum. Unde satis mirari nequeo quid Proclo, summo alioqui philosopho, in mentem uenerit, quòd hanc inter medias animæ constitutiones numerauerit. Neque enim uerum est, quòd ratio dimidia ex parte salua & incolumis seruetur dimidia uerò, uitiosa sit & corrupta. Nam ut uoluntas, etiamsi, quod proprium eius est facultatis, faciat, & ad id, quod bonum esse uidetur, feratur, quia tamen non id, quod uerè bonum est, appetit, sed affectum hîc sequitur, corrupta censetur (hoc enim & Proclus statuit) ita & cogitatio, quamuis quod utile esse uidetur & ad subiectum finem ducere, quærendo inuenit (nam hoc ipsius est proprium) quia tamen non quod uerè est utile aut quærit, aut inuenit, uitiosa omnino est existimanda: & alioqui uidetur hæc uoluntati causa esse, quòd in finis electione erret, ut ex ijs, quæ superius contra Epicurum sunt disputata, patere potest. Quare si uoluntas corrupta censetur, & hãc longè antè corruptam esse statuendum

dum

dum est, quæ affectum, ut seruus dominum, usque sequitur. Cæterum inter hos extremos habitus, in quibus nulla pugna apparet, duo alij sunt intermedij, in lucta quadam rationis cum affectu consistentes: quorum quidem in altero, rationem quamuis reluctantem, utpote cuius facultas utraque uim aliquam adhuc, neque eam deprauatam, sed potius imbecilliorem obtineat, affectus uincit & exuperat: in altero uerò cōtrà, superior discedit ratio, manus dat, & uincitur affectus. Ad horum prius genus, incontinentia pertinet & mollities seu intolerantia: ad posterius, continentia & tolerantia. Sunt autem incontinentia & continentia, cupidineæ animæ partis affectiones: hæc laudabilis & in uirtutē uergens, illa uerò uituperanda & in uitium propendens. Mollities autem & tolerantia, animosæ: hæc ἡμιτελὴς ut inquit Theages, ἀρετὴ, id est, inchoata uirtus: illa uerò ἡμιτελὴς κακία, id est, ut uerbum uerbo reddamus, semiperfectum uitium. Verum enimuero hoc loco quærat aliquis, síntne & æstimatricis aliquæ huiusmodi affectiones, quæ his proportione respōdeant, & totius adèo animæ. Dicimus igitur & hic consimiles inueniri. Nam in æstimatrice animæ parte, uera & falsa eruditio, huiusmodi sunt affectiones: in tota uerò anima, inchoata iustitia & iniustitia. Cæterum quos nunc dixi quatuor habitus (nam secundum & tertium pro uno computamus, quòd uterq; primo opponatur) eorum ut in pleniorem notitiam ueniamus, simul autem & sub qua informatione hos autor

tor

tor nūc proponat, definitius ac distinctius percipiamus, in tali quapiā similitudine eos spectandos proponemus. Nam quoniam, ut autor est Ecphantes Pythagoreus, in terra homines res quædam sunt disiuncta, multumq; à puriore illa natura exuperata, & terra plurima grauata, ut à matre uix sese erigāt & extollāt, nisi aliquis instinctus afflatusq; diuinus misera hæc animalia cum præstantiore illa parte coniungat, sacrum genitoris conspectum, quatenus is conspici potest, commonstrans, uidebitur, arbitror, non à ratione alienum, corpus, quæq; hinc efflorescunt & suboriuntur rationis expertes animæ facultates, grauitati & ponderi, quæ natura sua deorsum uergunt, assimilasse: mentem autem & rationem, ei, quod in animalibus est motus animalis principium, Græcis ὁρμὴ dicitur. Itaque ut animal, nunc quidem deorsum à sola grauitate impulsum fertur, perinde ut & inanimata corpora: nunc uerò sursum solo scandit impetu: interdum autem utraque concurrente causa, uel sursum uel deorsum tendit, dum aut per accliuem locum ascendit, aut per decliuem decurrit: ita & in nobis usuuenire animaduertimus. Nam interdum solo ducimur affectu, & eius ueluti pondere depressi in uitia ruimus, ut intemperātes, quos Græci ἀκολάστους uocant. Nonnunquam uerò contrà sola ratione ad honesti erigimur & extollimur studium ut tēperantes. Atque hi quidem sunt extremi duo habitus inter se contrarij, qui prioribus illis duobus animalis motibus proportione respōdent. Inter hos

autem, duo quidam medij inueniuntur, quorum alter assimilis est per accliuem locum ascensui, quod ut ibi animalis impetus ponderis & grauitatis naturam exuperans, uiolenter eam sursum agit, ita & hic ratio affectum grauantem & ad inferiora retrahentem, ad uirtutem & honestatem attollere conetur: alter uerò per decliuem locum decursui. Nam ut in eo grauitas naturalis pulsum animalem superat, ita & in hac affectione, rationi affectus præponderat. Prioris generis Continentia est & Tolerantia: posterioris Incontinentia & Mollities. Atque ex his quidem, quæ partim hoc loco à nobis sunt dicta, partim uerò & superius, ubi has affectiones, aëris quibusdam statibus contulimus, satis, ut arbitror, earum natura intelligi potest, & ex quibus notionibus huiusmodi ipsis tribuat autor, cuiusmodi hic ab ipso descripta uidemus: quorum illud quidem, quòd editiori circa collem loco ponantur, quam uim habeat, explicatū iam est. Cur autem in petra magna, edita, & undique prærupta insistere fingantur, non difficile ex ijs, quæ iam dicta sunt, animaduertere. Horum enim partim rationis in his constitutionibus præualentis firmamentum & robur denotat, partim affectus repugnantis præfractam naturam. Luculenta uerò facie & bona corporis habitudine, idcirco eas facit, quòd ad animi sanitatem uergentes & proficientes sint animi constitutiones. Manus autem quamobrem tam prompte extēdant, paulo pòst ab autore explicabitur. Cæterū has appellari inquit, alteram

quidem

*quidem Cōtinentiam, alteram uero Tolerantiam: eſſe autem ipſas germanas ſorores. quod cur ab autore dicatur, ſic optimè cognouerimus. Nam primùm eius animæ partis, quam Græci τὸ παθητικὸν nominant, affectiones quædam ſunt ambæ: deinde inchoata uirtus utraq; eſt: quare ſi uirtutes omnes rectè ſorores eſſe dicuntur, & hæ non malè hoc nomine gaudebunt. Ad hæc eiuſdem ortus ſunt ambæ, cùm circa primum puerilem ſenſum, qui ex Platonis autoritate uoluptas eſt & dolor, uerſentur. Eſt autē Continentia, de qua nunc agimus, quæq; abſolutè dicitur, non autem cum adiunctione (nam qua ratione Incontinentia ſuperius eſt diuiſa, eadem & Continentia diſtinguatur) laudabilis quædam cupidineæ animæ partis affectio uirtusq; inchoata, qua in malas ruentem uoluptates cupiditatem ratione cohibemus. Definiunt autem Stoici eam nonnihil ſecus, atque nos ex Peripateticorum ſententia nunc fecimus, eam eſſe dicentes, διάθεσιν ἀνυπέρβατον τῶν κατὰ τὸν ὀρθὸν λόγον. rurſus autem eidem alijs etiam modis, nunc quidem κακῶν ἀποχὴν, nunc uero ἕξιν ἀήττητον ἡδονῶν ipſam facientes. quas quidem omnes notiones ſi coniungamus, exquiſitius ipſius naturam perceperimus. Tolerantia uerò, quam meo quidem iudicio malè nonnulli conſtantiam uertunt, cùm hæc εὐστάθεια Græcis dicatur, illa καρτερία: cū qua aut eandem, aut certe non multum diuerſam affectionem eſſe exiſtimo, quam Græci ὑπομονὴν, Latini patientiam appellant, à Stoicorum nonnullis hoc modo definitur, καρτερία*

ἐστὶν, ἐπιστήμη ἢ ἕξις ὧν ἐμμενετέον, καὶ μὴ, καὶ οὐδετέρων. *ab alijs uerò & rectius sic,* καρτερία ἐστὶν δύναμις ἐμμενητικὴ πόνοις, καὶ ὑπομενητικὴ λύπης ἕνεκα τοῦ καλοῦ. *Et hanc mihi definitionem aliquo modo expreßiße uidetur Cicero libro secundo de Inuentione: ubi patientiam, honestatis, aut utilitatis causa, rerum arduarum ac difficilium uoluntariam ac diuturnam perpeßionem eße dicit. Ex quibus haud difficile est & id colligere, quòd libro septimo Moralium ad Nicomachum inquit Aristoteles. Tolerantiam in resistendo, Continentiam uerò in superando consistere. Et cùm diuersa sint resistere & superare, perinde ut non uinci & uincere, sitq; hoc illo præstantius, magis etiam continentiam quàm tolerantiam eße expetendam. Sed his explicatis ad autorem reuertamur, & cur tam promptè manus extendant, audiamus.*

Atenim quidnam manus tam promptè extendunt? Hortantur, inquit, eos, qui ad hunc locum accedunt, ut confidant, minimeq; timore aut ignauia præpediti ab instituto desistant, paululum adhuc ipsis obdurandum esse dicentes: deinde in pulchram eos uiam peruenturos.

*Nihil est quod his explicādis diutius inhæreamus, cùm ex ijs quæ à nobis de his affectionibus sunt dicta, satis hæc intelligi poßint. Et alioqui tam aperta autoris hîc est oratio, ut interpretationis & enarrationis nō indigeat. Nam quòd inchoatæ hæ uirtutes, etsi, ut dictum est, eius, quod rationis in nobis est expers, sunt, à ratione tamen eam, quam habent, absolutionem sortiantur, & quodammodo substan-*

*stantiam & formam, idcirco nunc pro ratione sumuntur, quæ cum affectibus, tanquam diuersum quid cum diuerso agit. Quare illæ quidem superiori consistere finguntur loco, hi inferiori: planeque secundùm quam notionem apud Homerum dicitur,*

*Pectora percutiens, dictis cor comprimit hisce:*
*Cor tolera, quondam multo grauiora tulisti.*

*secundùm eandem & hæc apud autorem nostrum accipere oportet.*

Atqui cum ad petram peruenerint, quanam ratione ascendunt? Neque enim ullam uideo, quæ ad ipsam pertineat uiam. Ipsæ à præcipitio ad eos descendunt, sursumque ad se trahunt. Deinde ipsos interquiescere iubent: ac paulo pòst robur addunt & fidentiam, & promittunt se eos ad Veram disciplinã deducturas, uiamque ipsis monstrant, quàm sit pulchra, æquabilis, & expedita, & ab omni malo expurgata, ut uides. Ita per Iouem apparet.

*Neque quæ hic habentur obscura admodum sunt, si quis, quæ superius sunt dicta, satis est assecutus. Nam affectus à ratione attrahi & duci debere ostendit, si quidem ad sui absolutionem perduci debeant. Neque enim ipsis huc uia patet, aut ullo modo eò peruenire possunt, nisi ratio se demittat ad eos erigendos & extollendos. Atque hoc est, quod ipsas à præcipitio descendere facit, eosque sursum ad se trahere. Quod uerò ipsos interquiescere iubeant, ac paulo pòst robur addat & fidentiam, eo nihil aliud significatur, quàm quod deuictis & subiugatis affectibus, quies aliqua*

in animo oriatur: sed tamen nondum plena & perfecta, quòd oporteat & erroribus, qui adhuc restant, mederi. Videtur autem robur, ad cupidineam animæ partem referri, quod hoc ipsi potissimum sit opus, utpote quæ aliàs à uoluptatibus eneruari soleat: fidetia uerò, ad animosam, quam malis minimè cedere oportet, sed contrà ardentius ire. Et hactenus quidem ea est explicata uiæ pars, quæ laboriosa est atque difficilis. Consistit autem in hoc, ut perturbationes ex animo tollantur, & affectus rationi subyciantur. Nam cùm duo sint, quæ animum infestant mala, perturbatio & error, illud πάθος, hoc ἁμάρτημα Græci uocant (est autem πάθος, ut nunc accipitur, τινὸς ἀλόγου ἐν ἡμῖν δυνάμεως ἀπειθούσης τῷ λόγῳ πλημμελὴς κίνησις, id est, cuiusdam rationis expertis in nobis facultatis, quæ rationi non obtemperat, exorbitãs motus: ἁμάρτημα uerò, τοῦ λογιστικοῦ ἐν τῷ κρίνειν σφάλμα, id est, æstimatricis in iudicando lapsus, seu ut aly definiunt, quod tamen eôdem recidit, ἡ τοῦ ἀληθοῦς ἀποτυχία, id est, ut quàm proximè reddamus, ueri frustratio) utroque certè animum liberari oportet, ut ad uirtutem & beatitudinem sibi conuenientem peruenire possit. Et quoniã perturbationes iudicium impediunt, mentiq; ac rationi uelut nebulas offundunt, has prius resecandas esse merito censuit autor. Quare & de eo etiam prius egit. Et cùm hoc ipsum admodum sit, ut dictum est, arduum & difficile, hactenus etiam uiam talem subiecit. Nunc autem quod ad Veram disciplinam eius est reliquum, id pulchrum facit & æqua-

*bile & expeditum, cuius nimirum causa ab ipso subijci uidetur, cùm inquit, & ab omni malo expurgata. Nam discussis affectibus & perturbationibus, tanquam nebulis quibusdam, non difficile certè fuerit animum ab errore liberare, & ad ueritatis cognitionem adducere. Sed priusquam ad alteram illam uiæ partem progrediamur, cuiusdam Epicteti præcepti meminisse uidetur non inopportunum, idq; huic accliui ascensuq; difficili uiæ parti colophonem imposuisse, quod uniuersam eius rationem duobus uerbis continere mihi uidetur: quæ ego profectò digna existimem, non ut omnibus parietibus, omnibus columnis inscribantur, omnibus inscalpantur anulis, sed potius omnium in animis imprimantur, omnium in moribus & uita eluceant. Referuntur autem hæc à Gellio Noctium Atticarum libro decimoseptimo, cap. decimonono, cuius hic uerba subijciam. Præterea idem ille Epictetus, quod ex eodem Phauorino audiuimus, solitus dicere est, duo esse uitia multo omnium grauissima ac teterrima, intolerantiam, & incontinentiam: cùm aut iniurias, quæ sunt ferendæ, non toleramus, neq; ferimus: aut à quibus rebus uoluptatibusq; nos tenere debemus, non tenemus. Itaq;, inquit, si quis hæc duo uerba cordi habeat, eaq; sibi imperando atque obseruãdo curet, is erit pleraq; impeccabilis, uitamq; uiuet tranquillissimam. Verba duo hæc dicebat, ἀνέχου καὶ ἀπέχου. quorum illo tollerantiam, hoc cõtinentiam præcipit.*

Vides'ne igitur, inquit, ante lucum illum locum quendam,

dam, qui amoenus esse uidetur, prati instar nitidus & uiridis, luminéque plurimo illustratus? Maximè. Atqui animaduertis & in prati medio ambitum alium, & portam aliam. Sic est. sed quo nam pacto hic locus appellatur? Beatorum, inquit, domicilium. Hic enim uirtutes omnes uersantur, atque ipsa adeo beatitudo. Sit sanè, inquam ego, peramoenus hic locus.

*Si usquam alibi, illud à Platone usurpatum, libro de Legibus sexto, locum habet, certè hic uel maximè quadrabit. Principium enim, inquit, dicitur id quidem dimidium totius, in prouerbijs, negotij, ac bene adeo coepisse, omnes passim in laude ponimus. At uerò id, ut mihi uidetur, tum plus est quàm dimidium, tum nemo, rectè id institutum, satis pro dignitate laudibus efferat. Nam cùm alterius illius uiae partis molestias & difficultates superauerimus, quae reliqua ad Ueram disciplinam restat uia, non solum breuis esse uidetur, sed etiam, ut superius audiuimus, pulchra, aequabilis & expedita, & ab omni malo expurgata. Neque uerò id mirum uideatur. Qui enim eò peruenit, ut cohibere motus animi turbatos rationis freno possit, & consilio potius ac iudicio, quàm animi impetu & perturbatione regi, adhaec ita in honesti studio animum obfirmarit, ut huius comparandi gratia, omnia sustinere sit paratus, & aspera quaeuis perferre,*

*-aduersis rerum immersabilis undis, ut inquit ille,*

*huic ego omnia procliuia deinceps existimem, tum quòd uolenti nihil sit, ut dicitur, difficile, tum quòd labor assuetu-*

dine

*dine in uoluptatem conuertatur, maximeq; tanti præmij expectatione proposita. Videamus igitur quomodo tum uiam hanc, tum locum, ubi Vera consistit disciplina, noster exprimat autor. Neq; enim hanc aspectu difficilem atque arduam, ut priorem illam, facit, sed amœnum locum hic subijcit, & ante lucum, prati instar nitidum & uiridem, lumineq; plurimo illustratum, quæ omnia conuenienter huic loco attribui uidentur. Nam qui nunc primum ex densissima illa & profundissima perturbationum caligine emerserunt, non eos statim ad clarissimam lucem transferre conuenit, neq; enim tantum splendoris appulsum imbecilliores adhuc animi oculi ferre possent, sed ad locum, in quo cum tenebris lux æquabiliter temperata mediū quoddam cōstituat. Talis autem est, qui hîc describitur, in quo & umbræ non parum est, luci illius ratione, & luminis etiam multum, ut autoris uerba indicant. Cæterum quòd locum hunc prati instar nitidū & uiridem, sic enim* λειμωνοειδῆ *interpretor, esse fingit, eo non solum, quæ per pratum hoc ad Veram disciplinam pertinet, uiam planam & expeditam esse, ut superius est dictum, innuere uult: sed theorematum etiam hic suborientium cùm uarietatem, tum pulchritudinem, quæ non solum animum mirificè delectet ac recreent, sed etiam eius quoddam pabulum sint, nonnulla uerò & medicinæ cuiusdam usum præstent. At de uia quidem, ac loco, per quem uia fertur, hactenus. Quod uero deinceps sequitur, eò spectat, ut quo loco Vera consistat di*

*sciplina eiusq́ filiæ cognoscamus. Primũ igitur aliũ quempiam ambitum, tertium nimirum, esse dicit, & eius ambitus aliam itidem portam: de quibus, absoluto de Vera disciplina sermone, paulo pòst, per se & propriè aget autor. Nunc autem in hoc tantum ipsorum mentionem facit, ut Veræ disciplinæ locus illustrius describatur. Hunc autem locum, beatorum, inquit, esse domicilium: quod ita se habere inferius exquisitè declarabitur. quanquam & nunc ali quo modo id probet, cùm inquit: Hic enim uirtutes omnes uersantur, atque ipsa adeo Beatitudo. Sed quoniam, ut diximus, non ad hoc, ut eum nunc per se describat ambitum, ipsius mentionem fecit, ut nec portæ, idcirco statim, cuius gratia hæc ab ipso sint adducta ostendit, & Veræ disciplinæ descriptionem subijcit.*

Igitur ad portam mulierem quandam, inquit, esse uides pulchram, sedato uultu, media uerò, confirmata, ac probata iam ætate: quæ uestitu simplici & ornatu utitur, insistitq́ non in rotundo lapide, sed quadrato, tutè ac firmè sito: & cum hac aliæ sunt duæ, quæ filiæ quædam eius esse uidentur. Ita se rem habere prorsus apparet. Harum itaque quæ in medio est, Disciplina est, illa Veritas, hæc Persuasio.

*Extra tertium ambitum ad portam Veram disciplinam consistere facit. Eius autem rei causam, statim ab ipso autore cognoscemus. Inquit autem eam mulierem pulchram esse, non fucata, sed uera forma commendabilem, quandoquidem, ut superius diximus,* σωφρονισμὸς τῆς ἐστιν ἀμαθίας

θίας ἀπηλλακτικός, καὶ κακίας ἁπάσης ἐκκαθαρτικός. *Insuper autem sedato uultu, sic enim* καθεστηκεῖα τὸ πρόσωπον *uerto, quòd animi perturbationes, quæ iudicium impediunt, hic iam subsederint. Media uerò confirmata, ac probata iam ætate (quam Græci* μέσην καὶ κεκριμένην ἡλικίαν *nominant:* μέσην *quidem, quòd æqualiter ab utroque extremorum absit:* κεκριμένην *uero,* ὡς ἐγνωσμένην, *id est, exploratæ iam probitatis, cui ea opponitur ætas, quam libro Actionũ in C. Verrem septimo, Cicero lubricam & incertam uocat, eoq́ nos hanc confirmatam ac probatam minimè uertere dubitauimus) quòd hac demũ ad mentem ac sobrietatẽ quandam homines uerè redire usuueniat, potißimumq́ commodã nactos institutionem: cuius rei causam his uerbis nobis in Timæo explicat Plato:* ὅταν δὲ τὸ τῆς αὔξης καὶ τροφῆς ἔλαττον ἐπίῃ ῥεῦμα, πάλιν δ' αἱ περίοδοι λαμβανόμεναι γαλήνης, τὴν αὐτῶν ὁδὸν ἴωσι, καὶ καθιστῶνται μᾶλλον ἐπιόντος τοῦ χρόνου, τότε ἤδη πρὸς τὸ κατὰ φύσιν ἰόντων σχῆμα, ἑκάστων τῶν κύκλων αἱ περιφοραὶ κατευθυνόμεναι, τότε θάτερον καὶ τὸ ταυτὸ προσαγορεύουσαι κατ' ὀρθὸν, ἔμφρονα τὸν ἔχοντα αὐτὰς γιγνόμενον ἀποτελοῦσιν. ἂν μὲν οὖν καὶ συνεπιλαμβάνηταί τις ὀρθὴ τροφὴ παιδεύσεως, ὁλόκληρος ὑγιής τε παντελῶς τὴν μεγίστην ἀποφυγὼν νόσον γίγνεται. *id est, Cùm uero incrementi ac nutrimenti minor inuadat fluctus, rursus autem circuitus tranquillitate recuperata, uiam suam ineant, sedenturq́ magis procedente tempore, tum denique ad eam, quæ ipsis secundùm naturam est, figuram recurrentium quorumlibet circulorum conuersiones directæ, & tum diuersum, tum idem rectè appellantes, cordatum, qui eas habet, effectum reddunt. Si*

*quidem igitur recta quæpiam educatio disciplinaq́ accesse rit, absolutus prorsusq́ sanus maximo ereptus morbo effici tur. Quibus nihil aliud significare uult Plato, quàm quod, ut nimia & redundans humiditas amentiæ est causa, sic econtra siccior corporis constitutio prudentiores nos reddat, quæ tum demum nobis contingit, cùm corporis cessat incrementum, & copiosius, quod incrementi ratione adhibendum erat, nutrimentum. Tum enim naturalis facultatis alluuione & luxurie illa cessante, quæ prius menti & rationi impedimento erat, pacatior & trãquillior animus redditur, & rationis participes facultates earumq́ actiones & motus compositè sese proferre incipiunt, & in dies procedente tempore sedatiores constantioresq́ euadunt. Quo fit ut ad naturæ suæ absolutionem proficientibus animi facultatibus, mentis agitatio & motus directè procedat, & quid in rebus idẽ, quid diuersum: quid simile, quid dissimile: quid commune, quid proprium rectè discernat: in summa congruentes rebus tum affirmationes, tum negationes adferat, & sic hominem prudentem reddat: quod potissimum fieri solet recta educatione & disciplina accedente. Nam, ut agrum fertilem alioqui, si negligatur, neque colatur ac conseratur, degenerare uidemus, nec fruges fructusq́ legitimos proferre: ita nec ingenium, quantumuis excellens, nisi educatione cõmoda subactum, & doctrinæ semine fœtum, quicquam ex se præclari gignere posse animaduertimus. Itaque ad eam, quæ quod naturæ ui constet, natu-*

*naturalis non malè ad prudentiam uia appelletur, illa insuper ciuilis educatio institutioq; adiungenda fuerit, quæ naturalem hanc aptitudinem & propensionem adiuuet, & ad absolutionem suam perducat: quæ, quoniam huic ætati mediæ & probatæ sui potissimum usum reponit, eiusdem etiam ab autore ætatis esse fingitur. Cæterùm uestitu simplici & ornatu hanc uti inquit, eius ueram & syncera̅m, minimeq; simulatam & fucatam indicans naturã. Lapidi autem quadrato, & non, ut fortunam rotundo, eam insistere cur faciat, dicetur quidem & ab ipso postea: sed tamen non incommodum fuerit & hîc aliquid de eo disseruisse. Videtur igitur mihi autor Fortunæ quodammodo Veram disciplinam opposuisse, perinde ut Galenus in Exhortatione ad artes, Mercurium. Itaque quæ Veræ hîc disciplinæ tribuit autor, eadem & Galenus Mercurio. Inquit enim de ipso hoc modo:* νεάνισκος ἐστὶν ὡραῖος, οὐκ ἐπίθετον, οὐδὲ κομμωτικὸν ἔχων κάλλος, ἀλλ' εὐθὺς ὥστε συνεμφαίνεσθαι τὴν τῆς ψυχῆς ἀρετὴν δι' αὐτοῦ. ἐστὶ δὲ φαιδρὸς μὲν τὰς ὄψεις, δέδορκε δὲ δριμὺ, καὶ ἡ βάσις τὸ πάντων σχημάτων ἑδραιότατόν τε καὶ ἀμεταπτωτότατον ἔχει τὸν κύβον. *id est, Adolescens est formosus, nõ ascitam neque fucatam obtinens pulchritudinem: sed ut statim animi uirtus in ipsa eluceat. Est autẽ tum luculento aspectu, tum uisu acuto: basisq; ipsi subiecta est, quæ figura est prædita omnium firmissima maximeq; immutabili, cubo nimirum. Ex quibus intelligere haud difficile est, quòd ut fortunæ, rei quàm maximè lubricæ & incertæ, sphæricam superius basim subiecit, eius instabilitatem & incõstantiam*

notare uolens, ita & hic Veræ disciplinæ, lapidē quadratum tutè ac firmè situm, ut ex cubica hac figura, eius firmitatem, constantem, & perpetuam naturam intelligamus. Sed de hoc, ut dictū est, ipse autor statim aget. Nunc id inspiciamus, cur duas ipsi filias esse dicat, Veritatem & Persuasionem. Sunt igitur nonnulli, qui Veræ disciplinæ proprium & peculiare esse asserant, aut uerè demonstrare, aut apparenter (ut ipsi loquuntur) suadere, quæ docet: eoq; tum Veritatem, tum Persuasionē, ueluti filias, ipsam comitari. Sed hæc nobis minime probatur opinio. Neque enim aut rhetoricam ad Veram disciplinam pertinere arbitramur, multo autem minus Sophisticā: aut de ea nunc agi persuasionis specie, quæ rhetorices, ut superius est tradi tum, est finis, sed de altera illa potius, quæ firma est & scien tiæ coniuncta: quam parit quidem ac profert Vera discipli na, non rhetorica, tanquam obstetrice, ad hoc usa, sed uel demonstratiua methodo, uel dialectica, ea nimirum parte eaq; ratione, qua ad philosophicas scientias ab Aristotele, libro primo Topic. utilis esse dicitur. Nam quòd ad Veram disciplinam demonstratiua pertineat methodus, idipsum arbitror non longa probatione indigere, cùm manifestè uideamus illi ab autore hoc tribui, ut & Veritatis sit procreatrix, & intrò nos ad scientiam mittat, quod non nisi demonstratiuæ methodi præsidio, ipsam facere posse, manifestum est. Cæterùm cùm demonstratio, alia quidem absolutè dicatur, quæ ab ipsa penitus substantia & definitionibus,

*tionibus, & omnino prioribus & causis tum conclusionis, tum rei, probationes suas ducit: alia uerò cum adiunctione, quam Græci τεκμηριώδη appellant, quod ex posterioribus & causatis, ut quis dixerit, quæq; cum uniuscuiusque rei substantia indissolubili nexu cohærent, concludere soleat: eam quæ ex posteriore hoc probationis genere in animo nostro oritur affectio, persuasionem uocat author: quæ uerò ex priori, ueritatem. Quare si quidem utranque hanc demonstrationem, eiusdem esse methodi quis statuat, ut sanè faciunt Peripateticorum plurimi, tum demonstratiua methodo obstetrice ad utramque filiam pariendam, Veram disciplinam uti censendum est. Si uerò, ut alij nonnulli sentiunt, quorum de numero est & Proclus, alia quidem & prior probationis forma, ad demonstratiuam pertineat methodum: altera uerò, posterior nimirū, ad dialecticam, tum illius quidem facultatis ope Veritatem, huius autem Persuasionem ipsam proferre, existimare debemus. Cæterùm siue hoc modo, siue illo res se habeat, neque enim hoc loco id nunc discutere propositum est, illud certè ignorare non debemus, quæ persuasionis huius, qua de nunc agimus, sunt causæ, probationes semper suum obtinere firmamentum & necessitatem, quatenus huius quælibet materia capax est, ut si non demonstrationes sint appellandæ, at certè quàm proximè ad earum naturam accedat. Sed his explicatis ad ea, quæ apud autorem sequuntur pergamus.*

Sed quid'nam in quadrato lapide ipsa insistit? Id

indicio est, inquit, quæ ad ipsam pertinet uiam accedentibus tutam esse ac stabilem, eorumque quæ ab ea dantur, donationem accipientibus securam esse.

*Si quis quæ superius de Fortuna sunt dicta, rectè est assecutus, is hæc uel per se intelligat. Nam & eam, quæ ad ipsam pertinet uiam, minime lubricam esse, & casibus, quas ἐκπτώσεις Græci nominant, obnoxiam, sed tutam ac stabilem inquit, ut quæ demonstrationis ui septa & munita est: & quæ ab ipsa proficiscuntur dona ac munera securæ perceptionis esse & stabilis, non autem ut Fortunæ incerta & lubrica, quibusque tuto fidere nequeas: quæ qualia sint, statim subijcit autor.*

Et quænam tandem sunt, quæ hæc donat? Fidentia, inquit, & Securitas. Atenim hæc quænam sunt? Scientia, inquit, qua fit, ut nihil duri & acerbi in hac uita patiamur. Quàm præclara, inquam hercule hæc sunt munera.

*Quæ à Vera disciplina dantur munera, ea primò quidem duo facere uidetur: statim autem postea in unum contrahere. Unde, si, quod mihi uidetur, dicere debeam, non hoc loco θάρσος perinde ut superius accipere oportet, sed pro εὐθυμία seu εὐψυχία, ut illud & ἀφοβία, prioris & præcedentis quædam sit epexegesis. Inquit autem huiusmodi tum animi tranquillitatem, tum securitatem, Scientiam esse, qua fit, ut nihil duri & acerbi in hac uita patiamur, quæ mihi definitio partim Stoica esse, partim Socratica uidetur. Stoica quidem, quâ, ἀπάθειαν quandam inuehere uidetur. Socratica uero, quâ, quæ uirtutis quandam speciem obti-*

nent,

*nent, scientias esse statuit. Est autem huius definitionis hæc sententia, ut tranquillitatem & securitatem esse intelligamus, quandam animi præparationem, persuasionem, & obfirmationem; id enim scientiam appellare uidetur, qua & facile omnia sustineamus aduersa in nullo ipsis concedentes, & in nobis ipsis simus toti teretes atque rotundi, ut Horatij uerbis utar,*

*Externi ne quid ualeat per leue morari,*
*In quos manca ruat semper fortuna.*

*In summa huc tota illi spectat orationis uis, ut commentatio quæpiam & meditatio imperturbationis (nam quid obstat quominus sic ἀπάθειαν reddamus?) sit, quam nunc securitatem ac trãquillitatem describit, cuius pars est aliqua, ipsa doloris & ægritudinis uacuitas. Atque sic quidem intellecta definitio, nihil omnino habeat incommodi, cùm si in propria significatione scientiam hic accipiamus, multa obijci posse uideantur, quæ hoc loco adferre & excutere minimè necessarium esse duxi.*

Sed quamobrem tandem extra ambitũ hoc modo consistit? Vt accedentes, inquit, curet, & purgatoriam ipsis uim potandam porrigat. Deinde cùm purgati fuerint, sic ad Virtutes eos introducit.

*Quam ob causam extra tertium ambitum Vera consistat disciplina, primum quidem simpliciter exponit: deinde uerò & adhibita quadam collatione, quod Hospes nondum intellexerat, cuiusmodi sit clarius explicat. Inquit igitur, iccirco extra tertium ambitum ipsam consistere, ut*

*accedentes curet, ipsisq; uim purgatoriam potandam exhibeat, quòd nefas sit aliquem in tertium ambitum ingredi, qui non probè tum à uitijs, tum à perturbationibus omnibus sit expurgatus. Est enim hic locus, ut superius etiam audiuimus, beatorum domicilium, & ubi absolutæ perfectæq; uersantur Virtutes cum ipsa adeo Beatitudine. Atque hoc primum ipsius officium esse uidetur: secundum autem, ipsos iam purgatos, sic ad Virtutes introducere. Sed quoniam breuius hæc dicta, obscuriora sunt, eam ob causam Hospitem hic interrogantem facit.*

Quónam pacto, inquam ego? Neq; enim intelligo. At intelliges, inquit. Quemadmodum si quis graui morbo laboraret, medico certè adhibito, purgationibus prius omnia morbifica expelleret: ac sic deinceps ipsum medicus ad uirium recuperationem & sanitatem perduceret: si uerò minus medici præceptis pareret & obediret, merito ab ipso repulsus, ui morbi interiret. Hæc, inquã ego, intelligo. Eodem etiam modo, inquit, & ad Disciplinam cùm quis accedat, ipsum curat, & facultate sua imbuit, ut expurget prius eijciatq; omnia mala, quibus accedens onerabatur.

*Qui artis medicæ periti sunt: ijs, quæ hic ab autore dicuntur, omnia intelligere haud difficile: qui uerò eandem ignorant, non perinde commodè hæc assequi possunt. Quare ut & ijs consulatur, diuisionem artis medicæ quandam nostræ præmittemus explicationi, quæ ipsi non parum luminis est allatura. Cùm igitur medicina effectiuarum artium*

*tium ex numero ſit, harumq́ ad eam ſpeciem pertineat, quæ Græcis ἐπανορθωτικὴ dicitur, Latinè inſtauratiuam appellare poſſumus, ſtatim in duas diuiditur partes, quarum alterius, magnos lapſus & à naturali ſtatu receſſus corrigere & emẽdare eſt, uocaturq́ à Græcis θεραπευτικὴ, id eſt, ut nonnulli uertunt, curatiua: alterius uerò, paruos, quam eidem, quòd cautionis ſit, φυλακτικὴν nominant. Harũ duarum partium, prior in tres diuiditur ſpecies, unam quæ uictus ratione, alteram quæ medicamentis, tertiam quæ manu medetur. Prima διαιτητικὴ, ſecunda φαρμακευτικὴ, tertia χειρουργικὴ Græcis appellatur. Poſterior uerò, ſecũdùm nonnullos, in tres itidem ſecatur differentias: ſecundùm alios, in quatuor. Nam aut, qui ſummè ac perfectè ſanus eſt, excipiẽs, in hoc ſtatu ipſum cõſeruat, eoq́ id Græci τὸ συντηρητικὸν μέρος appellant: aut morbo defunctum recreat, ἀναληπτικὸν à nonnullis nominatum: aut partim quidem conſeruat, partim uerò recreat, inter priores, tanquã extremas quaſdam ſpecies, media, quæ peculiari quadam ratione à medicis ὑγιεινὴ dicitur. Atque hoc quidem modo in tres diuiditur partes. Qui uerò in quatuor poſteriorem hanc partem genera diuidendã putant, hi tribus iam dictis τὸ προφυλακτικὸν addunt, idq́ altera ex parte reſpondere uolunt ei, quod morbo defunctum recreat, ut hoc quidem circa illud corpus neutrum à medicis appellatum uerſetur, quod à morbo ad ſanitatẽ regreditur, illud uerò, quod à ſanitate in morbum defertur. Videntur autem mihi tum qui in tria, tum*

qui in quatuor genera sectionem faciunt, non male senti-
re, quod illi quidē τὸ προφυλακτικὸν ad ἀναληπτικὸν idcirco con-
trahendum putent, quòd re & subiecto cum eo sit idem: hi
uerò eam ob causam alterum ab altero separent, quòd ra-
tione sint diuersa, ut ascensus & descensus in scala. Ac di
uisio quidem artis medicæ, cuius nunc indigemus, huiusmo
di est. Aßumit autem ex hac diuisione noster autor tres
partes. Nam ex priori tripartito genere τὸ φαρμακευτικόν.
Ex posteriori uerò τὸ ἀναληπτικὸν, καὶ ὑγιεινόν. Inquit igitur,
quod, ut in corpore primùm morbum, quæq; ipsius commit
tendi uim obtinent, tolli oportet, quod nunc eius partis præ
sidio, quæ medicamentis & purgationibus medetur, fieri
statuit: deinde morbo iam defunctum recreari & nutri-
mento conuenienti uires in ipso collapsas refici, quod prius
certe fieri nō poterat, quòd, ut autor est Hippocrates, Non
pura corpora, quo plus nutrias, eo magis lædas: atque ita
demum sanitati plenè restitui, in eaq; conseruari: quorum
illud τοῦ ἀναληπτικοῦ, hoc ὑγιεινοῦ est: ita & in animo fieri neces-
se sit, eoq; Disciplinam eos, qui ad ipsam accedunt, non sta-
tim intro ad Virtutes & Beatitudinem mittere, ut ani-
mum colligant & recreent, & sic absolutionem perfectio-
nemq; sibi conuenientem recipiant: sed prius ipsos ab omni-
bus uitijs & malis expurgare, ut hac ratione præparatis,
utiliter quæ animum nutriant ac reficiant, instillari pos-
sint, quem & in spiritualibus ordinem seruandum eße, no-
tauit Diuus Petrus Epi. primæ. cap. xx. ubi non nisi depo-
sita

*sita prius omni uitiositate, dolo, hypocrisi, inuidia & obtrectatione, lac illud rationale, doli expers, tanquam modo natis infantibus adhibendum censet, ut in ipso augeantur, quòd alioqui periculum sit, ne non solum utilitatem hinc nullam capiant, sed etiam grauissimè lædantur. Nam, ut inquit Horatius,*

*Syncerum est nisi uas, quodcunque infundis acescit.*

*Iam uerò, ut illic si quis medico obtemperat, iam dicta ratione sanitati restituitur: sin minus, non immerito à medico relictus & repulsus morbi ui oppressus interit: sic & hic usuuenire consentaneum est. Neque enim alia ulla ratione fieri potest, nisi hac iam dicta, ut ad ueram uirtutem & beatitudinem perueniamus. Quare minimè nos fallere debemus, sed illius perpetuò meminisse oraculi, quo iubemur* μὴ ὑπερβάθμιον πόδα πέμπειν, *& primò omnium uitia & stultitiam deponere satagere, rectè ab Horatio dictum esse existimantes,*

*Virtus est, uitium fugere: & sapientia prima,*
*Stultitia caruisse.*

*Atqui si hic quidem est modus, hæc uia, ut & mens atque ratio recta ostendit, experientia comprobat, & quotquot ullo unquam tempore legitimè philosophati sunt attestantur: ad hæc autem & sacræ ac diuino instinctu nobis traditæ literæ nusquam non docent, adeo ut eius etiam, quæ nobis per Christum, qui uerissima est uera disciplina, & medicus animæ præstantissimus, cui conuenientius longè an-*

telucanas nostras preces, quàm Aesculapio gallũ immolemus, iustificatio contingit, alteram & priorem partem, peccati ablationem, ut superius est dictum, statuant, animiq; repurgationem: perpetuus insuper Ecclesiæ Catholicæ firmauit consensus, quánãm tãdem horribili animi cæcitate affecti sunt nonnulli nostri temporis dogmatistæ, reipsa ἄδοξοι, qui in ijs quidem qui renascuntur, non totum id, quod nouo iustitiæ lumini obstat, omnesq; ipsi aditus obstruit & præcludit, ueram nimirum & propriam peccati naturã ac rationẽ tolli statuunt: in peccatũ autem post acceptam iustificationis gratiã lapsis necessariũ pœnitentiæ sacramentum adimunt, qui miseris nobis ad iustitiam, peccati ui deperditam, recuperandam, ut Græcorum habet prouerbiũ, ὁ δεύτερός ἐστι πλοῦς. Dolendum & maximè quidem dolendum est, inquã, eô inconsideratissimæ ac dementissimæ temeritatis peruenisse non paucos, ut in suam & aliorum complurium præsentissimam perniciem, huiusmodi nouare in animum inducant, quæ mihi sanè adeo absurda uidentur, ut mirandum maximè putem, ullis hæc præterquam Butalionibus, Corœbis, Melitidibus, & id genus stolidissimis hominibus approbari posse. Nam quid quæso absurdius tandem dici potest, quàm in renatis & iustificatis manere peccatum? Neque enim id aliter dici uidetur, quàm si quis sanitati quidem restitutum aliquem esse diceret, in quo morbus tamen esset aliqua ex parte relictus. Nam ut huius, utpote quæ secum manifestè pugnet, pa-

rum probabilis haberetur oratio, ita & istorum aliena est sententia: quãquam merito omnium mentes aspernentur ac respuant: uidenturq́ adeo mihi dum Christi gloriã amplificare uolunt, ut sanè præ se ferũt, eam etiam imminuere; iiq́ potissimum, qui non solum in renatis remanere peccatum uolunt, sed etiam nõ uerentur subijciendam assertionem, in necessarias, ut ipsi uocant, propositiones includere. Est autem ea talis: Qui iustificationẽ nostri apud deum, dicunt esse iustitiæ, qua homines iusta agunt, collationem, & prouectionem, ij contra phrasim scripturarum omnino Canonicarum loquuntur: quæ per iustificationem intelligit, hominis, uel propter Christum in gratiam filiorum dei acceptationem, uel propter bona opera eius collaudationem. Cæterùm quod dico, uerum esse clarissimè docebimus, si prius tamen quàm multis hæc propositio modis absurda sit & falsa commonstrauerimus. Videtur autem hæc callida instituta esse propositio. Nam quòd apertè frustra antè petebatur, id nunc cuniculis oppugnat. Cùm enim Catholicorum sit sententia longè omnium uerissima, iustitiam, quæ per Christum nobis offertur, non solum esse peccatorum remissionem, & diuinæ gratiæ reconciliationem: sed etiam, sine qua hæc obtineri nequit, interioris hominis renouationem & instaurationem, huiusq́ animi habitus, seu affectionis dicere mauis, conseruationem & incrementum, quæ necessario præcedat oportet, ut & prius est traditum, uitiositatis expurgatio, & deprauationis ac fœditatis

*tatis turpificati animi amotio, qui nouum hoc doctrinæ genus amplexantur, extremis relictis, intermedia hæc summouere conãtur. Atque id quidem apertè non pauci. Nostra autem propositio, à rei per se contemplatione, in qua autori non magna uictoriæ spes erat sita, ad uocis quandam distinctionem satis callidè & sophisticè nos auocat, & sic quod illo nequit, hoc modo obtenturam se sperat. Negat igitur hominis iustificationem in Canonicis scriptis usurpari pro iustitiæ, qua homines iusta agunt, collatione & prouectione: sed duobus tantùm eam accipi modis, uel pro hominis propter Christum in gratiam filiorum dei acceptatione, uel propter bona opera, eius collaudatione. Quod quidem si recipimus, confectam scilicet iam rem credit, ut iustificatio hominis nihil aliud sit, quàm peccatorum remissio, & diuinæ gratiæ per Christum reconciliatio. Quanquam autem omissa omni, quæ de uocis huius ui & potestate contentio est, hanc ex rebus ipsis confutare opinionem haud difficile esset, quæ certè ad ueritatem inueniendam præstantior est uia, tamen ne quid calumniari possint excellentissimi isti legislatores, non grauabimur de uocis huius ui ac potestate multiplici nõnihil cum ipsis disserere, & utranque ipsis propositionis partem falsam esse ostendere. Nam & quo ipsi negant modo, hanc uocem accipi: & non duo tantum in sacris literis, sed plura significare. Quod igitur & pro iustitiæ qua homines iusta agunt, collatione, id est, interni hominis reparatione, & instaura*

*tione*

tione habitus seu affectionis in nobis inhærentis, quæ spiritus sancti ui in cordibus nostris diffusa bonorum operum actuosa redditur, in sacris literis usurpetur, cùm tota ad Romanos Pauli de hominis iustificatione disputatio argumento est, tum loci in ea non pauci, ut paulo pòst probabimus. Et quòd tota quidem disputatio id manifestè ostendat, quæstione de qua hic agitur proposita statim patebit. Est autem ea, quod nec propositionis nostræ autorem negaturum scio, Quod fundamentum, quæ radix hominis sit iustificationis. Id fidem esse Diuus Paulus probare conatur. Et primò quidem κατὰ διαίρεσιν ἀνατρεπτικῶς hoc modo: Iustificatio hominis, aut ex innatis & insitis ipsi uiribus philosophiæq́ studio, quod Græci & gentiles sunt arbitrati, pendet: aut ex lege, quæ per Mosen tradita est, cui potissimum fidebant Iudæi: aut, ut nos censemus, ex fide. Sed ex priorum duorum neutro. Id enim ex contrario consequentis probat. Ergo ex tertio hoc, fide nimirum. Age igitur hîc consideremus, quid per iustificationem tum in quæstione, tum in argumentatione significetur. Considerabimus autem, atque facile adeo id intelligemus, si quis Græcis & gentilibus Philosophiæ fuerit finis, quem tamen assecuti non sunt, perpenderimus. Certè, si quid ego iudico, nō alius is fuerit, quàm humani animi perfectio. Cùm autem uniuscuiusque perfectio, sua sit & propria uirtus, erit nimirum & hominis perfectio, quæ ipsius propria est uirtus. Quænam autem alia hæc existimanda est, quàm

*ea, quæ uniuersalis iustitia à philosophis appellatur, ut & Plato libro de Rep. primo censere uidetur? Cæterum ut manifestius id pateat, duarum philosophiæ definitionum, quæ ex fine sunt factæ, & ad Platonem referuntur autorem, hic meminisse fuerit non inopportunum. Harum prior, quæ ex Phædone est sumpta, huiusmodi est: Philosophia mortis est commentatio. Posterior ex eiusdem Theæteto, talis: Philosophia est studium quoddam, quo deo similes reddi conamur quoad eius fieri potest. Sed quidnam tandem harum utraque sibi uelit, diligentius cõsideremus, à priori illa exorsi. Videtur igitur mihi, ex ijs, quæ in Platonis Phædone à Socrate disputantur, quòd, cùm homo ex anima constet & corpore, hoc quidem terreno, mortali & caduco, illa uerò cœlesti, diuina & immortali, tum duplex in ipso colligatio, tum duplex itidem solutio inueniatur. Est enim & naturalis quædam colligatio, qua ex anima aptũ pendet corpus, & ab ipsa, ut sic dicã, uiuificatur: & huic opposita naturalis dissolutio, qua corpus ab anima separatur, quæ naturalis hominis mors est. Est & alia quædam uoluntaria colligatio, qua cum corpore copulatur anima, ipsiq; ueluti illigatur & usque adhæret, corpori seruiens eiusq; imperio pressa: cui altera quasi ex parte uoluntaria, respondet dissolutio, qua animum à corpore abducere conamur, & à turpi ista seruitute in libertatẽ asserere, non hercle prætoris uirga, sed longè præstantiori ratione: atque hæc mors dicitur uoluntaria, cuius commentationem, philoso-*

losophiã esse inquit Plato. Nam reuera, ut animus uiuat, hac ipsi prius morte est moriendum. Et prioris quidem definitionis hæc est sententia. Alterius uerò, qua philosophia ὁμοίωσις θεῷ κατὰ τὸ δυνατόν, id est, conformatio & assimilatio deo, quoad eius fieri potest, esse dicitur, ea mens esse uidetur, ut animum iustitia, uirtutibus, & prudentia ornandum censeat, non quidem, ut tales & iusti esse uideamur, sed reuera simus: quod hac demũ ratione nobis cõtingat, ut deo chari & accepti efficiamur, cùm, ut in prouerbio est, ὅμοιον ὁμοίῳ κατ᾽ ἀρετὴν, φίλον, id est, simile simili secundũ uirtutem, amicum sit. Atque ex his quidem definitionibus satis patere arbitror, quid sectati sint philosophi, id nimirũ, quod breuiter mihi complexus uidetur Zaleucus in proœmio legum, his uerbis: ἕκαστον οὖν ἔχειν καὶ παρασκευάζειν δεῖ τὴν αὑτοῦ ψυχὴν πάντων τῶν κακῶν καθαρὰν, ὡς οὐ τιμᾶται θεὸς ὑπ᾽ ἀνθρώπου φαύλου, οὐδὲ θεραπεύεται δαπάναις οὐδὲ τραγῳδίαις τῶν ἀλισκομένων, ἀλλ᾽ ἀρετῇ καὶ προαιρέσει τῶν καλῶν ἔργων καὶ δικαίων. διὸ ἕκαστον δεῖ εἰς δύναμιν ἀγαθὸν εἶναι καὶ πράξει καὶ προαιρέσει, τὸν μέλλοντα ἔσεσθαι θεοφιλῆ. id est, Quemlibet igitur animam suam ab omnibus malis puram habere & efficere oportet, quòd ab homine malo non honoretur deus, neq; colatur sumptibus, nec ludis atque pompis ex rapto institutis, hominis mali instar: sed uirtute, & uoluntate, ac studio bonorum operum & iustorum. Quare unumquemq; tum uita tum animo probum esse oportet, qui deo charus sit futurus. Cæterùm id totum in duobus maxime consistere uidetur, purgatione, & omnis impedimenti amotione, & ad quam cõditi sumus,

mus, dignitatis recuperatione animiq; illuminatione ac perfectione: ad quæ, si quidem uerè obtineri poßint, consequi nec male arbitrabātur, ut deo chari & amici redderemur, quem pura & innocens uita delectat, offendit improba & scelerata. Hanc igitur hominis iustificationē sequuti sunt philosophi. Apostolus autem eam ipsos minimè aßecutos probat ex contrario consequentis, ut superius est dictum. Neque enim dei fauorem & beneuolentiam sibi conciliarunt: sed iram potius & odium incurrerunt, quod inde patere uult Paulus, quòd deinceps sibi relicti, omniq; diuina gratia destituti, in omne flagitiorum & uitiorum genus manifestè sint prolapsi. Neque uerò multum ab his dissimilia contra Iudæos dißerit, quæ nunc huc adferre, minimè neceßarium eße duximus. Atque his quidem, gentilibus inquam & Iudæis sic confutatis, ac reprobatis illorum iustificationis hominis rationibus, ipse suam & uerißimam scienter infert, quæ est per fidem in Christum, qui & uerè ab omnibus peccatorum sordibus animū nostrum repurgauit, & nouo iustitiæ lumine compleuit, ut ex particularibus subijciendis iam locis patebit. Nam quid aliud quæso sibi uult, quod ad quarti capitis finem habetur? Qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Neque enim aliud per hæc significari arbitror, quàm quòd ipsius paßionis merito, tum remißa, tum etiā penitus ablata sint nostra peccata: resurrectionis autem efficacia, Christi iustitiæ facti simus partici-

pes

pes, non imputatione solum, sed etiam reuera: quod ex iis, quæ proximo capite sequũtur, manifestè patet. Iustificati igitur ex fide, pacem habemus erga deum, per dominum nostrum Iesum Christum, &c. quæ sequuntur. Nam ut superius, ex ira dei aduersus gentiles, eos, quos sectabantur, non assecutos ostendit, ita nunc econtra ex pace erga deũ, eiusq́ gratiæ reconciliatione, nos ueræ iustitiæ compotes factos arguit. Neque enim fieri ullo modo potest, ut non sublata causa, cesset effectus. Non erit autem sublata iræ diuinæ causa, si adhuc peccato obnoxii simus: nec nos complecti & amare poterit deus, nisi iustitiæ participes. Adhuc autem manifestius ex sequentibus patet, utrunque quod sectabantur philosophi, id nos uerè per Christũ assecutos esse. Cùm enim quotquot in Christum Iesum sumus baptizati, in eius mortem simus baptizati, & proinde per baptisma cum ipso in mortem sepulti, id est, peccato mortui simus, quis dubitet, quin quam mortem philosophi sunt commentati, ea nobis per Christum uerè obtigerit, ut quorum uetus homo cum ipso sit crucifixus, ut Paulus inquit, & corpus peccati abolitum, ut ab ipsius iam seruitute turpissima simus liberati, & omnino per huiusmodi mortem à peccato iustificati. Rursus autem & assimilationem illam, qua deo, quoad eius fieri potest, homo similis reddatur, nobis per Christum conciliatam esse, manifestè cùm alia permulta, tum ea ostendunt, quæ capite quinto eiusdem ad Romanos epistolæ habentur, quorum nonnulla hoc loco subiiciemus, si

*prius tamen, quæ summa sit totius collationis, qua Christus & Adamus inter se cõferuntur, ostenderimus. Videtur igitur, id ostẽdere uelle Apostolus, quod, ut peccatum per Adamum & mors in mundum est ingressa, ita per Christum iustitia & uita, ut in hac collatione, quod acute argutéq; annotauit Origenes, & eum secutus Ambrosius, iuxta genus similitudo constet, iuxta speciem repugnãtia sit. Nam quòd ab utroq; in posteritatẽ aliqua dimanarunt, hactenus secundũ genus similitudo cõstat: quòd uerò cõtraria, & ab illo quidẽ peccatũ & mors, ab hoc uerò iustitia & uita, ea iam parte secundùm speciẽ repugnãtia notatur. Cæterũ quòd, ut morti uita, sic & peccato cõtraria sit iustitia, id ex eo manifestũ est, quòd cõpluribus in locis hæc tãquam ἀντίθετα sibi mutuo opponantur, ut cùm inquit, Liberati autem à peccato, serui facti estis iustitiæ. & rursus, Cùm enim serui essetis peccati, liberi fuistis à iustitia: & alibi nõ raro. Sed his hac ratione cõstitutis, nunc ad Pauli locos ueniamus, qui nos assimulationem illam, id est, iustitiã, per Christũ assecutos docent. Igitur cùm, quid ab Adamo propagatum esset, superius exposuisset, quid per Christũ, & uberius nobis cõtigerit docere uolẽs, sic inquit, Gratia autẽ ex multis delictis in iustificationẽ. Quòd si quis cõtẽdere uellet, iustificationẽ hoc loco nõ significare iustitiæ collationẽ, eò quòd condẽnationi opponatur, quæ nõ iniustitia, sed iniustitiæ potius est consequens, is quæ statim apud Paulũ probationis loco sequũtur legat, & ἐκ τῆς μεταλήψεως,*

*quid*

quid δικαίωμα hic Paulo ſignificet, intelliget. Neque enim quicquã aliud, quàm δωρεὰν τῆς δικαιοσύνης, quam & paulo pòſt δικαίωσιν ζωῆς nominat. Et omnino quod mox ſequitur, hãc Pauli eſſe ſententiã lucidiſſimè probat. Sicut enim per inobedientiã unius hominis peccatores cõſtituti ſunt multi: ita & per unius obedientiã iuſti cõſtituentur multi. Significat enim in hac oratione cõſtituere, Græcè καθίστασθαι, dicitur τὸ γίνεσθαι καὶ ἀποτελεῖσθαι, id eſt, fieri & effici. Quare maniſeſtè iam patet, & pro iuſtitiæ collatione, quod noſtra negabat propoſitio, iuſtificationẽ accipi, & non extrema tantũ nobis per Chriſtũ cõtigiſſe, ſed etiã intermedia. Uoco autẽ extrema, peccatorũ remiſſionẽ, & diuinæ gratiæ recõciliationẽ, in eaq́; cõſeruationẽ. Intermedia autẽ, peccati, id eſt, uitioſi habitus amotionẽ, nouæ iuſtitiæ cõciliationẽ, in eaq́; conſeruationẽ & incrementũ. Nam & hæc poſteriora ad eundẽ referendo autorẽ eſſe hinc conſtat, quòd, ut ſuperius eſt dictũ, à quo quid fit, ab eodem & conſeruetur & augeatur. Atque hæc quidem ſi uera ſint, & illud ſimul probatum iam eſt, non duo tantum, ſed plura in Canonicis ſcripturis iuſtificationem ſignificare. Et primò quidem & maximè, huiuſmodi regenerationem, qua quis ex iniuſto fit iuſtus: quæ quoniam duabus conſtat, ut ſic dixerim, partibus, iniuſtitiæ amotione, & contrarij habitus conciliatione, fit ſæpenumero, ut non ſolum utraque pars hoc nomine appelletur, ſed etiã δικαιοῦν, id eſt, iuſtificare, nũc quidẽ ἀντὶ τοῦ κολάζειν, καὶ νουθετεῖν, καὶ διορθοῦν, id eſt, pro punire & caſti-

gare

gare, & corrigere, quæ iniustitiæ amouendæ gratia adhibentur, accipiatur, ut Psalmo septuagesimo secundo: nunc uerò, tum pro iustum sese declarare, aut etiam eo nomine sese uenditare, tum pro iustum putare, censere, approbare & iudicare, quorum exempla passim in scripturis sunt obuia. Adhæc autem & pro iustitiæ habitum promouere & augere nonnunquam accipi uidetur, ut in eo Apocalyps. Qui iustus est, iustificetur adhuc. Sunt autem & aliæ fortassis huius uocis significationes, sed hæ nobis in præsentia sufficiunt, quibus hoc solum propositum nunc est, propositionem superius propositam utraque sui parte falsam esse ostẽdere. Quod cùm satis nunc à nobis sit factum, id breuiter quoque ostendamus, quomodo sic qui sentiunt, Christi imminuant gloriam. Et quomodo non id ipsum ex ijs, quæ iam dicta sunt, manifestum est? Si enim propter Adami lapsum & inobedientiam à iustitia quidem excidimus, peccato autem contaminati nascimur: Christi autem obedientia & meritum tam inefficax res est, ut nec à sordibus peccati nos penitus expurgare queat, nec iustitiæ suæ uerè, id est, secundùm habitum seu affectionem participes reddere, erit utique Adami inobedientia & iniustitia, Christi obedientia & iustitia longè efficacior, uidebiturq́ Christus etiam corporis medico deterior, cùm hic morbũ tollere cum causis ac symptomatibus penitus uideatur, & sanitatem solidè restituere: ille autem animi uitiositatem relinquere, ipsiq́ blandiri, secundùm istos, statuatur, nec ad ueram

ipsum

ipsum sanitatem perducere, sed imaginariam quandam & in existimatione & reputatione consistentem, quo quid absurdius dici possit, non uideo. Quanquam non me præterit, quæ ipsis erroris sit causa, eamq́ adeo hoc loco subijcere, uidetur non inutile. Est autē ea τὸ ἀδιόριστον τῆς ἐννοίας ἤτοι νοήσεως, id est, notionis seu intelligentiæ confusio & distinctionis neglectio. Ea hoc loco duplex est, uocis concupiscentiæ, & personarum, quas capite ad Romanos septimo in se Paulus transfert. Nam cùm, ut de posteriori hoc prius agamus, triplicem ibi introducat personam Apostolus: primam in qua, quæ rationis est expers animæ pars absolutè dominatur ac rerum potitur, ratio autem affectui penitus mancipata seruit, tum cognitionis ui, tum appetitu recto destituta, secundùm quam dicitur, Ego autem uiuebā sine lege aliquādo, est autē huiusmodi, quem Græci ἀκόλαστον nominant: secundam, in qua legis ui aliquousque excitata ratio, quid rectum quidē sit perspicit, sed ab effectu tamen & carne uincitur, cuiusmodi is est, qui incōtinens dicitur, de qua quæ sequuntur ad finē ferme capitis usq; dicuntur: tertiam insuper, quæ diuinæ gratiæ per regenerationem iam particeps est facta: hi sub hominis renati persona hæc omnia ab Apostolo dicta esse intelligentes, tum se, tum alios grauissimis erroribus implicāt. Cæterùm quòd triplex hæc personarum distinctio uera & secundùm Apostoli sit sententiam, de prima quidem non admodum mihi laborandum existimo, quòd neminem tam impudentem futu-

rum putem, qui exlegem & ἀκόλαστον, id est, intemperantem, renatum contendere audeat. Quòd autem & secunda à tertia, id est, renati persona sit diuersa, quodq; quæ illi à Paulo tribuuntur, huic minime conueniant, an non euidentissimè id ex eo conuincitur, quod sub hac persona, de se inquit Paulus? Scimus enim quòd lex spiritualis sit. Ego autem carnalis sum, uenundatus sub peccato. Neque enim carnalis esse dicitur, qui quomodocunque adhuc in carne est, sed eo genere, quo superius dictum est. Cùm enim essemus in carne, passiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris nostris, ut fructificarent morti, hoc est, is, in quo caro spiritui præualet, & affectus rationi. Neque uerò hoc loco mihi quispiam obijciat, quòd Corinthios licet renatos, carnales uocet Paulus, sed animaduertat, ab accepta iustificationis gratia hos, de quibus quòd carnales sint dicitur, excidisse: Paulum autē rursus ipsos parturire, ut de Galatis loquitur, & ad iustificationem recuperandam adducere conari: quare non iniuria & hi carnales appellantur. Iam uerò, ut hoc quomodocunque quis eludere conetur, illinc certè non uideo qua ratione euadat, quòd uenundatus sub peccato dicatur, id est, in seruitutem & iugum peccati redactus. Neque enim ulla ratione id renatis, in statu suo perseuerantibus, ne per somnium quidem accommodari poterit, quòd à peccato liberatum, & sub peccato uenundatum esse, ita ad se mutuo sint affecta, ut contrarium ad contrarium, quæ simul in eodem consistere nullo

nullo unquam tempore possunt. Atque hæc quidem una ipsis erroris fuit occasio. Altera autem, quòd ἐπιθυμίας, id est, cupiditatis seu concupiscentiæ multiplicem uocis uim ac potestatem, in suas significationes non distinxerint, ac deinceps quæ'nam sit ea, quæ in renatis maneat, ostenderint: ánne scilicet, quæ ut animæ pars seu facultas eius dicitur, an quæ perturbatio quædam & inordinatus eius est motus. Nam hanc quidem si quis manere existimaret, meo certè iudicio, non rectè sentiret. Illam autem, quam utiliter homini à deo & natura datam esse superius ostedimus, neque malum neque peccatum esse censemus, nec magis ex anima à Christo tolli debuisse, quàm quatuor elementorum aliquod è corpore à medico, cùm tamen fieri possit, ut is etiam qui perfectè à medico sanatus esset, si incautius degat, & in uictus ratione, aut alio quopiam delinquat, horum rursus in se mutuo secundùm contrarias suas affectiones agentium occasione, in morbum incidat. Quare, ut hic medicum non accusat, quòd corpus ipsius adamantinum planeq́ ἀπαθὲς non reddiderit, sed conueniente uictus ratio ne adhibita moderataq́ exercitatione, quam medici beneficio obtinuit sanitatem, tum conseruare, tum augere studet: ita & nobis faciendum. Neque enim Christi beneficium extenuare debemus, peccatum in nobis relictum esse iniuriose calumniantes: sed quam per ipsum iustitiam sumus adepti, pia meditatione atque exercitatione, ac bene agendi consuetudine tum tueri, tum prouehere conari, id

minime ignorantes hanc animæ seu partē seu facultatem, quæ cupiditatis est, quanquā usum non contemnendum habet, & omnino ad bonū nobis est data, omni tamē diligētia nobis obseruandā esse, summoq; studio cauēdum, ne nimiū succrescat & augeatur, quòd bruta admodum cùm sit, & ad plantarum naturam quàm proximè accedat (tota enim corporis est, & ex hoc ueluti efflorescens) facile luxurietur & quasi syluescat, ac in omnes partes nimia fundatur. Quam ipsius naturam indicare uolens Socrates, ut mihi quidem uidetur, πολυκέφαλον θηρίον, id est, multorum capitum belluam, hanc appellat. Et belluam quidem, propter immanem ipsius ac feram naturā, quæ edomari, mansuescere, & condocefieri, ut animosa, nequit. διὸ, ut inquit Galenus, ταύτης μὲν οὐδεμία παίδευσις τοιαύτη ἐστὶν οἵα τῆς ἑτέρας, δι' εὐπειθείας· ὃ δ' ἐκάλουν οἱ παλαιοὶ κολάζειν, ἀναλογίαν τινὰ ἔχει πρὸς τήνδε. γίγνεται δὲ ἡ κόλασις τῆς δυνάμεως ταύτης ἐν τῷ μὴ παρέχειν αὐτῇ τῶν προθυμουμένων ἀπόλαυσιν. ἰσχυρὰ μὲν γὰρ οὕτω καὶ μεγάλη γίγνεται. ἐν τῷ κολασθῆναι δὲ, μικρά τε καὶ ἀσθενὴς, ὡς ἕπεσθαι τῷ λογισμῷ δι' ἀσθένειαν, οὐκ εὐπείθειαν. id est, Quapropter huius quidem nulla talis est disciplina, qualis alterius illius, per obedientiam. sed quod ueteres castigare appellarunt, cum hac quandam conuenientiam obtinet. Consistit autem huius facultatis castigatio in eo, ne ipsi concupitorum fruitionem præbeamus. Sic enim ualida & magna efficitur. Dum uerò castigatur, tum parua, tum imbecillis redditur, ut rationem propter imbecillitatem, non obedientiam sequatur. Multorum autem capitum, ob luxuriem illam, ut dictum

est,

est, quasi syluescentem & in omnes se partes fundentem. Nam cùm tota corpori sit addicta hæc facultas, corpus autem duplex sit, tum in quo hæc consistit, tum quo hoc conseruatur, cum à seipso seruari nequeat, in duas statim tanquam propagines funditur, cupiditatem nimirum: alteram quidem, eius in quo consistit in naturalem statum restituendi, recreandiq́, & omnino tum secundùm se, tum secundùm speciem conseruandi: cuius occasione φιλήδονος, id est, uoluptaria fit, cibi, potus, & uenereorum delectationem quærens: alteram uerò, eius, quo id conseruetur, comparandi: cuius rursus occasione φιλοχρήματος id est, pecuniæ appetens redditur. Cæterùm cùm utraque hæc cupiditas intra naturæ modum & fines cõsistit, id autem erit, si cibi quidem & potus tum qualitatem, tum quantitatem, ipsa metiamur corporis sanitate, & liberis legitimè procreãdis operam demus: pecuniæ autem diuitiarumq́ studium horum terminemus usu: tum sanè & moderata & laudabilis fuerit, mirusq́ in ijs appareat cõsensus. Cùm uerò, illa quidem uoluptatem, in naturalem statum restitutionis & recreationis asseclam, huius ipsius loco affectat: hæc autem non tanquam alterius gratia, quæ corpori necessariũ præstant usum, sed ueluti primaria expetit bona, hic iam utraque à naturali modo recedit, & proinde in uitium uergit: & illa quidem, quod conseruare debuit, indignis accipit modis, & mille contumelijs afficit, & iniurijs dum nimium ipsius est studiosa: hæc uerò, quo id conseruatur in im

mensum augere cupiēs, nec æqui nec iusti ullam rationem habet, honestatēq; planè negligit. Non raro autem & inter se dissident, dum quod aut alterius est gratia, aut consequens, tanquam finem sibi proponunt, quòd materialia quædam cùm sint, alterius incrementum, in alterius uergant diminutionem. Nam & uoluptatū infinitus appetitus, facultates imminuit: & facultatū augendarum immodicum studium, corpus etiam necessarijs defraudat. Quam ob causam, ut & antea dictum est, hanc perpetuo facultatem coërcere ac reprimere oportet, primitiuæ illius Ecclesiæ Ascetas imitantes, de quibus hæc scribit Philo citante Eusebio, libro secundo Ecclesiasticæ historiæ: Ἐγκράτειαν δ' ὥσπερ τινὰ θεμέλιον προκαταβαλλόμενοι τῇ ψυχῇ, τὰς ἄλλας ἐποικοδομοῦσιν ἀρετάς. σιτίον ἢ ποτὸν οὐδεὶς ἂν αὐτῶν προσενέγκαιτο πρὸ ἡλίου δύσεως· ἐπεὶ τὸ μὲν φιλοσοφεῖν, ἄξιον φωτὸς κρίνουσιν εἶναι, σκότους δὲ, τὰς τοῦ σώματος ἀνάγκας. ὅθεν τῷ μὲν, ἡμέραν. ταῖς δὲ, νυκτὸς βραχύ τι μέρος ἔνειμαν. id est, Continentiam uerò tanquā fundamentum quoddam in anima prius iacientes, reliquas superædificāt uirtutes. Cibum aut potum nemo ipsorum ante solis occasum adhibuerit: quod ipsum quidem philosophari, luci aptum consentaneumq; iudicarent: tenebris autem, corporeas necessitates. Quare illi quidem, diem: his uerò, noctis portionem aliquam tribuerunt. Ex quibus certè manifestū est, longè aliter de hac animi facultate eiusq; disciplina sensisse ueteres illos religionis nostræ antesignanos, quàm hodie faciant nonnulli, qui ab ipsis apostolis in primitiua ecclesia instituta ieiunia reliquasq; ad pietatem

*utiles exercitationes & consuetudines antiquare conati sunt. Sed nos his dimißis, ad autorem nostrũ reuertamur.*

Quænam hæc? Ignorationem & errorẽ quem à Seductione hauserat, arrogantiam, cupiditatem, incontinentiam, excandescentiam, auaritiam, & reliqua omnia, quibus in primo ambitu erat impletus.

*Quænam sint illa mala, à quibus expurgari ad Ueram disciplinam accedentem oportet, antequam ad tertiũ ambitum admittatur, docet. Sunt autem hæc, quæ in primo ambitu sibi contraxerat: quæ omnia cuiusmodi sint, iam antea est explicatũ, sola arrogãtia excepta. Quare & quid hæc sit, hoc loco cõstituere oportet. Aristophanis igitur interpres, in Nebulis,* Αλαζόνας, *inquit,* ἰδίως τοὺς ψεύστας ἐκάλουν εἰκότως δὲ καὶ τοὺς φιλοσόφους, ἀλαζόνας καλεῖ. ἐπεὶ λέγειν ἐπαγγέλλονται, περὶ ὧν οὐκ ἴσασι. ἢ ὅτι σεμνὰ ἔχοντες ἤθη, ἀλαζόνες δοκοῦσιν. *id est, Arrogantes propriè mendaces appellant. Merito autem & philosophos, arrogantes uocat, quoniam de ijs dicturos se profitentur, quæ nesciunt: uel quòd morum grauitate præditi, arrogantes uideantur. Rursus in Equitibus:* Αλαζών, ὁ μείζονα τῆς ἑαυτοῦ ἀξίας κομπάζων καὶ φρονῶν. *id est, Arrogans, qui de se maiora sua dignitate gloriatur & sentit. Ex quibus animaduertere est,* τὸν ἀλαζόνα τῷ εἴρωνι, *quod & Ulpianus Demosthenis interpres uult, opponi, ut nimirũ* ἀλαζὼν *quidem sit,* ὁ μὴ ἔχων καὶ προσποιούμενος ἔχειν. εἴρων *uerò contrà,* ὁ ἔχων καὶ προσποιούμενος μὴ ἔχειν. *id est, Arrogãs, qui quod non habet, se habere simulat: Dißimulator, qui quod habet, habere se dißimulat. Est igitur arrogantia uitium,*

quo quis plus æquo sibi tribuit, etiam ea sibi aßumens quæ non habet. Ac quæ in secundo continentur ambitu, hæc sunt, eamq́, quam explicuimus, uim habent. Proximum est, ut ad tertium progrediamur, & quæ ibi fiant, simili diligentia consideremus.

FINIS.

# IVSTI VELSII HAGANI

## IN CEBETIS THEBANI TABVLAM COMMENTARIORVM LIB. V.



Um in tertio hoc ambitu Virtutes & ipsarum mater Beatitudo secundùm autorem nostrum degant, ad quas qui à Vera disciplina purgati sunt mittuntur: hunc, ut conuenientißimum, in nostra explicatione seruabimus ordinem, ut primum de Virtutis notione & substantia constituamus. Deinde ea cognita, ipsius diuisionẽ aggrediamur, ut quot omnino Virtutes sint cognoscamus. Tertiò autem ad autorem progreßi, quæ ab ipso particulatim de Virtutibus dicuntur considerantes & explicantes, quomodo cum subiectis consentiant, ipsaq́ adeo ueritate examinemus. Quibus pertractis, ad Beatitudinem progreßi, & quid ipsa sit conuenienti methodo inuestigabimus: ac sic deinceps, quæ apud autorem sequuntur omnia suo enarrabimus ordine. Est igitur uirtutis hæc in genere ratio ac natura, ut tum ipsum,

*ipsum, cuius est uirtus, rectè affectum reddat, tum ad opus suum benè obeundum, instructum & paratum efficiat. Quod cùm ex uniuscuiusque naturæ pendeat perfectione, erit utique secundùm hoc uirtus nihil aliud, quàm uniuscuiusque rei naturæ summa perfectio. Sed hoc quidem si sit uirtus, patet, quòd si unum quid sit homo eiusq; anima, & una ipsius fuerit uirtus: si uerò plura & non unum, plures etiam ipsius erunt uirtutes, quòd diuersarum rerum, diuersæ sint perfectiones. Si igitur rectè à nobis superius ex Platonis sententia est demonstratum, tripartitam hominis esse animam: & aliud quidem in ea, quod rationis: aliud, quod animositatis: tertium, quod cupiditatis est, esse: erunt & tres ipsius, secundùm partium numerum, uirtutes: & quarta quædã insuper, ipsius totius, tanquam unius rei, ratione. Et tot quidẽ, hac ratione simpliciter considerantibus nobis, humani animi fuerint uirtutes. Verùm enimuero oportet fortasse non tam promptè ac facile de hoc constituisse, sed illud prius animaduertisse, duplicem esse rei uniuscuiusque tum perfectionem, tum actionem: alteram quidem absolutè & per se spectatæ: alteram uerò, secundùm affectionem ad aliud cogitatæ, ut hominis: exempli causa, alia quidem est actio, & proinde perfectio, quâ homo est absolutè, & quâ dominus, aut seruus, maritus, aut uxor, pater, aut filius, & si quæ aliæ in ipso considerentur affectiones. Neque enim idem est hominem esse, & dominum, aut reliquorum secundùm affectionem*

*Vu quoduis.*

quoduis. Quorum autem esse diuersum est, & actio & perfectio diuersa. Cæterùm sic ut dixi, se rem habere, argumento fuerit, quod quotidie usuuenire uidemus. Nam multos quidem est inuenire æquitatis & iustitiæ nomine commendatos, quos absolutè bonos homines appellare solemus, qui tamen boni duces exercitus non sunt. Et econtra bonos duces exercitus, qui mali sunt homines. Solemus autē unum quodq; ab ea, quæ ipsius absolutè & per se spectati est uirtus, absolutè etiam tale appellare: à schetica uerò, sic enim compendij sermonis gratia eam appellamus, quæ secūdùm affectionem ad aliud cogitati est, non absolutè, sed cum adiunctione semper, bonum, puta, hunc dominum esse dicentes, illum, bonum ducem exercitus, alium, bonū medicum. Neque enim si bonus sit medicus, illico & bonus absolutè, cùm possit & malus esse homo, quemadmodum econtra bonus quidem esse homo, medicus tamen non bonus. Quare si hæc quidem sic se habent, ut certè habere manifestum est, patet non eandem esse rei cuiusq; per se perfectionē, quam absolutam nominare possumus, & scheticam, ut nec actionem, nec uim atque naturam. Quam ob causam, cùm in homine duplex spectetur imperium, quam Græci ἀρχὴν uocant, alterum, quo anima corpori, ut dominus seruo imperat, quod herile appellatur: alterum, quasi ciuile, quo & ratio animum & cupiditatem, & animus cupiditatem gubernat ac moderatur: erit alia quidem, animæ per se consideratæ uirtus, alia uero, quâ corporis est domina, & corporis

*poris itidem, alia quidem per se, alia uerò, quâ animæ est quasi seruus. Consimili autem modo & æstimatricis animæ partis, & animosæ, & cupidineæ, aliæ absolutæ sunt uirtutes, aliæ scheticæ. Et illarum quidem, quod quis tamen miretur, exuperantia quædam uituperabilis & reprehendenda esse potest: harũ autem minimè. Cæterùm id quod dico, manifestius fiet, hoc modo cõsiderantibus nobis. Sit igitur aliquis qui omni studio, summaq; contentione literarum disciplinam agitet, quæ, ut inquit Celsus, ut animo præcipuè omnium necessaria, sic corpori inimica est. Hic certè quòd id, quod animi per se est opus exerceat, ipsiusq; perfectioni intentus sit, manifestum est. Sed dum corporis robur inquieta cogitatione, nocturnaq; uigilia non solum minuit, sed etiam labefactat atque conuellit, febres in ipso accẽdens, fluxionesq; excitans, neque boni domini fungitur officio, neque huius scheticæ perfectionis rationem habet. Rursus autem econtra sit, qui totus corporis sanitati & perfectioni intentus, cuiusmodi propemodum Galenum in libris de sanitate tuenda subijcere uidemus, animum negligat. Hunc sanè non ut animi seruum corpus curare uidemus, sed ipsius per se perfectionẽ moliri, eoq; reprehendendum esse, quòd hac ratione corpus aduersus animum instruat. Atque hoc esse uidetur, quod in Timæo reprehendit Plato, existimatq;, tanquam bipartito proposito scopo, utriusque habendam esse rationem. Id autem est, ut non solum absolutis ipsorum perfectionibus, sed etiam scheticis*

incumbamus. Age igitur uideamus, quæ uniuscuiusq; animæ partis tum absolutæ, tum scheticæ sint uirtutes, ab ea quæ rationis est compos & particeps exorsi. Dicimus igitur cùm rerum consideratio contemplatioq; huius per se sit opus, earum exquisitam cognitionem, quam Græci σοφίαν, nos sapientiam appellamus, eiusdem esse uirtutem absolutam. Cæterùm quoniam quæ contemplationi sunt subiecta, alia quidem sunt, ut Græci uocant, νοητὰ, alia uerò, διανοητὰ, nos, si recipitis, illa intelligibilia, hæc cogitabilia nominabimus: adhæc autē & quæ tum δοξαστὰ, tum αἰσθητὰ à Græcis appellātur, id est, opinabilia & sensibilia, quorū alia illius, alia huius partis facultate percipiuntur: intelligibilia nimirum, intelligentia: cogitabilia, cogitatione: opinabilia, opinione: fit ut una hæc rursus, quam diximus sapientia, in tres ueluti fundatur uirtutes, νοῦν (nam hac uoce non solùm animi facultatem appellant, sed eius etiam perfectionem, unde & νουνεχεῖς, qui hanc sunt adepti, appellantur) id est, intelligentiam, quam consimili etiam ratione Latini tum pro facultate, tum pro eius absolutione usurpare uidentur, ἐπιστήμην, id est, scientiam, & ὀρθοδοξίαν, id est opinionem rectam. Atq; hæ quidem rationalis animæ partis per se sunt uirtutes, quas hactenus sectari debet, ne eorum tamen, quæ ab ipsa regi ac gubernari debēt, curam & prouidentiam abijciat. Schetica autem eiusdem uirtus, quæ sit, ut cognoscamus, eorum meminisse debemus, quæ à nobis libro secundo commentariorum, de trium animæ partium

*partium ad ſe mutuo affectione, ſunt dicta. Cùm igitur, ut ex iis patet, hæc imperantis tantum ſecundùm naturam in nobis locum obtineat, atque ea quidem ratione, qua in rep. ſenator, qui conſiliis remp. regit, erit nimirum eius, quam ſecundùm affectionem ad alias partes obtinet, uirtus, prudentia, qua tum ſibi, tum aliis modum agendorum præſcribit. Et quatenus ab hoc officio, nimis magno ſtudio multaq; opera, in rerum contemplationem conferenda, abduci non debet, etiam moderatio & temperãtia quædam. Sed ipſius quidem prudentiæ, duæ ſunt ſpecies, altera quidem* ἐυβουλία, *quæ à nonnullis hoc modo definitur,* ἐπιστήμη τοῦ σκοπεῖσθαι ποῖα καὶ πῶς πράττοντες, πράξομεν συμφερόντως. *id eſt, Scientia conſiderandi, quæ & quomodo agentes, utiliter agamus. ſcientiæ hoc loco nomine pro cognitione uſurpantibus, quam nobis Heſiodus his carminibus deſcribit,*

οὗτος μὲν πανάριστος, ὃς αὐτὸς πάντα νοήσει
φρασσάμενος, τάκ' ἔπειτα καὶ ἐς τέλος ᾖσιν ἀμείνω:

*Dicitur autem hæc, alia quidem abſolutè ſimpliciterq;, quæ moralis quædam & ciuilis eſt uirtus: alia uerò cum adiunctione, ſub qua noſtris uſibus & neceſſitatibus inſeruientes continentur artes. Et hæc quidem una prudentiæ eſt ſpecies, qua tum nobis, tum aliis rectè conſulere poſſumus. Videtur autem hæc* τῆς διανοίας πρακτικῆς τε καὶ ποιητικῆς ὀρθότης τις εἶναι, ὥσπερ ἡ ἐπιστήμη τῆς θεωρητικῆς. *id eſt, cogitationis actiuæ & effectiuæ rectitudo quæpiam eſſe, ut ſcientia contemplatiuæ. Altera uerò, quam Græci* σύνεσιν *nominant,*

*Latini, ut arbitror, nunc intellectionem, nunc intelligentiam, non illa, qua superius hac uoce sumus usi, significatione, sed alia quadam. Est autem σύνεσις, ut ex ijs, quæ sexto Moralium ad Nicomachum libro, de hac ab Aristotele dißeruntur, est intelligere,* ἐυπαρακολούθησις λογισμοῦ ἤτι δόξης, ἐστὸ καλῶς ταῦτ' ἄλλου ὑποτεθέντα ἐκλαμβάνειν τε καὶ κρίνειν. *idest, rationis seu opinionis consectatio facilis, ad bene, quæ ab alio sunt subiecta, excipienda ac dijudicanda. Inquit igitur de ea dißerens hoc modo,* ἐστὶ δ' οὔτε τὸ ἔχειν τὴν φρόνησιν, οὔτε τὸ λαμβάνειν ἡ σύνεσις. ἀλλ' ὥσπερ τὸ μανθάνειν λέγεται συνιέναι, ὅταν χρῆται τῇ ἐπιστήμῃ, οὕτως ἐν τῷ χρῆσθαι τῇ δόξῃ ἐπὶ τὸ κρίνειν περὶ τούτων, περὶ ὧν ἡ φρόνησίς ἐστιν, ἄλλου λέγοντος, καὶ κρίνειν καλῶς. τὸ γὰρ εὖ, τῷ καλῶς ταὐτό. καὶ ἐντεῦθεν ἐλήλυθε τοὔνομα ἡ σύνεσις, καθ' ἣν εὐσύνετοι, ἐκ τῆς ἐν τῷ μανθάνειν. λέγομεν γὰρ τὸ μανθάνειν συνιέναι πολλάκις. *id est, Est autem nec habere, nec comparare prudentiã, intelligentia: sed ut percipere dicitur intelligere, cùm scientia quis utitur, sic in utenda opinione ad iudicandũ de his, in quibus uersatur prudentia, alio dicẽte, & bene iudicandum, consistit intelligentia. Nam rectè & bene idem est. Atque hinc adeo nomẽ* σύνεσις *ortum habet, unde* εὐσύνετοι *dicuntur, ab ea* συνέσει, *id est cõgreßione seu cum altero itione, quæ in percipiendo consistit. Dicimus enim percipere, intelligere non raro. Cæterùm ut* εὐβουλία *cogitationis actiuæ, ita & hæc opinionis, quæ in rebus agendis & ipsa uersatur, est uirtus: quam rursus nobis Hesiodus hoc uersu expreßit:*

ἐσθλὸς δ' αὖ κ'ἀκεῖνος, ὃς εὖ εἰπόντι πίθηται.

Neque

*Neque enim aliud, nõ quæ uulgo dicitur, sed uera est* εὐπείθεια, *quàm* σύνεσις, *ut quæ non temere, sed aliquo omnino iudicio, recta monentem, tanquam præeuntẽ sequitur. Atq; hæ quidem duæ sunt prudentiæ species, quas & Hesiodus conspexisse uidetur, & posteris commonstrasse, & Plato deinceps ac Aristoteles aliiq; horum æmuli atque imitatores recepisse approbasseq;. Uidetur autem ratio & conuenientia omnino postulare, ut non duas tantum, sed tres & huius species faciamus, ut sapientiæ, quod non minus* νοῦς πρακτικός, *id est, mens actiua & apud philosophos ueteres nominata inueniatur, & reuera etiam, si quid ego iudico, sit, quàm cogitatio & opinio. Quámnam igitur & huius uirtutem esse dicemus? An scilicet eam, quam communiori uocabulo* εὐστοχίαν, *magis autem proprio* ἀγχίνοιαν *Græci uocant? Nam ut omittam, quod nominis huius proximioris id compositio & etymologia indicare omnino uideatur, etiam manifestè id Stoicorum, à Platonis & Aristotelis sententia hîc minime discedentium, definitio commonstrat, quæ huiusmodi est:* ἀγχίνοιά ἐστιν, ἕξις εὑρετικὴ τοῦ καθήκοντος ἐκ τοῦ παραχρῆμα, *id est, solertia est, habitus inuentiuus ex tempore eius, quod conuenit. quæ certè mea sententia definitio, id significare uidetur, quòd solertia sit mentis quædam in rebus agendis coniecturæ dexteritas, quam Græci εὐστοχίαν nominant, in tẽporis quasi momẽto, quod ἐν ἀσκέπτῳ χρόνῳ dicit Aristoteles, citra omnem ratiocinationem ac cogitationem. Uerùm hoc quidem si recipimus, & duabus*

*præce-*

præcedeutibus tertiam hanc prudẽtiæ ſpeciem adijcimus: erit nimirum, ut ibi ab ὀρθοδοξίᾳ ad ſcientiam, & ab hac ad intelligentiam progreßio: ita & hic à συνέσει ad εὐβουλίαν, & ab hac ad ſolertiam, tanquam ſummam quandam ac præſtantiſſimam uirtutem. Atque earum quidem rationalis animæ partis facultatum, quæ cognitionis ſunt, eæ ſunt, quas diximus, tum perfectiones, tum uirtutes. Quoniam autem eiuſdem & aliæ quædam ſunt facultates, quæ in appetitu poſitæ ſunt, ut ſuperius ex Peripateticorum ſententia tradidimus, βούλησις nimirum & προαίρεσις, non immerito dubitauerit aliquis, ſintne & harum quædam perfectiones ac uirtutes. Nam ſi nullas quis eſſe dixerit, abſurdum ſanè uideatur, earum, quæ ratione carent, animæ partium appetitus, ſuas habere & proprias abſolutiones: horum autem, quæ rationis ſunt compotis partis, uirtutes nullas exiſtere, maximeq́ cùm ex uoluntatis quidem quæ ipſius finis potißimum eſſe ſuperius eſt dicta, rectitudine, tanquam fundamento quopiam, aliarum non minimè facultatum perfectio pendeat: electione autem magis quàm actione mores dijudicentur. Si uerò rurſus & harum aliquas facultatum uirtutes eſſe ſtatuerimus, quænam illæ ſint, inuenire difficile uidetur, quod à ueteribus nihil de his ſcriptum inueniamus. An uerò, non ita ſe res habet, ſed προαιρέσεως quidem uirtutẽ, apud Ariſtotelem, libro Moralium ad Nicomachũ ſexto, deſcriptam his uerbis habemus: ἔστι δ᾽ ὥσπερ ἐν διανοίᾳ κατάφασις καὶ ἀπόφασις, τοῦτ᾽ ἐν ὀρέξει

δίωξις

δίωξις καὶ φυγή. ὥστ' ἐπειδὴ ἡ ἠθικὴ ἀρετὴ, ἕξις προαιρετικὴ, ἡ δὲ προαίρεσις, ὄρεξις βουλευτική· δεῖ διὰ ταῦτα τόν τε λόγον ἀληθῆ εἶναι, καὶ τὴν ὄρεξιν ὀρθὴν, εἴπερ ἡ προαίρεσις σπουδαία, καὶ τὰ αὐτὰ, τὸν μὲν φάναι, τὴν δὲ διώκειν. *id eſt, Eſt autem, quod in cogitatione affirmatio & negatio, hoc in appetitu conſectatio & fuga. Quare cùm moralis uirtus, habitus ſit electiuus: electio autem, appetitus deliberatiuus: oportet ob hæc tum rationem ueram eſſe, tum appetitũ rectum, ſi proba ſit futura électio, eademq́; illam quidem cenſere, hunc uerò conſectari. Ex quibus Ariſtotelis uerbis patet, ut cõpoſita quædam hæc eſt animi facultas ex ratione & appetitu, ita & eiuſdem uirtutem compoſitam eſſe, ex prudentia, quæ imperatoria quædam eſt uirtus, & frugalitate ac modeſtia, quam ſubditi eſſe, in ſequentibus docebimus, quarum illam quidem,* διανοητικὴν, *id eſt, cogitatiuam, quæ plurimum ex doctrina tum ortum, tum incrementum habet: hanc* ἠθικὴν, ὡς ἐξ ἔθους παραγενομένην, *id eſt, moralem, ut quæ ex conſuetudine aduentiat, appellare ſolet Ariſtoteles. Ipſius autem uoluntatis perfectionem, quam tandem aliam ſtatuemus, quàm ſtudium quoddam & amorem eius, ad quod, rationalis animæ partis occaſione, cõciliationem naturalem obtinemus? id autem fuerit, honeſtas ipſa, ut ſuperius eſt dictum. Cæterùm apud Græcos, hæc* φιλοκαλία *appellatur, cum qua aut eadem eſt, aut non multum certè diuerſa, quam* καλοκαγαθίαν *ijdem nominant, eſſeq́; definiunt,* ἕξιν προαιρετικὴν τῶν βελτίστων, *id eſt, habitum electiuum optimorum. Quod ſi*

quis hanc non uoluntatis, ſed electionis potius, definitionis occaſione, eſſe contendat, loquor autem de poſteriore, καλοκαγαθίας nimirum, is ſciat, reuera quidem, ex utriuſque facultatis perfectione coniunctam quandam & compoſitam eſſe uirtutem: & τοῦ καλοῦ quidem ratione ad βούλησιν pertinere: τοῦ ἀγαθοῦ autē, quod idem eſt, ac ſi τοῦ συμφέροντος quis dixerit, ad προαίρεσιν. Sed his quidem æſtimatricis animæ partis facultatū uirtutibus explicatis, proximū eſt, ut ad animoſam tranſeamus, & quænā ſint & huius perfectiones conſideremus. Eſt igitur, ut huius per ſe opus, robuſtam ſe & ualentem planeq; inuictam præſtare, ita & eiuſdem per ſe uirtus, naturalis quædam fortitudo, omne quod obſtat pulſans, omnia profligans ac proſternans, ſibiq; potenter atque uiolenter ſubijciens. Atque hoc quidem cùm facit, quod naturæ ſuæ conueniens eſt, facit. Eſt enim ipſius, confligere quidem opus, uincere autem finis: ſed ſcheticæ tamen uirtutis, quæ duplex ipſi eſt, rationem nullam habet. Nam cùm media ſit hæc animæ pars inter primam illam, quæ rationis eſt particeps, & tertiam, quæ cupiditatis eſt, ad illam quidem ſubditi locum obtinet: hanc uerò imperantis. Quare & uirtus quæpiam ipſi adſit oportet, ſecundùm quam rationis compoti parti obſequatur, eiuſq; dicto audiens ſit: hæc autem fuerit, quam Græci σωφροσύνην, Latini nunc frugalitatē, nunc modeſtiā, interdū & temperantiā nominant: & alia rurſus, qua cupidineam gubernet, ac regat, quam ἀνδρείαν Græci, nos fortitudinem dicimus: quæ

impera-

*imperatoria quædã est uirtus, nõ illo sanè genere, quo prudentia, quæ cognitionis ui & iudicio subiectis partibus præ est: sed alio quopiam, appetitionis nimirum facultate, qua compescere quidem inferiorem animæ partem, & in officio continere: externam autem uim propulsare, & ab iniuria defendere, quorum propugnatio ad ipsam pertinet, ualeat. Sed hæc ipsa & alia subyicienda facilius fortaße aßequemur, si Socratem in secundo de Rep. libro apud Platonem imitati, quæ hic minoribus ueluti literis scripta, & proinde obscuriora, nõ satis cõmode à nobis perspici poßũt, in rep. insignioribus characteribus expreßa, prius cognoscere conemur. Nã ut in anima tres sunt, quas diximus, animæ partes, ea ratione ad se mutuo affectæ: ita & in rep. totidem cum eadẽ etiã ad se mutuo relatione: de quibus Hippodamus Pythagoræus in opere de Rep. hoc modo dißerit:*
φαμὶ δ' ἐγὼ εἰς μοίρας τρεῖς διεστάσθαι τὰν σύμπασαν πολιτείαν. καὶ μίαν μὲν εἶμεν μοῖραν, τῶν ἀγαθῶν κυβερνώντων τὰ κοινά· δευτέραν δὲ, τὰν δυνάμει· τρίταν δὲ, τὰν ἐκπλαρῶσαι καὶ χοραγίᾳ τῶν ἀναγκαίων. ὀνομαίνω δὲ τὸ μὲν πρῶτον πλᾶθος, βουλευτικόν. τὸ δὲ δεύτερον, ἐπίκουρον· τὸ δὲ τρίτον, βάναυσον. καὶ τὰ μὲν αὐτῶν, ἐλευθέραν βιοτὰν ἐχόντων οἰκεῖα φαμὶ εἶμεν· τὸ δὲ τρίτον, τᾶν βιοπόνων. καὶ τὸ μὲν βουλευτικόν, ἄριστον εἶμεν· τὸ δὲ βάναυσον, χερήιον· τὸ δ' ἐπίκουρον, μέσον. καὶ τὸ μὲν βουλευτικόν, ἄρχεν δεῖ· τὸ δὲ βάναυσον, ἄρχεσθαι· τὸ δ' ἐπίκουρον, καὶ ἄρχεν καὶ ἄρχεσθαι. τὸ μὲν γὰρ, ὅ τι δεῖ πράττειν προβουλεύει· τὸ δὲ, τὸ ἐπιταχθὲν ἐπιτελεῖ· τὸ δ' ἐπίκουρον, τῷ μὲν προπολεμεῖν, ἄρχει τῶ βαναύσω παντός· τῷ δὲ προβουλεύεσθαι, ἄρχεται *id est, Ego uerò dico, uniuersam rẽp. in tres partes eße deductã. Et unã quidẽ eße,*

bonorum, qui publica & communia gubernant: alteram, eorum, qui potestate præditi sunt: tertiam, qui expletioni, & necessariorum suppeditationi incumbunt: Nomino autem, primùm quidem cœtum senatorium: secundum uerò, auxiliarium: tertium autem, operarium. Et illos quidem, ijs conuenire, qui liberam uitam colere possunt: tertium autem, qui laboribus uictum quærunt. Ac senatorium quidem, optimum esse: operarium, deteriorem: auxiliarium, medium. Et senatorium quidem imperare oportet: operarium uerò, parere: auxiliarium autem, tum imperare, tum parere. Nam ille quidem, quid sit agendum prospicit atque consulit: hic uerò, iniunctum sibi munus exequitur: auxiliarius autem, quatenus quidem propugnatorem agit, uniuerso operario cœtui imperat, quatenus autem ex alieno consilio ac sententia pendet, regitur ac paret. Et hæc quidem Hippodami de reip. diuisione est sententia, & de partium eius ad se mutuo affectione. Quem etiã Plato in suis de Rep. libris sequitur, & unicuique parti propriam & conuenientem uirtutem tribuit: Senatorio quidem ordini, qui multitudine quidem, longè minima in rep. est portio: ui autem & potestate, maxima, prudentiam, qua publici consilij autor & reip. rector esse possit. Est enim huius imperare tantùm. Operatio autem, quem θητικόν, id est, mercenarium uocat, qui contraria ratione atque prior ille affectus est, quòd numero quidem maxima, ui autem & potestate minima reip. sit pars, quod χερνήτος uoce nobis significauit

ficauit Hippodamus, ut prius illud & cõtrarium τῷ ἀρίστου, temperantiam & modestiam, cùm huius parere sit tantum. Cæterum medio cœtui & auxiliario, qui priori quidem parere, posteriori autem imperare debet, quiq; mediam quandam affectionem obtinet, ut quantùm quidem à priori potestate superetur, tantùm posteriorem eadem uincat: quantum uerò rursus priori sit numero superior, tantùm posteriori inferior, tum temperantiam, tum fortitudinem: illam quidem subditi uirtutem, hanc uerò imperantis: cuius quæ uis sit ac ratio, ut commodius ostenderemus, hæc à nobis sunt adducta. Diximus igitur superius, hanc imperatoriam animosæ partis esse uirtutem, non tamẽ eodem genere, quo prudentia æstimatricis, quòd hæc in cognitionis & iudicij ui appetitum moderantis, illa in appetitus facultate, quæ sibi subditum appetitum gubernat, consistat. Vocetur itaque illa, uirtus senatoria, seu consultrix, seu deliberatiua, quòd utilitatũ oportunitatumq; omnium sit prouida: hæc uerò, auxiliatoria & propugnatrix, aut etiã ut uniuersam eius naturam magis exprimamus, bellica: quæ cuiusmodi sit primùm in rep. consideremus. Cùm igitur duo sint belli genera, ut libro de legibus primo Atheniensis inquit hospes: alterum quidem, quod ciuile appellatur, itemq; seditio, quo ipsi inter se ciues dissident atque discordant, quod omnium bellorum teterrimum est & periculosissimum: alterum externum, quo cum externo hoste confligimus, quod priori multo est mitius: oportet sanè eos,

quos auxiliarios & propugnatores esse diximus, in utroque genere reip. adesse: & seditiosos quidem ciues ac turbulentos comprimere, & sontes punire: remp. autem, ab externa ui defendere, hostesq́; propulsare: & ad utrunque ea uirtute uti, quæ confidentiæ & timoris mediocritas quædam est, appellaturq́;, ut diximus, fortitudo. Cæterùm quoniam cum hac necessario coniungitur ea animosæ partis operatio, quam libro commentariorum secundo, ipsius secundùm affectionem esse diximus, uocaturq́; à Græcis modo θυμὸς, modo ὀργὴ, id est, excandescentia & ira, quanquã hæc à Stoicis, qui in omnibus sunt curiosiores, distinguuntur: à Platone certè, Aristotele, ac Peripateticis, quod ex definitione subijcienda patet, pro eodem non raro usurpantur: est autem ira, innati caloris feruor, ex desiderio ulciscendi eius, qui iniuriam fecisse uidetur, orta: quam Plutarchi Cryllus, ex Peripateticorum nimirum sententia, τῆς ἀνδρείας οἷον βαφήν τινα καὶ στόμωμα appellat: Plato certè sine hac animum tum ad pugnãdum generose cum ijs, quibus cum confligere oportet, tum ad sumendum de ijs supplicium, qui puniendi uidentur, imbecillum & inualidum asserit: erit nimirum huius ipsius occasione, & alia quæpiam huius animæ partis uirtus, iræ, inquã, moderatrix, quam Græci communi nomine πρᾳότητα nominant, id est, lenitatem: est autem gemina, quòd alia lenitate aduersus hostes, alia aduersus ciues utendum sit: uideturq́; hæc proprium etiam nomen apud Græcos sortita, & ἡμερεία ab ijs appella-

*appellata, apud quos* τὸ μένος ἀντὶ τοῦ θυμοῦ τε καὶ ὀργῆς *nonnunquam accipitur: nisi quis forte contendat, hanc potius erga bonū & frugi ciuem animi esse affectionem: cum quo ut non admodum contenderim, ita tamē meminisse ipsum uelim, nullum præfectum subdito* δυσμενῆ *esse debere, sed perinde erga ipsum affectum esse, ut erga ægrotantem medicus. Quare ut hic, cùm etiam urit ac secat,* εὐμενὴς *nihilominus est, ita & in rep. qui in ciues delinquentes animaduertere debent, ab hac animi affectione minimè recedere oportet. Videtur autem hæc Latinis tum clementia, tum benignitas appellari. Nam quæ beneuolentia ijsdem dicitur, æstimatricis potius animæ partis laudabilis est affectio ad uoluntatem annominata: cui tres apud Græcos uoces respōdent, non* ἐκ τῆς βουλήσεως *nomine compositæ, sed ex ijs, quæ eam huc impellunt & mouent,* εὔνοια, εὐγνωμοσύνη, *quæ* ἀπὸ τῆς γνώμης, εὐβουλίας *nimirum conclusione, appellatur, &* εὐδοκία. *Sed ut ad propositum reuertamur, cuiusmodi hæ in rep. lenitatis sint species, diligentius consideremus. Est igitur lenitas, iræ, ut dictum est, uirtus moderatrix. Eius autem altera species, quam nunc* εὐμένειαν, *id est, benignitatem seu clementiam, ut appellemus, qui in nominibus curiosiores sunt concedant, in delinquentes ciues animaduertendi moderatio quædam est. Altera uerò, qua in hostis ulciscendi desiderium propendentem iram refrenamus, nec apud Græcos, nec apud Latinos, quod sciam, proprium nomen sortita est. Vocetur autem, quò ab altera discernatur,*

tur, humanitas, quo fortaſſe nec malè nomine appelletur. Cæterùm uidetur duas potiſſimum ob cauſas & hæc uirtus neceſſaria, tum quòd, dum nimis auidè in hoſtes inuadimus, non tam periculum & iniuriam à nobis propulſamus, quàm noſtras conſceleramus manus, non animaduertentes, quòd etſi non eiuſdem ciuitatis ſocietate cum ipſis ſumus coniuncti, tamẽ indiuiduæ ſpeciei & rationis, quam quaſi dei imaginem circunferimus, à primo parente ductæ cognationis, naturalis item & iuris gentium communione & his cõſociati ſimus: tum quòd belli alioqui naturam uiolantes, quo nihil aliud, ut rectè cenſet Cicero, niſi pax quæſita uideri debet, & plurimum nobis ipſis incõmodamus, & iucundiſſimo quietis & tranquillitatis fructu, omnibus maxime exoptando, noſmet ſpoliamus. Et eius quidẽ reip. ordinis, quem ἐπίκουρον, id eſt, auxiliarium, appellari diximus, hæ ſunt uirtutes, quas ad animoſam animæ partem nunc transferre, haud difficile fuerit. Nam & hæc fortitudine indiget, qua tum inteſtinum ac quaſi domeſticum bellum extinguere, ac cupiditatem rationi & ſuperioribus appetitionibus repugnantem comprimere ac conſtringere poſsit: tum totam animam, immo hominem potius, tanquã remp. ab externis iniurijs defendere, infeſtaq; omnia depellere & diſsipare. Indiget autem & lenitate propter eam, quam diximus ipſius ſecundũ affectionẽ, operationẽ, id eſt, iram: & utraque ſanè eius ſpecie. Nam neque excindenda eſt cupidinea animæ pars: ſed ſubigenda potius, & ſub imperium

perium

*perium rationis ditionemq́ subiungēda: neque sic in aduersa infestaq́ ipsi inuadendū, ut nulla, quæ ipsius uniuersi eiusq́ legis ratione, cum rebus omnibus ei coīunctio est naturalis, habita ratione, cūcta disturbet ac dissipet: aut etiam, quò omnia referri oportet, animi tranquillitatem & securitatem, idem autem est, ac si uitam beatam dixerim, impediat. Quare has, quas diximus, ipsius esse uirtutes manifestè constat. Quæ cùm satis iam explicatæ uideantur, superest, ut & tertiæ & cupidineæ, quæ sint perfectiones inuestigemus. Cùm igitur hæc subditi tantùm inanima rationem sustineat, ea etiam tantùm uirtus ipsi conueniat, quæ subditi est. Cæterum hæc ipsi duplex est. Nam cùm, ut superius dictum est, duplices appetitus habeat, alteros quidem eius corporis ratione, in quo cōsistit, alteros uerò eius, quo id conseruetur, manifestum est, hanc tum ἀπολαυστικὸν, tum περιστικὸν esse: quod etiam ex eo cognosci potest reip. ordine, quem Hippodamus βάναυσον, Plato θητικὸν nominat. Is enim ipsi proportione respondet. Itaq; ut ἀπολαυστικῇ, id est, ut sic dicam, fruitoriæ, frugalitas & temperantia, quæ in moderandis cupiditatibus, & corporeis, inutilibus ac noxijs uoluptatibus prætermittendis cernitur, ipsi conuenit. Ut uero περιστικῇ, id est, quæstuosæ, ea particularis iustitia, quæ uirtus quædam est & mediocritas inter eam, quam Græci πλεονεξίαν uocant, quæ immodica quædam pecuniæ auiditas est, & quam ijdem μειονεξίαν nominant, uitium nimirum iam dicto contrarium. Atenim quoniam quæsi-*


tum omne, non ad hoc quæri uidetur, ut habeatur solum, sed propter usum omnino aliquem, ad quem nisi accommodetur, inanis & superuacanea hæc acquirendi cupiditas sit necesse est, nominisq; adeo uim amittant oportet, quæ Græcis χρήματα dicuntur: meo certè iudicio, hæc seu facultas, seu cupiditas, seu appetitio, quæ circa id uersatur, quod corporis necessitatibus & usibus inseruit, aut duplex statuatur necesse est, aut, quod magis mihi probatur, tertia quæpiã cupidineæ tribuatur parti, quam seu δαπανητικὴν, seu ταμιευτικὴν quis appellare uelit, de nomine non laboro: erit autẽ hæc facultas quædã seu affectio sumptus faciendi, cuius uirtus est liberalitas, non illa quidẽ politica, quæ ad alium est, sed quædam ipsi analogia respondens, quæ intra animum absoluitur, proximeq; illi coniuncta est, cuius modo meminimus iustitiæ, atque adeo media quodammodo inter temperantiam & iustitiam intercedit, quemadmodum & ipsa ταμιευτικὴ inter ἀπολαυστικὴν & ποριστικήν. Unde nonnunquam αὐτάρκειαν ipsam nominant, quæ tamen non simplex est uirtus, sed ex frugalitate & iustitia coniuncta, aut fortasse & hac tertia. Atque hæ quidem animæ partium, quæq; in his sunt facultatum perfectiones sunt ac uirtutes. Ad quas sequitur ea, quæ uniuersalis iustitia appellatur: quæ est, ut inquit Theages, σύνταγμά τι τᾶς ἁρμονίας τῶν μερέων τᾶς ψυχᾶς, καὶ ἀρετὰ τελεία καὶ πανυπερτάτα. id est, coniunctio concentus animæ partium & uirtus perfecta atque suprema. Quam sanè obscuriorem definitionem

tionem mihi aliquo modo explicasse uidetur, partim quidem Plato libro de Rep. quarto, partim uerò Aristoteles libro quinto Moralium ad Nicomachum. Nam quomodo coniunctio seu potius conciliatio concentus animæ partium esse dicatur, his uerbis ostendit Plato. Cæterùm reuera huiusmodi certè quid, ut uidetur, iustitia est, sed non in actione externa consistens, sed interna, & reuera in ipso adeo, quæq; ad ipsum pertinent, dum unamquamq; sui partem aliena negotia agere non permittit, neque quæ in anima sunt genera curiositate sibi mutuo molesta esse: sed reipsa sua rectè componit, sibi ipse imperat, se moderatur, sibi amicus redditur, coniungitq; & coagmentat hæc genera quæ tria sunt, tanquam harmoniæ tres terminos sedulo, neates, hypates, & meses, & si quæ alia inter hæc intermedia sunt, omnia hæc connectit, & prorsus ex multis unus efficitur, modestus & cōpositus. Ex quibus Platonis uerbis constat, iustitiam hanc, qua de nunc agimus, esse uim quandam ac uirtutem totius animæ, qua fit, ut quælibet pars in suum & proprium opus intenta, aliena quæq; ad ipsam minimè attinent, non curet, quam Græci affectionem ἰδιοπραγίαν uocant, ita tamen ut alijs imperantium, alijs subditorum locum obtinentibus omnia sibi mutuo congruant, non secus, ac in cantu fit & fidibus. Nam ut hic quælibet suum & proprium edit sonum, ex quorum inter se mutuo conuenientia, symphonia quædam & harmonia efficitur, unusq; ex multis ueluti contemperatus sonus, moderatione qua-

*dam & æquabilitate iucũdus, dum sonorũ alij sua grauitate ueluti imperãt, hypates nomen inde sortiti, alij cõtrà suo acumine parẽt, quæ netæ, itemq; neatæ, quasi postremi, & infimi, à Græcis uocãtur: alij uerò inter hos medij, & proinde* μέσαι φωναὶ *à Græcis dicti, sua quadã mediocritate tum parent, tum imperant, grauioribus quidẽ parentes, acutioribus autẽ imperantes: ita & animæ partiũ quæuis, dum suo rectè fungitur munere, & quæ rationis quidem est particeps, prudentia imperat, quæ uerò cupiditatis est, temperantia paret: animosa autem, altera quidem sua uirtute, superiori paret, altera uerò inferiori imperat, quidam quasi concentus consensusq; in anima oritur, ex quo multæ quidem hæ partes in unius animæ compositionem, ut sic dicam, coagmentationemq; coalescant, multæ autem harum actiones & uirtutes in unius laudabilis actionis modum, unius reliquas omnes continentis perfectæ uirtutis naturam ac rationem conspirent ac ueluti consonent, atque sic homo totus compositus, modestus & iustus reddatur. Cæterùm, quænam sit ista symphonia, qui harmonici logi, de quibus hic loquitur Plato (neque enim id omittendum arbitror) breuiter hoc loco subijciemus. Cùm igitur tres sint animæ partes, ut sæpius iam dictum est, inter æstimatricem quidem & animosam, earumq; uirtutes, symphonia quidem* διὰ πέντε *intercedit: harmonica uerò ratio, quam Græci* ἡμιόλιον, *Latini sesquialteram nominant, cuiusmodi est inter ij. & iij. Inter animosam autem & cupidineam,*

&

*& harũ perfectiones, symphonia* διὰ τεσσάρων, ἐπίτριτος *uerò, id est, sesquitertia seu ratio seu proportio, qualis inter iij. & iiij. cernitur. Et sic ex tribus istis terminis efficitur concentus quem* διὰ πασῶν *nominant, qui dupla constat proportione, ut ex figura hac spectare licet.*




*Neque uerò hoc solum in hac figura animaduertendum existimo, sed etiam illud non minus, quòd perfectior quidem inter æstimatricem animæ partem & animosam sit symphonia, quàm inter hanc & cupidineam, quamuis interuallo tamẽ maiori distent. Est enim in sesquialtera proportione, dimidij: in sesquitertia, tertiæ partis interuallũ. Eoq́ fieri arbitrantur, quòd etsi animosa pars cupidineæ magis sit cognata quàm rationi (ambo enim ex corpore eiusq́ temperamento ortum habent, ratio autem diuinioris est originis: ambo mortalia quæq́ simul sint, simulq́ inter-*

eant, ratio immortalis: ambo cognitionis expertia, ratio uero eius ui prædita) tamen cùm illæ inter se dissident ac pugnant, nunquam cum ea, cui magis cognata est, cupidinea nimirum, sese cōsociet & coniungat: sed semper pro ratione, cum qua concentum perfectiorē seruat, stet. Et ex his, quam uim habeat, quòd iustitia animæ partium concentus conciliatio à Theage esse definiatur, satis intelligi posse existimo. Quid uerò sibi uelit, quod ἀρετὰ τελεία καὶ πανυπερτάτα, id est, uirtus perfecta atque suprema dicatur, id quāquam ex ijs, quæ à nobis in collationis symphoniæ explicatione sunt dicta, iam apertum est, tamen quoniam eleganter admodum & peritè ab Aristotele libro Moralium ad Nicomachum quinto, ut dictum est, docetur, non grauabimur & eius disputationis summam quandam hoc loco subijcere. Cùm igitur ex eo, qui contrarij habitus est particeps, id est, iniustitiæ, quem παράνομον, id est, exlegem uocat, itemq́ subiectis & de quibus lex præcipit ducta probatione, conuenienti methodo eò peruenisset, ut iustitiam omnes uirtutes in se continere constaret, ad extremum conclusionis loco hanc infert orationem: Hæc igitur iustitia uirtus quidem est perfecta: at non absolutè, simpliciterq́, sed ad alterum: eoq́ sæpenumero uirtutum præstantissima iustitia esse uidetur, ac nec Hesperus nec Lucifer æquè admirabilis: & prouerbio dicere solemus,

Iustitiæ uirtus summatim includitur omnis.

Et perfecta maximè uirtus, quòd perfectæ uirtutis sit usus.

*usus. Perfecta autem est, quòd qui eam habeat, & ad alterum ipsa uti possit, non solum autem ipse per se. Et uniuersalis quidem iustitiæ hæc uis atque natura est. Sed hac uia ac ratione indagatis, inuentis & quasi erutis uirtutibus, tempus est ut ad autorem nostrum ueniamus, ipsumque de his disserentem audiamus.*

Cùm igitur purgatus fuerit, quó nam ipsum mittit? Intrò, inquit, ad Sciētiam reliquasque Virtutes. Quas nam tandem has? Non'ne uides, inquit, intra portam mulierū chorum, quam honesta forma, & modestæ esse uideantur, & uestitu frugali & simplici utantur: ad hæc quàm minimè fucosæ sint, & minimè ambitiosè cultæ & ornatæ, ut aliæ illæ?

*Quò purgatus à uera disciplina mittatur, interroganti Hospiti respondet Senex, intrò in tertium ambitum ad Scientiā reliquasque mitti Virtutes, quod qua ratione fiat, prius est explicatum. Deinde uerò discere cupienti, quænam hæ sint Virtutes, eas describit. Inquit igitur Virtutes esse chorum illum mulierum, qui intra portam est, hoc est, in tertio ambitu, quem antea beatorum appellauit domicilium: per chorum nimirum significans, non solum* ἁρμονίαν τακτὴν καὶ ῥυθμὸν ὡρισμένον, *id est, harmoniam ordinatam & rhythmum definitum, quæ ambo choream esse libro de Legibus secūdo uult Plato, in his cōspici, hoc est, admirabilem quendam inter has, ut superius traditum est, esse consensum: sed etiam ita aptè cohærere inter se uirtutes omnes (loquor autem de perfectis, de quibus solis hæc oratio*

*oratio est uera) ut diuelli ac distrahi nullo modo possint, necesseq́ sit, ut qui unam ex his quamlibet accipiat, reliquas quoque illicò consequentes habeat, tanquam ex uno funiculo pendentes & religatas. Cæterùm* εὐειδεῖς, *id est, honesta & pulchra forma has esse inquit; quòd nimirũ ipsius honesti & pulchri quædam sint partes & species, ex quibus id conflatur & efficitur. Atque harum quidem si uel euidentius quoddam simulachrum in conspectum uenire posset, ut inquit Plato, mirabiles amores uirtutis excitaret. Modestas autem, sic enim* τὸ εὔτακτον *hoc loco uerto, quòd tum in ipsis singulis, tum in ijs, quæ ab ipsis proficiscuntur, actionibus sermonibusq́ ordo & modus quidem spectetur. Nam* εὐταξία, *quam &* εὐκοσμίαν *alio nomine uocant, itemq́* κοσμιότητα, *nunc quidem esse definiunt,* ἕξιν τάττουσαν καὶ διακοσμοῦσαν τὰ πάθη τῆς ψυχῆς, *id est, habitum ordinantem & componentem animi affectus: nunc uerò,* ἐπιστήμην τάξεως καὶ μέτρου τῶν πρακτέων τε καὶ λεκτέων, *id est, scientiam ordinis & modi agendorum ac dicendorum. Frugali autem & simplici uestitu ipsas uti facit, utpote modestas, ut dictum est, tum quòd hic ipsis, quæ mediocritates sunt inter nimium & parum, maximè conuenire uideatur. Ad hæc & minimè fucosas, minimeq́ ambitiosè cultas & ornatas, quòd ijs, quæ per se satis sunt commendabiles, nec fuco ullo & ascita forma sit opus, ut meretriculis illis uitijs, quæ turpitudinem quidem, quam habent, tegere, pulchritudinem autem, quam non habent, fuco falla-*

*tijsq́*

*cijsq́; ementiri, ut prius est dictum, student.*

Video, inquam. Sed quæ'nam hæ uocantur? Prima quidem, inquit, Scientia nominatur. Reliquæ uerò, huius sorores, Fortitudo, Iustitia, Honesta bonitas, Frugalitas, Modestia, Liberalitas, Sufficientia, & Lenitas.

*Descriptis superiori oratione in genere uirtutibus, nunc eas singulas recenset. Primamq́; esse, inquit, Scientiam, non hoc nomine propriè nunc utens, sed uniuersam rationis compotis partis perfectionem hac uoce significans. Merito autem hanc primam facit, quòd reliquarum omnium gubernatrix sit ac moderatrix, ut prius est demõstratum. Proximã autem facit Fortitudinem, quæ animosæ partis est uirtus imperatoria, quemadmodum & id prius traditum est. Atque hactenus quidem aliquem in hac enumeratione ordinem notare est. In sequentibus uerò non perinde. Quare nec nos de hoc solliciti erimus, sed singulas uirtutes tantùm, quò pertineant indicabimus. Quæ igitur sequitur Iustitia, tum ad totam animam, tum ad cupidineam eius partem referenda est. Est enim, ut superius traditum est, hæc duplex: alia uniuersalis: alia particularis. καλοκαγαθία autem, quam nos Græcorũ imitatione, Honestam bonitatem appellamus, æstimatricis animæ partis in appetitu consistentium facultatum perfectio esse dicta est. Frugalitas autem, quam & temperantiam uocamus, rationis expertium animæ partium appetitionis uirtus est, rationis imperio obtemperantis. Peculiari tamen quadam ratione*

*cupidineæ partis uirtus esse statuitur, per quam efficitur, ut prauis uoluptatibus fruendi appetitu non incitemur. Hanc & modestiam Latini nominant: qua tamen uoce Cicero libro primo Officiorum, ad εὐταξίαν exprimendam est usus, quem & nos hoc loco secuti sumus. Cuius et si paulo antè definitio à nobis est adducta, tamen ut natura eius uniuersa magis pateat, non grauabimur, quæ loco iam citato, de ea disserit Cicero, huc trãscribere, eoq; magis, ut quid inter hanc & prudentiam, cui affinis coniunctaq; esse uidetur, intersit, cognoscatur. Inquit igitur hoc modo. Deinceps de ordine rerum, & temporum opportunitate dicendum est. Hæc autem scientia continet eam, quam Græci εὐταξίαν nominant, non hanc, quam interpretamur modestiam: quo in uerbo modus inest. Sed illa est εὐταξία, in qua intelligitur ordinis cõseruatio. itaq; ut eandẽ nos modestiã appellemus, sic definitur à Stoicis: ut modestia sit scientia earum rerũ, quæ aguntur aut dicuntur loco suo collocandarum. Ita uidetur eadem uis ordinis & collocationis fore. Nam & ordinem sic definiunt, cõpositionem rerum aptis & accommodatis locis. Locum autem actionis, opportunitatem temporis esse dicunt. Tempus autem actionis opportunum Græcè εὐκαιρία, Latinè appellatur occasio. Sic fit ut modestia hæc, quam interpretamur ita, ut dixi, scientia sit opportunitatis idoneorum ad agendum temporum. Sed potest eadem esse prudentiæ definitio, de qua principio diximus. Hoc autem loco de moderatione & temperantia &*

*harum*

*harum similibus uirtutibus quærimus. Itaque quæ erant prudentiæ propria, suo loco dicta sunt. Quæ autem harum uirtutum, de quibus iamdudum loquimur, pertinet ad uerecundiam, & ad eorum approbationem, quibus cum uiuimus, nunc dicenda sunt. Hactenus Cicero. Ex cuius uerbis patere arbitror, quòd hæc, de qua nunc agimus, εὐταξία, eadem quodammodo cum prudentia esse uideatur, utpote cùm in utranque eadem conueniat definitio, quod Cicero fatetur, partim quidem rectè, partim uerò non rectè. eoq́ mihi confusus hic hæsisse uidetur, neque se satis extricare potuisse, ut ex ipsius uerbis haud obscurè est uidere. Neque enim uniuersæ seu toti prudentiæ hanc accommodari definitionem posse putem: sed parti eius alicui, ei nimirum, de qua nunc agimus, εὐταξία. Nam cùm ut contemplatiuæ, ita & actiuæ cogitationis duplex sit uis, operatio & motus, alter quidem κατ᾽ ἀνάλυσιν, id est, secundùm resolutionē, alter uerò κατὰ σύνθεσιν, id est, secundùm compositionem eorum, quæ per resolutionem sunt inuenta: erit non immerito & huius occasione duplex ipsius uirtus: altera, quæuis eius resolutoria, quam βούλησιν esse, ex tertio Moralium ad Nicomachū libro est cognoscere (inquit igitur de hac Aristoteles inter cætera hoc modo: ὁ γὰρ βουλευόμενος ἔοικε ζητεῖν, καὶ ἀναλύειν τὸν εἰρημένον τρόπον, ὥσπερ διάγραμμα. id est, Nam qui consultat, quærere uidetur, dictaq́, ratione tanquam lineamentum resoluere) perficitur: altera uerò, qua compositoria, illa quidem εὐβουλία propriè appellata, hæc ue-*

*ro εὐταξία, cuius ſymptoma eſt concinnitas illa, qua ijs, quibus cum uiuimus, approbamur. Erit itaque hac ratione, εὐβουλία, ἀρετὴ τῆς διανοίας πρακτικῆς κατ' ἀνάλυσιν ἐνεργούσης. id eſt, uirtus cogitationis actiuæ, ſecundum reſolutionem operantis. εὐταξία uerò ἀρετὴ τῆς διανοίας πρακτικῆς κατὰ σύνθεσιν ἐνεργούσης, id eſt, uirtus cogitationis actiuæ ſecundũ compoſitionem operantis. Quæ uerò deinceps ſequitur Liberalitas, ad cupidineam pertinet animæ partem, ut prius eſt dictum. quemadmodũ & ea, quæ ſequitur αὐτάρκεια, cuius uis ſuperius eſt explicata. Cæterùm eam ſufficientiam ſumus interpretati, quòd aliam commodiorem uocem inuenire nequiuimus. Lenitas autem, quam & manſuetudinem uocant, animoſæ, ut dictum eſt, partis eſt uirtus. Atque hæ quidem ſunt, quas hoc loco enumerat Senex, nec quadripartita diuiſione, ut uidetur, contentus, nec omnes uirtutum ſpecies perſecutus: ſed harũ mentione facta, reliquas nobis cognatas ſubintelligendas relinquens.*

O pulcherrimæ, inquam ego: quàm magna in ſpe ſumus. Si quæ auditis, inquit, intellexeritis, & ad habitum eorum perueneritis. Atenim quàm maximè attendemus, inquam ego. Saluandi igitur, inquit, eſtis.

*Quantum corpori præſtat anima, tantum & ipſius pulchritudo, quæ in uirtutibus conſiſtit, corporis formæ quantumuis excellenti & eximiæ antecedit. Unde nõ malè hac permotum Hoſpitem exclamantem facit, O pulcherrimæ, & ſimul indicantem, in quàm magnam ſpem uenerint.*

*rint. Intelligit autem eam, quæ superius ipsis Senis oratione facta est, cùm diceret: Si attenderitis & dicenda perceperitis, prudentes & beati efficiemini. Atque hac quidē ipsos minimè frustrandos esse, inquit Senex, si quæ ab ipso dicuntur, intellexerint, & in habitum ducere curauerint: quod cùm se facturos polliceantur, saluandos illos esse asserit, hoc est, beatos efficiendos: quod qua ratione fiat, sequentia ostendunt.*

Cùm igitur eum receperint hæ, quo'nam abducunt? Ad matrem suam, inquit. Ea autem quæ'nam est? Beatitudo, inquit.

*A Virtutibus ad Beatitudinem hominem duci facit autor, quam ipsarum matrem esse statuit, idq́ mea sententia admodum conuenienter. Nam omne totum partibus est prius natura, ut uolunt philosophi, & inductione quadam probat Hippodamus Thurius in opere de Beatitudine. Cùm igitur Beatitudo totius, Virtutes autem ad eam collatæ, partiū rationem obtineāt, ac proinde his sit prior, merito mater earum ab autore nostro esse fingitur. Cæterùm id ipsum ut melius intelligamus, prius quid sit Beatitudo constituendum esse uidetur. Est autem neq; aliud quicquam, quod magis omniū scire interest, quàm quid sit Beatitudo: neque rursus de quo maior est inter omnes dissensio, cùm non uulgares modo à sapientibus hic plurimum dissideant: sed hi etiam ipsi, eius quæ de hoc est controuersiæ occasione, in uarias sectas sint diuisi. Causa autem tantæ dis-*

crepantiæ, ut summatim complectar, est, quòd non ad totam eam omnes, sed alij ad aliam eius partem cogitatione deducti, aut aliquid certe eorum, quæ instrumentorũ ipsi usum præstent, hæc pro tota ipsa sint amplexi. Atque huius rursus ipsius magna ex parte occasio est, uitæ generis, quod quilibet sequitur, discrimẽ. Itaq; uidere est, uulgariũ alios, ueluti pecora, pronos atq; uentri obedientes omnem felicitatem in uoluptate ponere: alios uero quæstuosos in diuitijs. Qui autem his paulo sunt erectiores & actuosi magis honorem, ad quem animosæ partis ratione naturalem quodammodo cõciliationem habemus, summi boni loco sectantur. Alij uerò rursus & his ipsis magis adhuc humo excitati celsioresq; facti, hæc omnia, tanquam infra hominis dignitatem posita, despicientes, prudentiã, quæq; cum hac necessario cohærent, uirtutes reliquas ueram esse beatitudinem uolunt. Animaduertunt enim hi, quam mentis & cogitationis actiuæ occasione, ad uirtutem & honestatem conciliationem sortiti sumus. Quemadmodum & alij arbitror eam, quæ nobis est ad præstantissimarũ, sublimium & diuinarum rerum cognitionem propter mentem & cogitationem contemplatiuam, qui ab omnibus ciuilibus munijs & mundi huius occupationibus sese abducentes, & uitam uiuentes sublimipetam, quietæq; commentationi ac meditationi indulgentes in contemplatione & sapientia tanquam bonorum extremo acquiescunt. Rursus autem nonnulli ueluti perspicaciores, non unum aliquod

ex his,

*ex his, sed uel duo, uel plura coniungentes beatitudinem esse statuunt. Qui uerò omnibus eam numeris absolutam nobis proponerent, aut nullus, aut certè rarissimi inuenti sunt, & hi ipsi, nescio quomodo, non ubique satis sibi consentanei. Uerùm has nunc examinare opiniones, minimè nobis propositum est: sed illud potius inquirere, quænam uera sit beatitudo, & ex quibus partibus constet. Cæterùm nobis nunc sermo, non de ea, quæ alterius & æternæ est uitæ: sed quæ hic obtineri potest: quæ est alterius illius imago quædam & similitudo. Cùm igitur hæc beatitudo, ut omnium notione comprobatur, commoditas prosperitasq; uitæ & actionum sit, quam Græci εὐζωΐαν & εὐπραξίαν nominant, non in alio certè, quàm tum naturæ hominis absolutione perfectioneq;, tum in sufficienti rerum affluentia & abundantia consistet. Atque hoc quidem ita se habere nō aliunde melius perceperimus, quàm si hominis naturam diligentius aliquanto intueamur. Primùm igitur quòd ex corpore constet & anima, atque hac quidem ut domina, illa uerò ut seruo: quodq; anima rursus ex tribus illis partibus qua ratione explicatum est, ad se mutuo affectis ijsq;, quas diximus, instructis facultatibus, quasi compacta & coagmentata sit, ex ijs, quæ in præcedentibus disseruimus, satis nunc perceptum existimo. Quare hoc loco, ea tanquam hypothesis quædam, sint subiecta. Illud igitur quod his proximum est consideremus, ijs instructus, quas cōmemorauimus, facultatibus, qua ratione in hoc mundo collocatus sit,*

*id est,*

id est, quis ordo ipsi datus, & cuius muneris colendi efficiendiq; causa natus & in lucem editus sit. Sanè quod deo quidem longè sit inferior, brutis autem animalibus præstantior, nemo est qui ignoret. Nam deus quidem, cum natura sit bonus, naturaq; beatus, ipse ex seipso aptus, & omni ex parte perfectus est. Bruta uerò animalia rationis expertia cùm sint, neque uirtutis, neq; beatitatis sunt capacia. Homo autem, utpote horum in medio constitutus, cùm rationis & actionis sit compos, & uirtutis & beatitudinis particeps fieri potest: sed cùm harum neutram natura habeat, partim quidem insitis causis huc proficit, partim autem externarum indiget. Ac præcipuè quidem potißimumq; diuini numinis auxilio gratiæq; suppeditatione ipsi est opus, quòd ex hoc inexhausto fonte omnis sapientia & quicquid usquã est boni uberrimè promanet. Iam uerò & alijs quibusdam adminiculis, quæ dei quæpiam sunt hominibus ad bonum tanquam instrumenta, ut doctoribus, præceptoribus, magistris, legibus, & consimilibus quibusdam, de quibus mox dicemus. Neque uerò hæc solum, quantum ad iam dicta pertinet, animaduertenda existimo: sed etiam illa non minus, Deum hominem, quod rectè indicauit Euryphamus Pythagorus, præstantißimũ animal, huius mundi incolam atque habitatorem fecisse, propriæ quidem naturæ dignitatis consortem: rerum uerò dispositionis atque ornatus spectatorem. Quare tum nomina rebus imposuit, ipsarum character effectus, tum literas inuenit, memoriæ thesau-

thesaurũ ipsas comparans. Sed & uniuersi designationẽ & apparatum imitatus est, iure ac legibus ciuili cõmunitate cõiuncta & cõsociata. Neq; enim quicquã æquè mundi decorem exprimit, & dijs dignũ opus ab hominibus designatum est, quàm ciuitatis bene legitimeq; constitutæ coniunctio, & legum ac reip. descriptio. Hominum enim unusquisque, cùm ipse per se nullus sit, ne ad uitam quidem degendam, communi concordia & reip. consociatione tum ipse per se suppeditat, tum ad totum perfectumq; communitatis cœtum congruens & aptus efficitur. Ex quibus Euryphami uerbis colligere est, hominem tum ciuem mundanum esse, & in hac quasi rep. eum obtinere locum, ut bestiarum & terrenarum & aquatilium & uolatilium, quod & sacræ docent literæ, simpliciterq; terrenorum commodorum omnis in ipso sit dominatus, ipse autem rursus deo sit subiectus: tum congregabile natura & ad societatem communitatemq; ciuilem accommodatum animal, non solum sermonis reliquarumq; animi opportunitatum occasione, quod acutissimè libro primo Politicorum docet Aristoteles, sed etiam usus & indigentiæ, cùm tantum absit, ut ad commoditatem prosperitatemq; uitæ quilibet per se peruenire possit, ut ne uiuere quidem omnino extra hanc societatem posse uideatur. Est enim omnino homo sibi relictus, animal imperfectum. Absoluitur autem & perficitur, partim quidem à causis insitis atque innatis: partim uerò ab externis & aduentitijs. Et ab internis quidem, in-

*genij bonitate, uirtutis indole, uoluntate & electione. Externis uerò, tum diuini numinis, ut dictum est, auxilio gratiæq́ suppeditatione, quæ qua ratione ipsi contingant, & quomodo insitæ causæ his cooperentur, non malè, ut gentilis, mihi tradidisse uidetur Euryphamus, cùm inquit:* τῷ μὲν γὰρ λόγῳ τυπωτικὸς ἦμεν, καὶ καλῶν καὶ αἰσχρῶν νοατικὸς καὶ τῷ ὀρθῶς ἀπὸ γᾶς ἀνακεκλίσθαι, καὶ ἐς ὠρανὸν ἀποβλέπειν, καὶ θεῶν τῶν ἀνωτάτων νοατικὸς ἦμεν, ταύτᾳ δὲ, καὶ τᾶς ἐκ τῶν θεῶν ἐπικουρήσιος τέτευχε. τῷ δὲ βούλησιν ἔχειν καὶ προαίρεσιν, καὶ ἀρχὰν ἐν ἑαυτῷ τοιαύταν, καθ᾽ ἂν κύριος οὗτός ἐντι καὶ ἀρετὰν ἐπιταδεῦσαι, καὶ κακίαν ζαλῶσαι, καὶ θεοῖς πεπιθῆσαι, καὶ ἀπὸ θεῶν ἀποτραπῆμεν, ταύτᾳ δὲ καὶ καθ᾽ αὑτὸν κινέεσθαι δυνατός ἐντι. διὸ καὶ ψόγων καὶ ἐπαίνων, καὶ τιμᾶς καὶ ἀτιμίας, τὰ μὲν, τᾶς ἐκ τῶν θεῶν, τὰ δὲ, καὶ τᾶς ἐκ τῶν ἀνθρώπων τυγχάνοντι τοὶ ἤτοι ἀρετὰν, ἢ κακίαν ζηλώσαντες. *id est, Nam quatenus rationis informatiua ui pollet, & honesta ac inhonesta animo concipere potest, & humo erectus & celsus effectus est, ac cœlum intuetur, & ad summorum deorum cogitationem assurgit: hac uerò parte deorum auxilij compos est factus. Quatenus uerò uoluntatem & electionem obtinet, principiumq́ in seipso huiusmodi, quo dominus est & uirtutis exercendæ, & uitij consectandi, & ad deos sese applicandi, ab ijsdemq́ auertendi: eatenus sanè ex se & sua sponte moueri potest. Quare & uituperationem & laudem, ignominiam & honorem, tum quæ à deo est, tum quæ ab hominibus assequuntur, qui aut uirtutis, aut uitij sunt æmuli: tum ea, quæ Græcis* εὐνομία *dicitur, id est, legum præstantia & uirtute, quæ in duobus, ut quarto Politicorum*

*docet*

docet Aristoteles, cōsistit, tum ut ipsæ leges rectè sint constitutæ, tum ut ipsis rectè positis obtemperetur. Quod cùm præcipuè in magistratu sit situm, erit nimirum & is aliqua, nec ea minima externarum, quas diximus, causarum portio. Ad hæc & parentes, præceptores, magistri, concionatores, ijq́ qui in priuata confessione homines instruunt, & quicunque amicorum & admonitorum personam sustinent. Omnes enim hi, si rectè officio suo fungantur, dictu mirum, quantum ad hominem perficiendum contulerint: ut contrà plurimum oblæserint, uel officio deserendo, uel uitiosè ac malignè præstando. Et hominis quidem perficiendi hæ & his consimiles sunt causæ. Est autē eius perfectio duplex: altera, quæ in natura eius spectatur: altera, quæ in uita: & ab illa quidem bonus appellatur, utpote uirtute præditus: ab hac uerò & beatus. Est enim beatitudo, uitæ humanæ perfectio, εὐζωΐα quædam cùm sit. Cæterùm cùm uita humana, actionum quædā coniunctio congregatioq́ sit, eadē & εὐπραξία seu εὐπραγία nō malè appellatur. Videamus igitur, huiusmodi εὐπραγία in quibus consistat, & ex quibus ueluti partibus cōiungatur. Hippodamus certè Thurius & Euryphamus Pythagoreus uirtute hāc & fortuna cōtineri uolunt: sed ita de fortuna loquūtur, ut hic per τυχὴν seu potius εὐτυχίαν, externa appellata bona, cū ijs, quas habent, cōmoditatibus, oportunitatibus, & usibus intelligere uideatur, quemadmodū & Crito in ijs, quæ superius ipsius sunt citata, cùm de Fortuna ageremus. In-

quit igitur in opere De uita hoc modo: Nam beatitudo perfectio & complementum est humanorum bonorum. Quamobrē rursus uirtus & secunda fortuna partes sunt eius, quæ ipsis subiecta est uita: ut uirtus quidem, animæ locum obtineat: secunda autem fortuna corporis: utrunque uerò simul, animalis. Alterius enim est rectè uti iis, quæ secundùm naturam sunt, bonis: alterius uerò usum sui præbere. Et rectè quidem uti, uirtutis: usum autem sui præbere, fortunæ est secundæ. Et illius quidem, tum uoluntatem, tum rationem rectam præstare: huius uerò opera & actiones. Nam quæ honesta sunt uelle, arduaq́; sustinere, uirtutis proprium est: rectum autem cursum tenere, uoluntatis: ad finem autem actiones perduci, secundæ fortunæ. Nam dux uirtute & fortuna uictoriam consequitur: & gubernator arte secundisq́; uentis usus prospere nauigat: & oculus rectè uidet acuminis uisus & luminis beneficio: ac uita hominum optima efficitur & propter uirtutem ipsam, & propter secundam fortunam. Et hæc quidem Euryphami sunt uerba: quæ manifestè, ea, qua diximus, significatione, ἐυτυχίας nomine ipsum uti declarant: primùm quòd uirtutem, in beata uita, animæ & utentis locum obtinere, fortunam autem secundam, corporis & instrumenti, quodq́; sui usum præstat, uelit. deinde quòd in subiiciendis seu exemplis, seu similibus, secundis uentis & lumini ipsam adsimilet, quorum utrunque medii & instrumenti cuiusdam rationem sustinet. Quare eius nimirum hæc de beatitudi-

ne erit ſententia, ut uirtutem eam eſſe dicat ſuppeditatam: à qua opinione nec Ariſtotelem alienum eſſe patet, in quibus inquit, τί οὖν κωλύει λέγειν εὐδαίμονα, τὸν κατ' ἀρετὴν τελείαν ἐνεργοῦντα, καὶ τοῖς ἐκτὸς ἀγαθοῖς ἱκανῶς κεχορηγημένον, μὴ τὸν τυχόντα χρόνον, ἀλλὰ τέλειον βίον. id eſt, Quid igitur prohibet, quo minus beatum dicamus eum, qui ſecundùm perfectam operatur uirtutem, cuique externa abundè ſatis ſuppeditant bona, non cuiuſuis temporis ſpatio, ſed totius & perfectæ uitæ. Unde rectè Cicero libro de Finibus bonorum & malorum ſecundo inquit, Ariſtotelem ad conſtituendam beatitudinem, uirtutis uſum, cùm uitæ perfectæ, id eſt, integræ ac totæ, proſperitate coniunxiſſe. Hippodamus autem Thurius, quod & ſuperius eſt indicatum libro commentariorum tertio, per ſecundam fortunam diuiniorem quandam cauſam intelligere uidetur, ipſam nimirum diuini numinis omnia gubernantis prouidentiam, quanquam interdum cum hac & fortunæ appellata bona coniungat, cùm inquit: Ei enim, qui prudentiam habet, ſecunda fortuna, & bona, & utilis eſt: & bona quidem, propter uſus cognitionem: utilis uerò, quòd actionibus adiumento ſit. Præclarum igitur, cùm fortuna ſecunda menti coniungatur, quaſi ſecundo currentem uento, ad uirtutem intuentem actiones dirigere, perinde ut gubernator ad aſtrorum motus. Sic enim non ſolum deum ſequetur, ſed etiam humanum bonum cum diuino coniunget. Atqui & hoc manifeſtum eſt, quòd ex animi affectione & actione uitæ diuerſi-

tas pendeat. Necesse est enim, animi quidem affectionem uel bonam, uel malam esse: actionem autem, aut felicem, aut infelicem. Et affectionem quidem bonam, quæ uirtutis est particeps: malam uerò, quæ uitiositatis. Actiones autem, felices, in secunda fortuna: Ad rationis enim arbitrium terminantur & concluduntur: infelices, in aduersa. Nam euentu & quasi conclusione frustrantur. Neque uerò id mirum uideri debet, quòd ea, in quibus secunda & aduersa fortuna uersari creditur, bona, cum diuina coniungat prouidentia. Nam eius opinionis fuisse uidetur, quam ego longè omnium uerissimã existimo, eos, qui deum sequuntur, & uirtute animum instruere conantur, ipsi præcipuè curæ esse, eoq; non solum ipsis, quãtum expediat, & corporis & externorum bonorum suppeditare: sed etiã, quod maius est, efficere ut quæ absolutè quidẽ semper sunt bona: alicui uerò non semper, ut quinto Ethicorum inquit Aristoteles, ipsis quoque sint bona: ut & huic in duobus his consistat uniuersa hominis beatitudo, uirtute nimirũ, & diuina circa ipsum prouidentia, cuius & pars est quæpiam, corporis & externorum bonorum, cum opportunitatibus & usibus suis, suppeditatio. Atq; hæc quidem ipsius de beatitudine si sententia est, ut mihi ex eo, quod eius de beatitate habemus fragmentum, conijcienti propemodum uidetur, non multum à ueritate abesse ipsum iudicem, neque multum abhorrentia ab ijs statuere, quæ libro primo Originum, seu Antiquitatum Iudaicarum scribit Iosephus,

phus, & caput esse uult totius doctrinæ, quæ libris suis continetur. Uniuersè igitur, inquit, hoc maximè quispiam ex hac discat historia, si eam perlegere uelit, qui dei quidem uoluntatem sequuntur, & quæ rectè legibus sunt constituta transgredi uerentur, ijs, suprà quàm sperari possit, omnia prosperè euenire, præmiumq; beatitudinem à deo propositam esse. Quatenus autem ab horum exquisita obseruatione recedunt, impedita quidem & quæsitu difficilia redduntur, & quæ parabilia sunt maximè & expedita: conuertitur autem ipsis in calamitates immedicabiles, quodcunque tandem boni, ut ipsis uidetur, agere conantur. Cæterùm ut semel sermonem hunc absoluamus, & quid beatitudo sit concludamus, dicimus, cùm tria sint, ut Peripatetici uolunt, bonorum genera: & alia quidem animæ: alia uerò corporis: alia autem præter hæc, quæ externa uocãtur bona: in horum ad se mutuo symmetria, id est, moderatione, & quasi temperamento ac conuenientia, uniuscuiusque beatitudinem consistere. Porrò hanc æstimandam esse ex ea, quæ cuiq; imposita est persona, tum in ipso uniuerso, tum ciuili, & omnino qualibet societate. Exempli causa sit priuatus quispiam, neque in ecclesiastica aliqua dignitate constitutus, nec cum potestate publica uel imperio ullo. Hunc, si quidem tantam diuinarum rerum cognitionem habeat, ut secundùm rectam opinionem, quæ symbolis, decalogo, alijsq; similibus ad uulgi institutionem accommodatis compendijs continentur, quæq; in

concio-

*concionibus à pijs ac prudentibus diuini uerbi dispensatoribus ipsi proponuntur, aut etiã priuata in confeßione, instructione discere potest, animo perceperit: ea autem pietate ac iustitia præditus sit, ut & deum & diuina secundùm catholicæ ecclesiæ ritum, à Christo, Apostolis, & apostolicis uiris ac patribus acceptum, religiosè colat, & mandata reuerenter obseruet: ad hæc autem neq; ea cõmuni destitutus sit prudentia, qua rectè domui suæ præesse poßit, & quam exercet artem, commodè & utiliter exercere, & sicubi quid eũ fefellerit, uel in arte, uel in re fam. aut omnino in uita, quæ ferè humanarũ rerum conditio est, & se peritiorem consulere, & rectè monentem sequi: animi insuper ea sit tum magnitudine & robore, ut nec in artis operibus, nec in rei fam. administratione mollitie & ignauia impediatur, strenueq;, quæ ad uitam degendã sunt neceßaria, comparet, & aduersa, si quæ occurrant, fortiter ferat: tum lenitate rursus, ut amico aut etiam alij cuiuis apud ipsum & cognoscendi & ignoscendi detur peccati locus, illudq; Pythagoræ obseruare queat,*

Μὴδ' ἔχθαιρε φίλον σὸν ἁμαρτάδος εἵνεκα μικρῆς
ὄφρα δύνῃ. δύναμις γὰρ ἀνάγκης ἐγγύθι ναίει.

*Porrò autem & eius sit temperantiæ ac modestiæ, liberalitatis & iustitiæ, ut nec à uentre & uoluptatibus abductus opus suum & officium deserat: sed deo, ecclesiæ, rationi rectæ, legibus, magistratibus, omnibusq; simpliciter superioribus debitam obedientiã præstet, minimè curiosè in ea inquirens,*

*quirens, quæ ab ipsis aguntur ac præscribuntur: nec illius præcepti immemor,*

Μὴ δαπανᾶν παρὰ καιρὸν, ὁποῖα καλῶν ἀδαήμων
Μηδ᾽ ἀνελεύθερος ἴσθι, μέτρον δ᾽ ἐπὶ πᾶσιν ἄριστον.

*aut effusè sumptũ faciat, aut parcè atque restrictè nimiũ: neque uerò auarè pretium arti statuat suæ, & quomodocunque per fas nefasq; opes opibus accumulare studeat, sed honestis ac legitimis rationibus sibi necessaria comparet: in summa quis ipsi ordo & in mundo, & in rep. & in re familiari, & alia quauis societate datus sit intelligens, & superioribus & inferioribus & æqualibus suum unicuique pro cuiusq; dignitate tribuat: atque his quidem animi dotibus ornatus sit: corporis autem & sensuum ea sanitate, firmitate ac forma uigeat, quæ ipsius uitæ generi maximè est conueniens: quod uerò ad externa attinet bona, diuitias, generis honestatem, amicos, bonam existimationem, potentiam, reliquaq; id genus suæ conditioni cõsentanea habeat, hunc inquam ego uerè beatum existimem, & in suo genere non minus, quàm alium quemuis, cui etiam hæc omnia decuplo ampliora contigerint. Sic enim instructus, id est, eò animæ & corporis perfectionis cùm peruenerit, eaq; externa bona, uitæ quasi instrumẽta, adeptus fuerit, suo optimè officio satisfaciet, ac proinde commodè prosperéq; aget & uiuet, quòd Græci* εὖ πράττειν *&* εὖ ζῆν *uocant, idemq; esse secundùm communem intelligentiã statuunt* τῷ εὐδαιμονεῖν. *Rursus autem sit, ut aliquis publicam personam su-*

 *stineat,*

ſtineat, ut Seuatoris. In hoc, quoniam conſilio & prudentia remp. regere debet, ut ſuſceptum munus commodè expleat, & per hoc beatitudine ſibi conueniente fruatur, liberalis doctrina atque ingenua, & diuinarum atque humanarũ rerum notitia haud uulgaris requiritur, ut quorum theologi ac philoſophi ſcientiam ſunt aſsecuti, his ipſe ſit eruditus. Ad horum autem modum & pietatem ac religionem auctas eſſe oportet. Cæterùm prudentia in ipſo ſumma ſit neceſſe eſt: animi autem fortitudo, nõ tanta quidem, quanta in imperatore & exercitus duce, ſed quæ quàmmaximè ſuo ſit conueniens officio. Atque ut ſummatim de reliquis uirtutibus, corporis & externis bonis dicamus, omnium horum modus ex officio perſonaq́, quam in rep. tueri debet, metiendus eſt, ut & hunc tum conuenientem ſibi beatitudinem aſsecutum dicamus, cùm hæc omnia & ad ſe mutuo & ad perſonam, quam gerit, debitam ſymmetriam ac conuenientiam obtineant. Et id quidem ſi in omnibus alijs ſeruetur perſonis, non ſolum ſingulæ, ſed & tota ipſa reſp. hoc modo beata eſt futura, non ſecus, arbitror, quàm totum corpus ſanitate fruitur, omnibus in eo tum ſimilaribus, tum inſtrumentarijs partibus ad naturæ ſuæ abſolutionem perductis. Ac ipſius quidem beatitudinis ſubſtantia, notioni eius quàmmaximè conſentanea, hæc fuerit. Cauſæ autem eius, formalis quidem, uirtutes, eæq́ potiſsimum, quæ rationis ſunt compotis animæ partis, & quæ ab his proficiſcũtur actiones: materialis autem

tem

*tem & instrumentaria, corporis & externa bona: efficientis uerò rationem obtinent, tum quas superius & insitas & externas hominis absolutionis diximus causas, tum artes, exercitationes, experiẽtiæ, reliquaq; his finitima, quorum partim ad animum, partim ad corpus, partim ad externa referuntur bona. Cùm autem ipsa beatitudo sit finis, non alia finalis hic est quærenda causa, nisi quis forte eam, quæ hominis est, ad reip. aut etiam totius beatitudinẽ referendam censeat. Sed noster autor in Stoicorum dogmatibus acquiescens, in sola uirtute beatitudinem ponit, hancq; sibi ad omnia sufficere uult: quod, ut aliquo genere fortasse minimè absurdum, ut postea ostendemus, ita, qua Stoici id ratione intelligunt, non modo falsum, sed etiam impium planè uideatur, eoq; magis, quòd ne ipsam quidem uirtutem nos deo acceptam referre debere arbitrentur. Sed his explicatis, iam ad nostrum autorem reuertamur, ostendamusq; rectè beatitudinem uirtutum matrem ab ipso dici, non solum ob id quòd totius ad ipsas rationem subeat, ut prius est dictum: sed etiam quòd finis, ex quo, tanquam radice quadam, omnia quæ ad ipsum referuntur nasci & produci uidentur: cuius etiam occasione, optimè uirtutum mater beatitudo iudicabitur.*

Cuiusmodi autem hæc est? Vides'ne uiam illam, quæ in sublime illud ducit, quod omnium est ambituum arx? Video. Atqui in uestibulo mulier quædam constanti ætate ac honesta forma in alto solio sedet ornata liberaliter, & minimè operosè, & corona florida admodum pul-

chrè redimita. Ita se res habere uidetur. Hæc igitur Beatitudo est, inquit.

*Pulchra hæc est & exquisita Beatitudinis descriptio, in qua singula diligentius sunt consideranda. Nihil enim otiosum in hac, nihil superuacaneum: sed quodlibet certam quandam uim obtinet. Illud igitur primum, quod in summo ipsam collocat, extremum bonorum & finem eam esse ostendit, in quo tutè acquiesci potest. Deinde quod summū illud,* ἀκρόπολιν, *id est, summam ciuitatem, quam nos arcem sumus interpretati, facit, eo significare uult, summam humanæ uitæ, ut prius traditum est, hanc esse perfectionē. Tertio uerò, quòd in uestibulo, & alto solio eam sedere inquit, id partim nobis, quòd exposita accessuq́ue facilis iis, qui per uirtutes ad ipsam contendunt, partim quòd celsæ, cōstãtis & firmæ sit naturæ declarat. quod item per constantem ætatem indicari arbitror. Est autem constans ætas, (Græci* καθεστηκυῖαν ἡλικίαν *nominant, & qui hanc habent uiros quidem, etiam absolutè* καθεστηκότας, *mulieres autem* καθεστηκυίας, *quod hic à nullo interpretum animaduersum miror, maximeq́ue quòd nonnihil alioqui incōmodi hæc oratio habere uideatur, quæ stantem sedere faciat) media inter* ἀκμὴν, *quam superius* μέσην καὶ κεκριμένην ἡλικίαν *nominauit, & senectutem, ut docet Galenus in explicatione illius Hippocratis aphorismi, cuius initium est, Senes tolerantissimè inediam ferunt. Inquit enim hoc modo:* καθεστηκότας δὲ λέγει δηλονότι τοὺς τὴν μέσην ἔχοντας ἡλικίαν ἀκμῆς τε καὶ γήρως, ὡς

πάντες

πέπαυνται μὲν ἤδη τὰ τῆς ἀκμῆς, μηδέπω δὲ μηδεμίαν αἴσθησιν σαφῆ γήρως ἔχειν, οὕτω δὲ καὶ Θουκυδίδης εἶπε, τοὺς ἐν τῇ καθεστηκυίᾳ ἡλικίᾳ. id est: Constantis autem ætatis dicit nimirum eos, qui mediam ætatem obtinent inter summum incrementum & senium, ut quæ summi quidem sunt incrementi iam cessent, nondum tamen manifestus senij sensus adsit. Sic uerò & Thucydes inquit, eos, qui constanti sunt ætate. Ac uocis quidem καθεστηκυίας hæc uis est & potestas. Sed hoc loco nec illud prætermittendum arbitror, quod nobis ad hunc locum rectius explicandum non inutile est futurum, Ciceronem eodem, quo hic Hippocrates, modo, in libro de Senectute, ætates, quadrifariam distinxisse, ac unicuique suum quoddã ac proprium, nõ corporis ratione, ut medicum, sed animi potius, ut philosophum, cuius hic personam sustinet, tribuisse, cùm inquit: Cursus est certus ætatis, & uia una naturæ, eaq; simplex, suaq; cuiq; parti ætatis tempestiuitas est data. Ut enim infirmitas est puerorum, & ferocitas iuuenum, & grauitas iam constantis ætatis, sic senectutis maturitas naturale quiddam habet, quod suo tẽpore percipi debeat. Et Ciceronis quidem uerba, quibus ætatũ discrimina proponit, hæc sunt, quæ ut à pluribus & leguntur, & passim in scholis præleguntur, ita à paucissimis intelligi sat scio. Quare ea hoc loco, præcipuè autem, quòd maximã in se & ad plurima utilitatem contineant, latius aliquanto explicare non grauabor, à tali principio exorsus. Cùm primum in lucem editus est homo, quòd continuò, alia æta-

 te aliam

te aliam excipiente, ad senectutem, tanquam extremum uitæ actum, progrediatur, neque à posteriore aliqua ætate, ut de Aesone fabulantur Poëtæ, ad priorem ipsi detur regreßus, id uerò omnibus manifestum eße existimo: atque id est, quod Cicero inquit, cursum ætatis certum eße, & uiam naturæ unam, eamq; simplicem. Quod uerò deinceps sequitur, ad id pertinet, ut ætatum discrimina notentur. Inquit igitur, suam cuiq; ætatis parti, quas & ipsas ætates appellare non raro solemus, tempestiuitatem eße datam, id est, propriam quandam conditionem & oportunitatem. Et pueritiæ quidem infirmitatē, non illam corporis, quam & ipsam tamen habet, quod quis forsitan ex præcedentibus suspicetur (neque enim uerisimile est, cùm reliqua ad animum pertineant, hic ipsum ad corpus respexisse) sed animi, quàm Græci ἀκράτειαν appellant. Neque uerò malè hanc ei ætati affectionem tribuiße mihi uidetur, quod & quemuis alium iudicaturum existimo, si diligentius aliquanto & ætatis huius naturam, & affectionis rationem ac conditionem contemplatus fuerit. Nam cùm in hac ætate maximè dominetur, ac propemodum sola uigeat ea animæ pars, quæ cupiditatis est, ratio autem in hac, quo ad usum certè, aut nulla, aut imperfecta sit, fit ut in corporeas uoluptates, ad quas eius partis, ut dictum est, occasione conciliationem naturalem obtinet, & quæ in his uersantur uitia tota propendeat, nec sese firmare ac continere ullo modo poßit. Quare rationis externæ indiget, quæ ipsam

ducat & contineat, dolore quidem & metu à uitijs & noxijs uoluptatibus absterrens: uoluptate autem naturali ac præmij alicuius, qua ea maximè ætas capitur, spe ad uirtutem & honestatem alliciens atque excitans. Ad hæc autem, cùm quasi cerea sit tota, sibi relicta diffluit: commodum autem institutorem nacta, ad eius facile arbitrium formatur & fingitur. Optima itaque ratione infirmitas pueritiæ à Cicerone est tributa, id est, ea affectio, qua sese à uitijs & noxijs uoluptatibus qui in hac sunt constituti continere nequeunt. Sed & adolescentiæ seu iuuentuti (nam has uoces pro eodem non raro, licet aliàs distinguantur, usurpat Cicero, itaq; libro de Inuẽtione primo, consimili ut hic modo ætates diuidens, quos hic iuuenes, ibidẽ adolescentes uocat) conuentissima ratione ferocitatem assignat, quòd in hac plurimum polleat animosa pars. Itaque ut illa uoluptaria, sic hæc bellicosa est. Utrique autem & corporis, quæ animi facultati & affectioni respondeat, constitutio est data: illi quidem humidior, mollior, & delicatior: huic uerò compacta magis, neruosa & robusta. Iam uerò & tertiæ illi, quam constantẽ ætatem nominat, optimo iure grauitatem dat, siue per hanc uocem illam δεινότητα intelligamus, cuius libro sexto Ethicorum mentionem facit Aristoteles, siue uitæ morumq; seueritatem in dictis factisq; elucentem. Nam utraque eius est, quæ ad munera publica & ciuilia obeunda iam habilis & apta est, hoc est, politicæ, quod cuius animæ seu partis, seu facultatis, itemq;

conci-

conciliationis occasione ipsi accidat, ex superioribus manifestum est. Sed & in hoc corporis habitudo huic animæ constitutioni pulchrè consentit. Neque enim, ut præcedentis illius ætatis, maximis uiribus firmissimoq; robore pollet, ut uehementissimis illis & uiolentissimis bellicis exercitationibus & motibus par sit: neque rursus, ut senectutis, prorsus imbecilla est & inualida: sed medio quodam modo affecta, ut ciuilibus obeundis negotijs facile sufficiat. Senectuti autem, utpote corporis uiribus destitutæ, sapientia autem & prudentia ex multiplici rerum usu, & ætatis progressu instructæ, maximè conuenire maturitatem, non solum ex hoc cognoscere est, quòd consilio, in quo, si usquam alibi, illud certè Græcorum non ignobile prouerbium, σπεῦδε βραδέως, obseruandum est, plurimum ualeat: sed etiam, quòd in hac, anima alteri iam uitæ, quasi matura & cocta, parata, deo & natura iubente, nullo negotio à corpore auellatur. Atque hæc quidem uerborum Ciceronis, mea opinione, est sententia. Nunc ad autorem reuersi, quamobrem constantis beatitudinem ætatis esse fingat, accuratius consideremus. Videtur enim aliquo modo hæc minus ipsi conuenire ætas, sed uel, quam postremo tractauimus loco, senectus, & non ea solum ratione, quòd & senectus & beatitudo, ambo extremi finisq; rationem obtineant, hæc bonorũ, ætatum illa: sed etiam, quòd omnia animi bona in hac ætate ad summum uideantur perducta: uel ea, quam superius Veræ disciplinæ tribuit, quæ non modo adolescentiæ & constan-

constantis huius, uerum etiam omnium simpliciter ætatum in medio est constituta, Græcis ἀκμὴ dicitur, quasi ætatis acumẽ, in qua facultates omnes ad summam à natura uidetur perductæ absolutionem. Quid igitur ad hæc dicemus? An scilicet senectutem quidem idcirco ab autore nostro ipsi non datam, quòd inclinationis cuiusdam, occasus ac interitus rationem quodammodo subeat, & non sic finis sit, ut gratia cuius aliquid fit, sed ut proximè rei dissolutionem & corruptionem præcedens? Quòd autem in ea animi bona ad summum peruenisse dicantur, id nihil ad rem facit. Nam autor à rebus apparentibus & corporis constitutionibus similitudines ducit, quas ad res ad animum pertinentes applicet. Ipsum autem summum incrementum, quod per ætatis feruorem Ciceronem indicare uoluisse arbitror, eam ob causam beatitati minus conuenire uidetur, quòd concitatioribus adhuc ea ætas utatur motionibus. Quare Veræ disciplinæ aptior erit, cui cùm ignorantia & Falsæ eruditionis persuasione aliisq; id genus monstris pugnandum est. Beatitudini autem ea magis consentanea, quæ paci & quieti accommodatior, & politica superius esse dicta est, in qua & ætatis ille feruor iam deferbuerit, nec ulla tamen inclinationis adhuc appareat nota. Et eam quidem ob causam hanc ipsi ætatem dedit autor. Ornatam autem liberaliter & non operose idcirco eam dicit, quòd αὐτάρκεια, de qua superius est dictum, eius pars nõ minima sit. Eamq; adeo ob causam Aristoteles ex hac de

*Beatitudinis substantia constituere libro primo Ethicorum conatur. Corona uerò florida pulchrè admodũ ipsam redimitam facit, simul perpetuam eius uiriditatem & florem indicare uolens, simul quòd uitæ dignitatis maximũ sit & firmissimum ornamentum. Et hæc quidem apud autorem nostrum Beatitudinis est descriptio, & descriptionis uis & potestas. Nũc quod eiusdem sit opus & officium, audiamus.*

Atenim huc quis cùm accesserit, quid'nam ipsa facit? Coronat ipsum, inquit, sua facultate ac ui Beatitudo ac reliquæ Virtutes omnes, ut maximorum certaminum uictorem.

*Qui ad Beatitudinem accedit, coronari ab ipsa, inquit, & omnium quidem, quæ inueniri possunt, coronarum genere præstantissimo, ipsius nimirum ui & potestate, quæ cuiusmodi sit, paulo post explicabit. Consimili autem modo & à reliquis Virtutibus. Nam & harum quælibet sua ui ipsum coronat. Itaque ut à Beatitudine beatus redditur, sic & à Prudentia prudens, Fortitudine fortis, Temperantia temperans, Iustitia iustus, & reliquarum qualibet pari ratione nomen sortitus. Neque uerò gratuito hanc ipsi coronam conferri, inquit: sed propter uictoriam, quam ex maximis certaminibus ab hostibus teterrimis reportauit, quæ cuiusmodi sint, deinceps subijcit.*

Et quorum tandem certaminum hic uictor extitit? inquam ego. Maximorum, inquit, & maximarum belluarum, quæ prius ipsum depascebant, cruciabant, & in seruitutem

uitutem adducebant; has omnes deuicit, & à se abegit, seq́ue in suam ditionem & potestatem redegit, ut illæ nunc huic seruiant, perinde ut hic illis prius.

*Quorum certaminũ uictor hic extiterit, & cuiusmodi ea sint, quæ deuicerit, docere aggreditur. Et primo quidem, cùm duo sint bellorum genera, ut prius est dictum, alterum intestinum & quasi ciuile: alterum uerò externum, utriusque ipsum uictorem pronũciat. Nam & quæ extrinsecus in animum irruperunt, uel potius obrepserunt uitia profligauit, & inferiores animi ratione carentes partes insolentius sese efferentes coërcuit ac repreßit, & sub rationis imperiũ subiunxit. Sed qua ratione autor hasce duas nobis describat uictorias, operæpretium est intueri. Itaque cùm inquit, & maximarum belluarum, quæ prius ipsum depascebant, cruciabant, & in seruitutẽ adducebant: has omnes deuicit & à se abegit: externi nobis belli uictoriã proponit, quo immanes & tetras illas belluas, Incõtinentiam, inquam, Luxuriam, Inexplebilem auiditatem, Aßentationem, & Vitam uoluptariam, quæ, ut superius uidimus, ipsum depascebant & indignis accipiebant modis, ac omnibus tandem exutum & spoliatum sibi seruire cogebant, deuicit & profligauit. Cùm uerò, seq́ue in suam ditionem & potestatem redegit, ut illæ nunc huic seruiant, perinde ut hic illis prius, quòd seditionem & discordiam in animo concitatam sedarit, ostendit, & affectus rationi obsequentes fecerit. Neque enim aliud quicquam est, ipsum*

*seipsum uincere, & sub imperium suum subiungere, quàm efficere ut ratio quidem & rationalis animæ pars dominetur & rerum potiatur: affectus autem & quæ irrationales sunt, pareant & obsequantur, ut per prius illud ipsum, animæ pars præstantior, quæ mentis nimirum & rationis est compos, per posterius seipsum, duæ reliquæ rationis expertes cum affectibus suis, qui uirtutum & uitiorum, ut superius est dictum, sunt materia, intelligantur. Cæterùm quoniam non solum uitia & uitiosi animi affectus, quas perturbationes appellamus, sed etiam duæ hæ inferiores animæ partes & ipsarum affectus, qui uirtutis & uitiorum sunt materia, ratione carent, nõ minus hæc quàm illa belluæ appellari possunt, eoq́ quod ad finem huius orationis habetur, ut illæ nunc huic seruiant, perinde ut hic illis prius, sic accipiendum est, ut per illæ, non uitia & perturbationes, quæ nobis seruire & usui esse nequeunt: sed eas, quas diximus animæ partes cum affectibus suis uirtutis & uitij capacibus, intelligamus.*

Quas'nam dicis has belluas? Admodum enim audire desidero. Primùm quidem, inquit, Ignorantiam & Errorem. An non tibi hæ belluæ esse uidentur? Et tetræ quidem certè, inquam ego. Deinde Aegritudinem & Luctũ & Auaritiam & Incontinentiam, & reliquam uniuersam uitiositatem: omnibus his superior, nõ inferior discedit, ut prius. O pulchra, inquam ego, facta, & pulcherrimam uictoriam.

*Si quis superiora rectè sit assecutus, ei quæ hic dicuntur*

facilli-

facillima sunt. Nam quæ superius in primo ambitu hominem occupare dicebantur mala, eorum nonnulla hic enumerat, eßeq́ eas belluas, inquit, à quibus uictoriam, qui à Beatitudine coronatur, reportauit. Rectè autem & hæc facta pulchra iudicat hospes, & uictoriam pulcherrimã, cùm hæc ad uerã pulchritudinẽ, id est, honestatem pertineant, nec alia ulla uictoria sit maior aut præstãtior. Nam, ut inquit apud Platonem libro de Legibus primo Clinia Cretensis: τὸ νικᾶν αὐτὸν αὑτὸν, πασῶν νικῶν πρώτη τε καὶ ἀρίστη. τὸ δὲ ἡττᾶσθαι αὐτὸν ὑφ' ἑαυτοῦ, πάντων αἴσχιστόν τε ἅμα καὶ κάκιστον. id est, Ipsum seipsum uincere, omnium uictoriarum prima & præstantißima est. A seipso autem ipsum uinci, omniũ est turpißimum & peßimum. Atque hæc quidem Cliniæ uerba alterius nobis uictoriæ præstantiam ostendunt, eius nimirum, qua internus motus & seditio comprimitur. Alterius uerò, uel potius utriusque simul magnitudinem libro Naturalium quæstionum tertio his uerbis nobis proponit Seneca: Quid præcipuum in rebus humanis est? Non claßibus maria compleße, nec rubri maris litore signa posuiße, nec deficiente terra ad iniurias aliorum erraße in oceano ignota quærentem: sed animo omne uidiße, & qua nulla est maior uictoria, uitia domuiße. Innumerabiles sunt, qui urbes, qui populos habuere in potestate: paucißimi qui se. Et rursus libro Epistolarum decimo: Id agamus, ut nostrũ omne tempus sit. Non erit autem, nisi prius nos nostri eße cœperimus. Quando continget contemnere

*utranque fortunam? quando continget omnibus oppressis affectibus, & sub arbitrium adductis, hanc uocem emittere? uici. Quem uicerim quæris. Non Persas, nec extrema Medorum, nec si quid ultra Dacas bellicosum iacet: sed auaritiam, sed ambitionem, sed metum mortis, qui uictores gentium uicit. Atque hæc quidem uictoriæ huius tum magnitudinem, tum præstantiam satis mihi ostendere uidentur: quare ad sequentia pergamus.*

Sed illud insuper mihi explica, quæ huius coronæ uis sit, qua ipsum redimitum esse inquis. Beatifica ò adolescens. Nam qui hac ui coronatus est, beatus redditur ac felix, nec in alijs beatitudinis spem positam habet, sed in seipso. Quàm pulchrum uictoriæ præmium narras.

*Explicata in prioribus uictoria, nunc cuiusmodi sit uictoriæ præmium (sic enim* νίκημα *uertendum existimo) docere aggreditur. Est autem id, corona eiusque uis, qua ipsum prius redimiri dixit, qui ad Beatitudinem accederet. Inquit igitur eam esse beatificã, id est, ut ipse exponit autor, quæ beatum reddit ac felicem, eum nimirum, cui hæc contingit. Sed qua ratione dicat aliquis, inquit autor, quòd non in alijs beatitudinis spem positam habeat, sed in se ipso. Hoc autem nihil aliud est, quàm quod Stoici dicũt,* ὅτι αὐτάρκης ἡ ἀρετὴ πρὸς εὐδαιμονίαν. *id est, In quo uirtus sit ei nihil deesse ad beatè uiuẽdum. Quod quidem si sic intelligamus, ut, in quo uera perfectaque sit uirtus, eum omnis uirtutis autori deo hac sic commendari dicamus, ut peculiarem eius*

*curam*

*curam gerens omnia affatim ipsi in hac animi recta constitutione perseueranti suppeditet, ac quæcunque instituat, prospere euenire faciat, & uera, & meo iudicio, nostræ religionis dogmatibus consentanea fuerit sententia. Ut Stoici autem illam intelligunt, & falsa & impia, de quo aliàs à nobis dictum est. Et coronæ quidem hæc fuerit uis & facultas: quam merito Hospes admiratus inquit, Quàm pulchrum uictoriæ præmium narras. Reapse enim eius dignitas, omnium militarium coronarum, quantumuis uariæ sint & multiplices, splendorem & fulgorem, non solùm longo interuallo post se relinquit, sed etiam obscurat atque penè obruit, non secus ac solis clarissima lux exiguum lucernæ lumen.*

Sed cùm coronatus fuerit, quid facit, aut quò pergit? Suscipientes ipsum Virtutes ad illum deducunt locum, unde prius uenerat, atque ei ostendunt, quam improbè & miserè, qui ibi uersantur, uiuant, & quomodo in uita naufragium faciant, errent, & tanquam ab hostibus uicti & subacti abducantur, alij ab Incontinentia, ab Arrogantia alij, alij ab Auaritia, ab Inani gloria alij, & alij ab alijs malis: ob quæ ærumnis ijs sese exoluere nequeunt, quibus implicati constrictique tenentur, ut salui & incolumes huc perueniant: sed per omnem uitam tumultuantur. Id autem ipsis accidit, quòd, quæ huc ducit, uiam inuenire nequeunt. Obliti sunt enim præcepti illius, quod à Numine acceperant. Rectè mihi dicere uideris.

*Quid coronatus deinceps rerum agat, & quò uadat, hac oratione docet autor. Summa autem eorum est, ipsum*

*animo,*

*animo, prudentia, & cæteris uirtutibus ducibus, uniuerſam hominum uitam perluſtrare, ac ueluti relegentem errata retrorſum animaduertere, quàm multiplici uitioſitate contaminentur homines, quot miſerijs & moleſtijs implicentur, quàm uarijs iactentur caſibus, quàm ſæpe uitæ rationes euertant, & quaſi naufragium faciant, in quanto uerſentur errore, denique quàm turpiter in uitiorum ditionem & poteſtatem redacti, tanquam crudeliſſimis tyrannis, alij alijs ſeruiant, nec ſeſe exoluere ac expedire calamitatibus & miſerijs his queant, ut uel tandem liberati & ſeruati ad Beatitudinem perueniant. Huius autem cauſam eſſe inquit, uiæ ignorationem, quæ ideo illis accidit, quòd hauſta ignorantiæ potione, de qua ſuperius ſatis copioſè diſſeruimus, Numinis præcepti, quod paulo pòſt cuiuſmodi ſit exponet, ſint obliti.*

Sed & illud rurſus dubito, quamobrem Virtutes illum ipſi locum commonſtrent, unde prius uenerat. Non exquiſitè nouerat, neque ſciebat, inquit, quicquam eorum, quæ ibi agerentur: ſed ambigebat, & propter ignorantiā & errorem, quē hauſerat, quæ bona non ſunt, bona eſſe exiſtimabat, & quæ non ſunt mala, mala. Quam ob cauſam & malè uixit, perinde ut reliqui, qui ibi uerſantur. Nunc uerò utilium & conducibilium adeptus ſcientiam tum ipſe honeſtè uiuit, tum alios cōtemplatur, quàm malè & miſerè uitam degant.

*Cauſam hoc loco exponit, cur in uitæ anteactæ contemplationem, & uariorum ac multipliciū erratorū & perturba-*

*turba-*

turbationum, quæ in eam incurrere solent, eum, qui à Beatitudine coronatus est, deducant Virtutes, eamq; esse innuit, ut multiplici morum & ingeniorum cognitione instruatur, uitæ humanæ eiusq; morborum peritus euadat, ut ab his & se incolumem seruare poßit, & alios liberare. Nam medici cuiusdam personam, ut proximè dicetur, agere debet. Atq; hæc quidē est causa & finis, cur in hanc contemplationem à uirtutibus deducatur, quam sub finē propositæ orationis indicare uidetur autor, ubi inquit, Nunc uerò utilium &c. Sed quoniam suspicari aliquis poßet, eum, qui huc ad Beatitudinem peruenißet, uitæ humanæ peritia instructum iam fuiße, idcirco id prius docet, nihil eorum, quæ ad uitam pertinent, solidè ipsi perceptum fuiße, ut nimirum sciuerit,

-Iustum gemina suspendere lance
Ancipitis libræ. rectum discernere, ubi inter
Curua subit, uel cùm fallit pede regula uaro.

Sed ipsum propter ignorationem & errorem, quem in primo ambitu hauserat, ambiguo & suspenso fuiße animo, eoq; in bonis habuiße & utilibus, quæ talia minimè eßent: & contrà in malis & inutilibus, quæ uel bona, uel media ac indifferentia existerent. Porro autem, cùm sic affectum rectè uitam instituere, ex iis sit, quæ fieri nequeunt, & hic similiter, ut alij, temere in uita oberrauit. Neque enim is sibi curæ eße potest, recteq; negotia sua administrare ac regere, cui sua cognita exquisitè non sint. Sua autem cogni-

*ta habere nemo potest, ut in Alcibiade priore docet Plato, qui non se ipsum prius nouerit: hoc autem est, animã suam perspectam habuerit. Quare ab hoc, tanquam optimo quodam initio, animi inquam φυσιολογία, ei auspicandum est, qui tum ipse sibi, tum alijs rectè præesse debeat. Cæterùm qua ratione ac uia in animi cognitionẽ uenire debeamus, superius est explicatum, & certè apud Platonem in Phædro, ipsius methodi formam cõmodè delineatam uidemus. Sic enim ipsi demum contingere poterit, ut sanus, & à graui illa ignorantiæ & erroris ebrietate sobrius factus ac frugi, tum quæ sibi ipsi utilia sint & conducibilia intelligat, ac proinde bene beateq́ uiuat, tum in communem uitam quasi descendens, quod omnino tanquam ad perpendiculum ipsi fiet, id est, ut nusquam à recto declinet (nam siue in sublime feratur, ad deum diuinaq́ contemplanda se erigens: siue in generationem delabatur, tanquam medicus quidem communẽ hominũ inuisens uitam, rectum semper uitæ cursum tenebit, in nullo ab honesti ratione deflectẽs, ut nõ malè tertio commentariorũ in Euclidẽ libro dixerit Proclus:* ἔοικεν ἡ μὲν πρὸς ὀρθὰς ἀναγομένη, μιμεῖσθαι ζωὴν ἠρομένην εἰς ὕψος ἀπὸ τῶν κοιλοτέρων, καὶ ἀχράντως ἀνιοῦσαν καὶ μένουσαν ἄληκτον πρὸς τὰ χείρονα· ἡ δὲ κάθετος ζωῆς μὲν εἰκὼν εἶναι κατιούσης τὴν κάθοδον, ἢ τῆς περὶ γένεσιν ἀριστίας οὐκ ἀναπιμπλαμένης. *id est, Quæ quidem ad rectos angulos erigitur linea, uitam à summissioribus his & humilioribus in altum sublatam exprimit, & castè integreq́ assurgentem, quæq́ ab omni se seruet ad deterio-*

*deteriora inclinatione. Perpendicularis autem eius est uitæ imago, quæ deorsum quidem uersus descendit, nec tamen eius impletur, quæ in generatione est, infinitatis) ad uirtutum, quas secum habet, normam omnia, quæ ibi uel sunt, uel dicuntur, exploret, & quàm multifariam peccetur, partim quidem errore, partim uerò animi perturbatione animaduertat, quorum prius nihil propter animi prauitatem & distortionem cognoscere poterat, quod tortuosum & curuum nec sui, nec recti norma esse queat, sed rectum utriusque, quòd quicquid cum hoc congruit, & ipsum rectum sit oportet: quod uerò discrepat, curuum ac distortum.*

Cùm igitur omnia contemplatus fuerit, quid facit, aut quò pergit? Quocunque uoluerit, inquit. Vbiuis enim ipsi securitas est, perinde ac si Corycium antrum incoleret: & quocunque peruenerit, per omnia honestè uiuet cum summa securitate. Alacri enim & prompto animo omnes eum excipient, sicut medicum, qui aduersa ualetudine laborant.

*Ex ijs, quæ modo à nobis sunt dicta, de ipsius tum ascensu, tum descensu, hæc intelligere haud difficile fuerit, maximè uerò si quis & eorum meminerit, quæ superius de uirtutibus sunt disputata. Inquit igitur omnia hoc modo contemplatum, & uitæ humanæ peritum effectum, quocunque uoluerit, ire posse, id est, ad quodlibet uitæ genus se applicare, aut, ut exquisitius dicamus, quæcunque persona aut à deo, aut necessitate, aut casu aliquo ipsi imposita fuerit, uel suo*

*etiam arbitratu susceperit, eam aptè & decorè agere, nihilo hic histrionibus inferiorem. Itaque siue ad diuinorum contemplationem assurgat, siue in generationem descendat: & siue priuatus sit & subditus, siue publico aliquo munere fungatur & cum potestate sit ac imperio: rursusq́ue, siue senatorij sit ordinis, siue equestris, seu cuiuscunque tandem alterius, & rectè suo satisfaciet officio, & quod Simonides difficillimum iudicat, ut ex Sopatri quadam epistola, cuius apud Stobæum extat fragmentum, est intelligere, sic quadratus erit, ut in omni fortuna rerumq́ue mutatione tutè consistat, tum ad magistratus, tum ad subditos se accommodans, & uiceuersa ad se omnes: uniuersam autem omnium diuersitatem cum una honesti ratione contexens. Quare quocunque constitutus fuerit loco, ut noster inquit autor, ubiuis ipsi securitas est, perinde ac si Corycium antrum incoleret: quod quid sibi uelit, mea quidem sententia, dicam. Uetus fuisse prouerbium uidetur,* τὸ κωρύκιον ἄντρον ἔχει, *id est, Corycium antrum incolit: quo significare uolebant, aliquem à piratis prædonibusq́ue tutum esse. Inde autem id natum esse uidetur, quod narrat Suidas, cuius hic uerba subijciam.* κώρυκος, *inquit,* τῆς παμφυλίας ἀκρωτήριον, παρ' ᾧ πόλις ἀττάλεια. ἐνταῦθα οἱ ἀπὸ τῆς πόλεως ἵνα μηδὲν ἄν τοι κακῶς πάσχωσι ἀπὸ τῶν ἐφορμούντων ἐπὶ τὴν ἄκραν λῃστῶν, ὑπαλλαττόμενοι πρὸς τοὺς ἐν ἄλλοις λιμέσι ὁρμῶντας κατηκροῶντο, καὶ τοῖς λῃσταῖς ἀπήγγελλον καὶ τίνες εἰσὶ καὶ ποῖ πλέουσιν. *id est, Corycus Pamphyliæ est promontorium, iuxta quod ciuitas Attalea est. Hic eius ciuitatis*

*incolæ,*

incolæ, ne ipsi aliquo afficerentur incommodo à prædonibus, qui sese in promontorij arcem receptabant, ad eos, qui in alijs portibus uersarentur, huc atque illuc profecti subauscultabant, prædonibusq; renunciabant & qui essent, & quò nauigarent. Hactenus Suidas. Duplicis autem adagij hæc res occasionem dedisse uidetur. Alterius quidem, Corycæus auscultauit: quod, ut cætera, doctissimè explicat Erasmus Rot. patriæ nostræ decus. Alterius uerò, quo hic noster utitur autor. Nam cùm, quibus hi se coniunxerant, reliquos quidem omnes spoliari animaduerterent, his autem nihil incommodi accidere, dicere inter se cœperunt, τὸ κωρύκιον ἄντρον ἔχει. non quod ea, quã dixi, ciuitas in antro posita fuerit, sed nõ procul ab antro. Atq; hæc quidem mea sententia huius loci uera explicatio fuerit, quod, ut illi, quocunque tandem proficiscerentur, nihil sibi à prædonibus metuerent, sed in summa securitate uersarentur, ita & huic nihil à uitijs & fortuna similibusq; monstris esset metuendum, sed tutissimum iam esse, & expeditam securitatem habere. Quam enim adfert Ioannes Camers, Possidens Corycium antrum, inquiens, securus est quocunque libuerit peragrare, quòd illic neque nimio frigore, aut solis æstu, neque uiolentis uentis, neque importunis imbribus, aut niuibus, neque immanibus animalibus læditur quouis modo: læta præterea loci amœnitate afficitur mirũ in modum. ea præterquam quòd ficta esse uideatur, cùm neque apud Strabonem, neque Solinum, neque Pomponiũ

*Melam, nec alium omnino ullum, quod sciam, aut talis loci illius temperiei, aut ad habitandum commoditatis fiat mentio, etiam huic loco parum congruit. Sed quilibet de hoc, ut uolet, statuat: nos autem ad sequentia pergamus. Nam qua ratione optimum hic animæ medicum agere possit, ut non immerito tam alacri & prompto animo excipiatur, ex præcedentibus est manifestum.*

An igitur & mulieres illas, quas belluas esse dicebas, non amplius metuit, ne quo ab illis incommodo afficiatur? Nihil. nequaquã enim perturbabitur nec ærumna, nec ægritudine, nec incontinentia, nec auaritia, nec paupertate, nec alio ullo malo. Nam in omnia dominatur, omnibusq; superior est, quæ prius ipsum affligebãt, quemadmodum qui uiperinũ morsum sunt experti. Nam cùm feræ reliquos certè omnes ad mortem usq; crucient, illos non lædunt, eo quòd remedium in promptu habeant: sic nec hunc lædunt illa, quòd præsenti remedio sit instructus. Rectè mihi dicere uideris.

*Quæ hic ab autore dicuntur, aperta sunt, nec explicationis ferè indigent. Videtur autem Horatius ex ijsdem notionibus, secundo Sermonum libro, hominem liberum describere, cùm inquit:*

*Quis nam igitur liber? sapiens, sibi qui imperiosus,*
*Quem neq; pauperies, neq; mors, neq; uincula terrẽt.*
*Responsare cupidinibus, contemnere honores*
*Fortis, & in se ipso totus teres atque rotundus:*
*Externi ne quid ualeat per leue morari.*
*In quem manca ruit semper fortuna.*

Inquit

*Inquit igitur ipsum turpi uitiorum seruitute excußa, & perturbationibus quidem profligatis, affectibus autem sub rationis imperium subiunctis, in summa animi tranquillitate ueraq; libertate uersari, nec quæ ipsum antea excarnificabant amplius metuere, eò quòd iam prudentiæ & uirtutis antidoto aduersus hæc omnia sit instructus: quod apposita quadã τ῀ ἐχιοδήκτων similitudine docet. Nam ut hi, qui uiperinũ morsum sunt experti, periculo cautiores redditi, remedio sese aduersus uenenatorum morsus & ictus cæteraq; incommoda muniunt, ita & ille uitiorum prauitate percepta ac cognita, præsenti uirtutis, ut dictum est, antidoto contra uitia sese instruxit. Atque, mea quidem sententia, huius loci hæc uera est explicatio. Nam quòd dicunt nonnulli, ut propemodum autoris uerba sonare uidentur, hoc ipsum scilicet, à uipera morsum fuiße, ipsis remedij contra uenenata omnia eße loco, id an uerum sit nescio, cùm apud nullum ueterem autorem & fide dignum scriptorem, quippiã huiusmodi inuenerim. Nam quòd serpentes nec Psyllis nec Marsis noceant, id ad genus ipsorum referunt, quemadmodum & aliorum quorundam uenenatis resistendi uim, ad alias quasdam causas.*

Sed hoc insuper mihi explica. quí nam sunt hi qui illinc à colle aduenire uidentur; & alij quidem ipsorum coronati, lætitiam quandam præ se ferentes; alij uerò carentes corona, qui reprobati quidem tum cruribus, tum capitibus fractis comminutisq; uidentur, à mulieribus autem quibusdam detinentur? Coronati quidem, Disciplinæ

næ præsidio incolumes euaserunt, eamq́ consecuti gaudent. Qui autem corona carent, hi partim à Disciplina reprobati reuertuntur, malè miserq́ affecti: partim ignauia deficientes, cùm ad Tolerantiam ascenderint, rursus reflectuntur & per deuia oberrant.

*Nec quæ hic ab autore dicuntur, multum difficultatis habent, ut eorum explicationi diu sit inhærendum. Duo enim genera eorum, qui à colle descendunt, facit. Alterum eorum, qui à Beatitudine coronati, Virtutibus ducibus ad uitam communẽ inspiciendam descendunt: de quibus iam antea satis est dictum. Alterum uerò eorum, qui aliquousque progreßi, ex itinere non absoluto cursu reuertunt: quorum tamen, alij alijs longius prouecti, hi quidem superatis affectibus non solum ad Continentiam & Tolerantiam usque conscenderunt, sed etiam ad ipsam adeo Verã disciplinam peruenerunt. Verùm ab hac quasi desperati reprobantur, quòd sint uel δοξόσοφοι, uel φιλόδοξοι immodicè, aut falsis prauisq́ opinionibus sic mentes imbutas habeant, ut elui nullo modo poßint: quod hodie proh dolor multis hominibus, alioqui forsitan non malis, usuuenire uidemus, qui aut re semel audita, ad unius se autoritatem contulerunt: aut communem, uel ciuitatis, uel regionis errorem secuti, ad eum tanquam ad saxum adhærescunt. Illi uerò inferius subsistentes, ac aliquousque quidem affectibus resistentes, paulo pòst ignauia deficiẽtes succumbunt, & tanquam canes, ut in prouerbio est, ad uomitum suum reuertuntur, & quod reliquum est uitæ in summis errori-*

bus

*bus & perturbationibus degunt.*

Cæterùm mulieres, quæ ipſos comitantur, quænam hæ ſunt? Aegritudines, inquit, Aerumnæ, Anxietates, Ignominiæ & Ignorantiæ. Omnia mala ipſos comitari aſ ris. Per Iouem, inquit, omnia comitantur.

*Eos, qui ad priſtina reuertuntur uitia, & ea inquit comitari mala, quæ Punitioni coniuncta eſſe, ſuperius traditum eſt: quod rationi quàm maximè conſentaneum eſſe, nemo eſt, qui neſciat: ut nec illud obſcurum arbitror, ignominiam & infamiam tam turpiter uitiis manum dantes & honeſto uitæ propoſito excidentes ſequi. De ignorantia autem, ſatis in ſuperioribus eſt dictum, & ex iis facile intelligere licet eam de qua nunc loquitur,* τὴν κατὰ διάθεσιν οὖσαν, *id eſt, eam quæ ſecundùm affectionem eſt.*

Cùm uero in primum hi ambitum reuerſi fuerint ad uitam uoluptariam & Incontinentiam, non ſeipſos accuſant: ſed confeſtim tum Diſciplinam, tum eos qui illuc contendunt maledictis inſectantur, quòd calamitoſi, ærumnoſi & miſeri ſint dicentes, qui ea, quæ apud ipſos agitur uita, relicta miſerè uiuãt, nec iis, quibus ipſi, fruantur bonis. Quænam uerò bona eſſe dicunt? Luxuriam & Incontinentiam, ut quis ſummatim dicat. Nam pecorum more ueſci, maximis frui bonis eſſe exiſtimant.

*Quod hic ab autore iis, qui nõ abſoluto curſu, uel à Vera diſciplina reprobati, uel ignauia deficientes, reuertuntur, tribuitur, id uerò eiuſmodi eſt, ut non aliud ſit malum, quod hodie latiùs regnet, & plurium hominum animos occupet. Nam cùm infinita propè eorum ſit turba, qui lite-*

rarum studia, liberales doctrinas atq; ingenuas sectentur, paucissimi autem ex his, qui dignum aliquem laboris fructum percipiant, uel quòd non rectum studiorum finem sibi propositum habeant, uel quòd legitimi ueritatis amatores non sint, ut ipsam rebus omnibus præponẽdam censeãt, uel quòd laborum quidem sint fugitantiores, ad uoluptatem autem propensiores, uel alia tandem quauis causa: omnes certè hi dum sese frustratos animaduertunt, alios uerò, licet paucissimos, cùm in proposito rectoq; uitæ instituto firmiter permanserint, omnibus facile molestijs deuoratis, summa aut iam tenere, aut certè strenuè eò contendere: tum ipsam philosophiam, & ueras ac legitimas scientias petulantissima lingua consectantur, tum eius sectatores angue peius oderunt, & maledicta in eos omnia cõferunt. Neque uerò id mirum uideri debet, immo contrà potius, ni id facerent, mirandum esset. Nam ut ingeniorum & morum ac uitæ similitudo amicitiæ, ita dissimilitudo odij, cæterorumq; quæ huic comitantur, est causa: ut quispiã adeo dum ab Epicureis istis Pseudeuangelicis, quibus non in parietibus, non in columnis, non in anulis, quod minus certè esset malum, quod haud magno negotio inde uel elui uel eradi posset: sed in ipso corde ipsisq; adeo præcordijs illud Sardanapali incisum est,

Hæc habeo, quæ edi: quæq; exaturata libido
Hausit: at illa iacent multa & præclara relicta.

aut in conuiuijs parum sobrijs se rodi, aut in circulis seditiosis

*tiosis uellicari intelligat, non solum non dolere & animo contrahi, sed etiam lætitia efferri debeat, quòd illis displiceat, qui nullis bonis placere possunt. Sed ut ad nostrum reuertamur autorem, cætera quidem apud ipsum aperta sunt: illud autem quid sibi uelit, quòd inquit, Luxuriam & Incontinentiam, ut summatim quis dicat, breuiter explicemus. Dictum prius est, Incontinentiam, quæ Pythagoreorum & Stoicorum est sententia, matrem omnium esse uitiorum. Quare in hac reliqua aliquo genere cōtinentur, eoq́ qui huius mentionem facit, & reliquorum quodammodo meminisse uidetur. Itaque ne uitia omnia enumerare nunc cogatur, Incōtinentiæ cætera inclusa esse significat, dum inquit, ut summatim quis dicat.*

Cæterum aliæ mulieres, quæ illinc reuertuntur hilari uultu & ridentes, quænam uocantur? Opiniones, inquit, quæ cùm ad Disciplinam deduxerint eos, qui ad Virtutes ingrediũtur, redeunt ut alios adducant, renuntientq́ beatos iam effectos, quos dudum deduxerunt.

*Opiniones hominem ducere, dictum quidem superius ab autore est, & à nobis explicatum: dicetur autem & nunc, hoc etiam insuper adiecto, quousque hæ tandem progrediãtur. Intelligere autem opinionem nunc oportet communiori quadam ratione, pro omni nimirum cognitione, quæ infra scientiam est, siue ex anticipatione eam habeamus, siue ex probabili, aut uerisimili argumētatione ipsam duxerimus. Scire igitur oportet, neminem aliquid agere*

*aut omnino etiam instituere, quod non prius aliquo modo sibi agendum, aut instituendum persuaserit. Itaque qui eò nondum absolutionis peruenerunt, ut adhibita scientia de rebus omnibus constituere possint, hos necesse aut in communi intelligentia, aut in probabilitate quadam acquiescere, quod totum opinionis esse statuimus. Quare opiniones quidem ad Ueram usque disciplinam progredi, rectè facit autor: hinc autem reuerti, quod in illarum locum disciplina & scientia successerit, res longè solidior ac constantior. Cæterùm quod inquit, has reuerti, ut alios adducant, renuncientq́ beatos iam effectos, quos dudum deduxerunt, id ex ijs, quæ iam sunt dicta, cuiuis manifestũ. Existimantes enim alij, quos uirtute conspicuos uident, beatos esse, & ipsi illis similes euadere contendunt.*

Nunquid igitur, inquam ego, hæ ad Virtutes introeunt? Minimè, inquit. Neque enim fas est Opinionem ad Scientiam ingredi; sed Disciplinæ ipsos tradunt. Deinde cùm disciplina eos acceperit, alios rursus deducturæ reuertuntur, ut naues expositis oneribus rursus reflectuntur, & alijs quibusdam implentur.

*In tertium ambitum Opiniones non ingredi dicit, eius autem causam esse, quòd in eo Scientia uersetur, &, ut prius dictum est, primam ingredientibus se offerat. Fieri autem non potest, ut contraria duo simul sint in eodem, secundùm idem, & eodem tempore, & quæcunque alia, distinctionis loco huic propositioni sint adhibenda. Cæterùm contraria quædam esse opinionem & scientiam, hinc co-*

*gnoueris, quòd illa fluctuans quæpiam res sit & incerta, quæq́; tum uera, tum falsa esse possit: hæc autem firma, stabilis, semper uera. Quare ad Disciplinam tantum usque progreditur, cumq́; ea, quos ad ipsam adduxit, acceperit, regreditur, non secus, inquit, atq; naues, expositis oneribus, renauigant, ut rursus alijs, quæ aduehant impleantur.*

Hæc quidem certè mihi pulchre, inquã, explicasse uideris. Verùm illud nobis nondum indicasti, quid'nam Numen eos, qui in uitam ingrediuntur, facere iubeat. Bono animo esse, inquit. Quare & uos bono animo estote. Omnia enim explicabo, nec quicquam prætermittã. Recte dicis, inquam ego.

*Dictum à nobis secundo commentariorum libro est, duo quæpiam Numini ab autore tributa esse: alterum quidem, commonstrare uiam, qua incedere debeant, qui in uitam ingrediuntur: alterum uerò, ijs imperare, quid facere oporteat. Et de priori illo, superius quidem percuntatus est Hospes, quæq́; ad hunc usque locum sunt dicta, nõ aliò pertinent, quàm ut illi satisfieret percõtationi, ut prius etiam diximus. Nunc autem alterum illud sibi explicari cupit Hospes, quidnam Numen eos iubeat facere, qui in uitam sunt ingressuri. Quod quidem primum hic breuiter facit Senex: statim autem in sequentibus & prolixius. Inquit igitur, Numẽ iubere bono animo esse, sic enim* τὸ θαῤῥεῖν *interpretor. Quod nihil aliud sibi uult, quàm, ut in uitam certa cum spe & fiducia ingrediamur, neque metuamus hoc*

*quasi mare transmittere, supra omnem nos semper attollentes fortunam. Cæterùm iubet Senex & ipsos hospites bono animo esse, seq́ pollicetur omnia quæ & ad hanc partem attinent explicaturum, neque quicquam prætermissurum.*

Extensa igitur manu rursus, uidetis, inquit, mulierem illam, quæ cæca esse uidetur, & in lapide globoso insistere, quam etiam dudum uobis dixi Fortunam appellari? Videmus. Huic fidem non habere iubet, neq; firmi quippiam credere, nec stabilis habere, quicquid ab ea quis accipiat, nec proprium ducere. Nihil enim prohibet, quominus hæc rursus eripiat, & alteri largiatur. Sæpenumero enim hoc facere solet. Et hanc certè ob causam iubet ad ipsius dona se submittere, neque gaudere, cùm dederit, neq; angi, cùm abstulerit: ac nec ipsam uituperare, nec laudare. Nihil enim consulto facit, sed temere & fortuito omnia, ut prius dixi.

*Quæ hoc loco de Fortuna Numen præcipere inquit Senex, ea intelligere ex ijs, quæ de Fortuna à nobis superius sunt disputata, haud difficile fuerit. Nam rei omnis rationis & consilij experti credere, Numen, id est, principem illam legem rectamq́ rationem uetare inquit, eò quòd quæ temere & nullo consilio fiunt, fere infelicem sortiantur exitum. Itaque iubet omnia, quæ ab ipsa offeruntur, semper suspecta habere, eò quòd parum firmæ & stabilis sint naturæ: nec horum quicquam proprium ducere. Nam ut superius est dictum, tanta in Fortunæ donis muneribusq́ inconstantia est, ut quos paulo antè summis opibus cumularat,*

*rat,*

rat, eosdem non ita multo pòst omnibus exuat. Et hanc rectè ob causam præcipit, ad ipsius dona se submittere, sic enim πρὸς τὰς ἑαυτῆς δόσεις ἥττους γίγνεσθαι, interpretor. Quanquã hoc loco dubium aliquandiu mihi fuit, an κρείττους potius legendum esset. Cæterùm dubitandi occasionem Senecæ uerba dederunt, libro tertio Quæstionum naturalium, quæ hic, quòd ad autoris uerba intelligenda usum aliquem habere uideantur, adscribere non grauabor. Sunt autẽ hæc. Quid est præcipuũ? Erigere animum supra minas & promissa fortunæ: nihil dignum putare, quod speres. Quid enim habet dignum quod conspicias? Quia à diuinorum contemplatione quoties ad humana recideris, non aliter caligabis, quàm quorum oculi in densam umbram ex claro sole rediere. Quid est præcipuum? Posse læto animo aduersa tolerare, quicquid acciderit sic ferre, quasi tibi uolueris accidere. Debuisses enim uelle, si scisses omnia ex decreto dei fieri. Flere, queri, ingemere, desciscere est. Quid est præcipuum? Animus contra calamitates fortis & contumax, luxuriæ non aduersus tantum, sed & infestus, nec auidus periculi, nec fugax, prosperitatem non expectans, sed aduersus utrunque intrepidus & inconfusus, nec illius tumultu, nec huius fulgore percussus. Quid est præcipuum? Non admittere animo mala consilia, puras ad cœlum tollere manus, nullum petere bonum, quod ut ad te transeat, aliquis possit amittere, optare, quod sine aduersario optatur, bonam mentem. Cætera magno æstimata mortalibus, etiam

si quis

*si quis domum casus abstulerit, sic intueri, quasi exitura, quà uenerint. Quid est præcipuum? Altos supra fortunam spiritus hominis attollere: meminisse, ut siue felix eris, scias hoc non futurum diu, siue infelix, scias hoc te non esse, nisi cùm putes. Et hæc quidem Senecæ sunt uerba, quæ eò me inducebant, ut κρείττους propemodum legendum esse existimarem: idq́ iubere Numen, ut animum erigeremus supra minas & promissa fortunæ, & altos supra omnem fortunam spiritus attolleremus. Sed ab hac sententia me reuocarunt, cùm ipsius autoris uerba diligentius inspecta, quæ ad secundam fortunam hac parte tantum pertinere uidentur, tum quæ ab Horatio libro Carminum secundo & Terentio in Phormione dicuntur: quorum ille quidem ad finem Odes decimæ, iam dicti libri, hoc præceptum quasi interpretatus uidetur, cùm inquit, - Sapienter idem*

*Contrahes uento nimium secundo*
*Turgida uela.*

*Hic uerò latius etiam explicuisse, cùm sic Demiphonem loquentem facit.*

*Quamobrem omnes cùm secundæ res sunt maxumè, tum maxumè*
*Meditari secum oportet, quo pacto aduersam ærumnam ferant.*
*Pericla, dãna, exilia: peregre rediens semper cogites,*
*Aut filij peccatum, aut uxoris mortem, aut morbum filiæ:*

Commu-

*Communia esse hæc: fieri posse: ut ne quid animo sit nouum:*

*Quicquid præter spem eueniat, omne id deputare esse in lucro.*

*Erit igitur autoris nostri hæc sententia, ut iubeat Numen rerum copiam atque affluentiam, & omnino secundam fortunam moderatè ferre, & in hac constitutum iam tum præcipere cogitatione, accidere posse, ut & his omnibus exuaris, & in alia etiam grauiora incurras incommoda. Quod uerò deinceps sequitur, Neque gaudere, cùm dederit, neque angi, cum abstulerit: ac nec ipsam uituperare, nec laudare, ex ijs, quæ libro Commentariorum tertio diximus, eum autoris locum explicantes, Qui gaudere & ridere ex ipsis, inquit, uidentur, hi sunt, quibus fortuna aliquid contulit: qui sanè & bonam fortunam ipsam nominant, &c. quid sibi uelit, est manifestum, quemadmodum & id, quod ad finem habetur, partim ex Fortunæ, partim ex ipsius operis descriptionis explicatione, quæ eodem, quo diximus, libro habetur. Quare ad ea, quæ apud autorem sequuntur pergamus.*

Ob eam igitur causam iubet Numen non admirari quicquid hæc fecerit, neque similes effici malis argentarijs. Etenim illi, cùm ab hominibus pecuniã acceperint, gaudent, propriamq́ esse existimãt. Cùm uerò ea ab ipsis reposcitur, indignãtur, arbitranturq́ malè secum agi, nõ recordantes ea lege hanc ipsis expensam oblatam, qua nihil obstaret, quominus, qui expensam obtulit, eandem

rursus repetat. Pari igitur modo iubet Numen & ad id, quod ab ipsa datur, affectos esse, ac meminisse hac Fortunam natura præditam esse, ut quæ dederit auferat, ac de repente rursus multiplicata largiatur. Rursus autem, quæ largita est eripiat, neque uerò hæc tantũ, sed & quæ prius quis habuerat. Itaq; quæ dederit, accipere ab ipsa iubet, & confestim his cumulatum ad firmam stabilemq; donationem contendere.

*Aperta planáque sunt, quæ hic ab autore dicuntur. Quare non est, quòd his explicandis diutius immoremur. Nam quod inquit, Eam ob causam, quòd nimirum nihil consulto faciat, sed temere & fortuito omnia, Numen iubere non admirari quicquid hæc fecerit, id quam uim habeat, antea est explicatum. Ipsa autem collatio, quæ sequitur, ita clarè ab authore cum omnibus suis partibus proponitur, ut qui eam non intelligat, hunc ego nihil unquam intellecturum existimem. Quod uerò ad finem habetur, huiusmodi est, ut quæ Fortuna dederit, tanquam commoda ad uitam degendam instrumenta arripiamus: confestim autem ire pergamus ad eam donationem, quæ firma & stabilis est, quæ cuiusmodi sit, sequentia docent.*

Quam'nam hãc, inquam ego? Quam à Disciplina accipient, si ibi integri incolumesq; seruentur. Hæc igitur quæ'nam est? Vera, inquit, scientia utilium & conducibilium, & donatio stabilis, firma & immutabilis. Itaque confestim ad hanc confugere iubet.

*Quæ'nam sit illa stabilis & firma donatio docet, eamq́*

esse

*esse inquit, quam à Disciplina accipient, si ibi integri incolumesq; seruentur, & non uel ab ipsa reprobentur, uel antequam eò peruenerint deficiant. Cæterũ hanc esse inquit, Scientiam utilium & conducibilium, ad quam qua ratione perueniamus, prius est explicatum. Cæterùm hæc mihi optimè cum ijs congruere uidentur, quæ apud Platonẽ in Euthydemo à Socrate disputantur: ubi docet τὸ εὖ πράττειν, id est, commoditatem prosperitatemq; agendi, non ex ijs, quæ materiæ & organi rationem subierit, potius, quàm ex usus cognitione, quam scientiam esse uult, pendere. In hac enim illud est stabile, de quo noster hic loquitur autor, firmum & immutabile. Quare confestim fortuitis illis, tanquam instrumentis quibusdam instructus huc confugere debet, ut rectum quoque illorum usum assequi possit.*

Et cùm ad illas mulieres deuenerint, quas & prius dixi, Incontinentiam & Vitam uoluptariam appellari, & hinc continuò discedere iubet, nec ullam, ne his quidem, fidem habere, usque eò dum ad Falsam disciplinam perueniant. Cæterùm hic ipsos temporis aliquantulum commorari iubet, & ab ea, quodcunq; uoluerint, tanquam uiaticum accipere. Deinde hinc discedere, & ad Veram disciplinam illico contendere.

*A Vitijs & Voluptaria uita illico discedendum esse, & quamobrem id faciendum sit, ex ijs, quæ prius de his sunt tradita, nulli non cognitum. Hæc enim erant, quæ nos suis blanditijs & assentationibus à recto quidem abducebant, per Punitionem autem reliquaq; mala ad ipsam In-*

*felicitatem deducebant. De Falsa autem disciplina, cur apud ipsam aliquandiu commorandum sit, quidq; ab ipsa accipiendum, dictum id quidem partim est superius, partim uerò & inferius dicetur, proximo nimirũ libro. Nunc quomodo & hanc explicationis partem concludat Senex audiamus.*

Hæc sunt, quæ Numen imperat. Quisquis igitur contra hæc quid facit, aut minus dicto audiens est, malus malè perit.

*Quæ Numen imperat, hæc, quæ iam recitata sunt & explicata, esse inquit. Cæterùm quod sequitur, ambiguum est, utrum ad hæc tantum pertineat, quæ præcepti explicationem continent, an uerò potius ad uniuersam tabulæ enarrationem. Ad utrunque enim accommodari potest. Sed quoniam statim alium quendam epilogum subijcit Senex, ad proximã explicationis partem hoc ut referamus, melius est. Inquit igitur, quòd quisquis contra hæc, quæ à Numine sunt imperata, facit, nec dicto eius audiens est, malus malè pereat: quod uerißimè dictum esse omnes cõfiteantur necesse est. Et hic quidem quinti nobis commentariorum libri finis esto.*

FINIS.

*Iusti*

# IVSTI VELSII HAGANI IN CEBETIS THEBANI TABVLAM COMMENTARIORVM LIB. VI.

*SExtus & ultimus hic cõmentariorum liber, in duobus potißimum consumetur: altero quidem, ut quid sit id, quod à Falsa disciplina accipere oportet, quantúmque in se aut utilitatis, aut inutilitatis habeat (de quo tamen superius copiosissime dißeruimus) breuiter, quantumq́ enarrationis ratio exigit, ostendamus: altero uerò, ut cõsideremus, síntne ea, quæ à Fortuna dari dicuntur, & proinde fortuita appellantur, in bonis habenda, an non, quæ huic loco & ab autore, & à nobis reseruata est, quæstio. Nam de his in hac operis sui parte agit autor, & de illo quidem prius, statim post uniuersalem totius explicationis epilogum, qui apud ipsum talis habetur.*

Atque fabula quidem ò hospites, quæ tabula hac continetur, huiusmodi est. Si quid porro sit, quod de horum quolibet insuper percontari oporteat, non defugio. Ego enim id uobis edisseram.

*Totius fabulæ explicationis hunc eße epilogum, nemini dubium est. Inquit autem in eo, fabulæ, quæ hac tabula continetur, eam uim eße & significatione, quæ ipsius explicatione hospitibus iam patefacta est. Sed si quid tamen sit, quod nondum plenè aßecuti uideãtur, aut etiam*

*quid ab ipso prætermissum existiment, se causam non dicere, quominus decorum quolibet percontentur. Se enim non grauatè responsurum, & singula benignè explicaturum. Quo audito, sic deinceps inquit hospes.*

Rectè dicis, inquam ego. Sed quid Numen à Falsa disciplina ipsos accipere iubet? Quæ utilia & commoda esse uidentur. At enim hæc quænam sunt? Literæ, inquit, & ex reliquis disciplinis, quas & Plato inquit, quasi freni cuiusdam iuuenibus instar esse, ne in diuersa contorti & deflexi abripiantur.

*De priore hoc loco agere incipit, docetq́; quænam ea sint, quæ à Falsa disciplina accipere Numen iubeat. Dicit igitur primum ea esse, quæ* εὔχρηστα *esse uidentur. Sunt autem* εὔχρηστα, *ut & uocis ratio indicat,* τὰ καλῶς τὴν χρῆσιν ἔχοντα, *id est, quæ honesto usui esse possint. Deinde uerò & quænã ea sint, particularius explicat, literas nimirum, easq́; disciplinas esse asserens, quas Plato tanquam freni cuiusdam instar iuuenibus esse inquit. Cæterùm per* γράμματα, *id est, literas, meo quidem iudicio, sermonis artes hoc loco intelligit, quibus altera quasi ex parte, mathemata, id est, disciplinas adhibet, in rerum contēplatione uersantes: qua ratione & Cicero Latina quoque uoce nonnunquam utitur, ut in Oratione in L. Pisonem, cum inquit: Est autē hic, de quo loquor, nō philosophia solū, sed etiã literis, quod ferè cæteros Epicureos negligere dicunt, perpolitus. Poëma porro facit ita festiuū, ita concinnū, ita elegans, nihil ut fieri possit argutius. Rursus tertio libro de Oratore ad Quintum*

fratrem.

*fratrem, Geometriam, inquiens, musicam, literarum cognitionem & poëtarum, atque illa, quæ de naturis rerum, quæ de hominum moribus, quæ de rebusq́. dicerentur, & alibi itidem non raro. Mathemata autem ea dicit, quæ & uulgò uocantur, & à nobis superius, cuiusmodi uim habeant, quantum huic instituto sat est, sunt explicata. Cæterùm, quod inquit, Platonem dicere, has quasi freni cuiusdam instar iuuenibus esse, ne in diuersa contorti & deflexi abripiantur, quid sibi uelit, ex ijs, quæ de Arithmetica, & Geometria, reliquisq́ quæ, quod ad* προπαιδείαν *pertineant,* τὰ πρῶτα μαθήματα *Platoni eiusq́ comprobatoribus & æmulis appellantur, libro de Rep. septimo à Socrate disputantur, intelligere haud difficile est. Nam si hæ disciplinæ, non solum ita totos nos occupant, ut nusquam mentem peregrinari sinant: sed etiam, ut probat Socrates,* τῶν ἀγωγῶν τε καὶ ἑλκτικῶν καὶ μεταστρεπτικῶν ἂν εἴη ἐπὶ τὴν τοῦ ὄντος θέαν καὶ οὐσίαν. *&, ut paulo pòst inquit,* ἐκεῖνον τὸν τόπον, ἐν ᾧ ἐστὶ τὸ εὐδαιμονέστατον τοῦ ὄντος, *non male certè iuuenibus freni instar esse dicantur, quòd hos coërceant, ne in diuersa & id quod non est, ac generationem, eumq́ locum,* ἐν ᾧ ἐστὶ τὸ κακοδαιμονέστατον τοῦ ὄντος, *abducti abreptiq́ ferantur. Atque hoc est, quod hoc loco inquit autor. Quo audito, non immerito deinceps interrogat Hospes & inquit.*

Vtrum igitur hæc accipere necesse est, si quis ad Veram disciplinam sit peruenturus, an non? Nulla quidem cogit necessitas, inquit. Verum utilia sunt: cæterùm ut meliores reddantur homines, hæc nihil conducunt.

Cùm

*Cùm non parui usus literas & mathemata esse ex præcedenti sermone intellexisset Hospes, hoc loco rectè ac conuenienter inquirit, quo genere hæc utilia sint, eóne ut omnino sine his ad Ueram disciplinam perueniri nō possit, quæ & necessaria appellamus, an uerò alio quopiam, quòd necessitatem quidem excludit, commoditatem autem quandam significat. Ad quæ breuiter respondet Senex, non priore illo, sed posteriore hoc genere utilia ea esse. Hanc enim uim & quod interrogatur, & quod respondetur habet. Cæterùm quoniam omne, quod utile esse dicitur, ad aliquid omnino refertur, id nimirum, ad quod dicitur, eam ob causam, ne & hic erret Hospes, putetq́; ad uirtutem moralem comparandam hæc usum habere, à qua boni nominantur homines, non solum autem ad ingenij & mentis, ac cogitationis uim perficiendam ualere, quæstioni simpliciter satisfecisse non contentus, id insuper adijcit, ad eam, quam iam diximus uirtutem, nihil hæc conducere, quod tamen quomodo intelligendum sit, sequentia apertius ostendunt.*

Nullam igitur utilitatem hæc habere asseris ad meliores uiros efficiendos? At enim licet & sine his meliores fieri: nec tamen inutilia & illa sunt. Nam ut per interpretem nonnunquam sermonem cum alijs conferimus: ueruntamen non inutile esset, nos ipsos exquisitiorem uocis cognitione præditos esse, sicubi conueniremus; sic & sine his disciplinis, nihil prohibet meliores fieri.

*Si quis diligentius, quæ hic dicūtur, perpenderit, omnino in*

no in hac sententia autorem nostrum esse inueniet, ut literas & reliquas disciplinas, quas diximus, quamuis bonum uirum non faciant, aptiorem tamen uirtutis reddere profectum existimet. Id enim omnino eius uerba indicãt: quibus Hospiti respondet, aut interroganti, aut cum admiratione enuncianti, quod propemodum idem est. Nullam igitur utilitatem hæc habere asseris ad meliores uiros efficiendos. Atenim licet & sine his meliores fieri: nec tamen inutilia & illa sunt. quod meo iudicio perinde ualet, ac si diceret, non primo, sed uel secundo modo, ut nos superius utile distinximus, uel tertio literas & mathemata utilia esse. Quæ enim deinceps sequitur collatio, clarè admodum mihi docere uidetur, in qua ita se habere uult, ad meliores uiros efficiendos has disciplinas, ut ad sermonem cum alijs conferẽdum se habet exquisitior uocis & linguæ eius, cum quo agẽdum est, cognitio. Nam ut sermonem quidem cum altero diuersæ à nobis linguæ per interpretem conferre possumus, sed parum commodè, longè certè commodius cum eo collaturi, si ipsius quoq; linguam teneremus, quod omnibus est manifestum, ita & sine his disciplinis meliores atq; adeo boni uiri fieri possumus, & hic quasi interpretis utentes opera, alterius, qui ad has disciplinas illã ingenij aciem exacuerit, consilio, quod in uita actionibusq; sequamur, ac proinde secundi ordinis bonorum, ut eos distinguit Hesiodus, efficiamur: quanquam longè tamen præstiterit, nos ipsos hoc ingenij acumine præditos esse, & consilio pollere,

*quod fieri poſſe uideatur, ut tam in malum quàm bonum incidamus conſiliarium, cùm de eo iudicare, & quis bonus conſiliarius ſit ſtatuere, non cuiuſuis, ſed comprimis prudentis eſſe uideatur hominis, ut quid ſit ſapiens iudicare, quæ Ciceronis eſt ſententia, uel maximè ſapientis.*

Nihil'ne mathematici his cæteris hominibus, ad hoc ut meliores efficiantur, antecellunt? Qua'nam ratione antecellant, cùm in bonorum & malorum diſcrimine decipi, ut & alij, uideantur, & adhuc omnis uitioſitatis iugo premi: nihil enim uetat literas quidem nouiſſe, & diſciplinas omnes tenere, ueruntamen ebrioſum, incontinentem, auarum, iniuſtum, proditorem, poſtremo & inſipientem eſſe: certè multos eiuſmodi uidere eſt: quomodo igitur hi, ad hoc, ut meliores efficiantur uiri, cæteris antecellant harum diſciplinarum ergò?

*Videntur quæ hoc loco ab autore dicuntur, quodammodo cum ijs, quæ & ab ipſo & à nobis prius ſunt dicta, pugnare, ſi quis in id, quod prima ſe fronte offert, intueatur ſolum. Sed longè aliter ſe res habet. Neque enim id negat, huiuſmodi, quem diximus uſum, mathemata habere: ſed hominum uitio fieri innuit, ut quæ maximo uſui eſſe poſſint, non ſolum nihil ipſis ad hoc, ut meliores reddantur, conducant, ſed etiam, ut paulo pòſt oſtendet, huc obſint plurimum, quod ipſis cum reliquis omnibus bonis, uirtute excepta, ijsq́ maximè, quæ utiliſsima ſunt, commune eſt. Et omnino, quod ſuperius, cùm de Falſa ageret diſciplina, breuius ab ipſo eſt dictum, id latius hic perſequitur. Eſt autem hoc, Eos qui apud Falſam diſciplinam permanent, id eſt,*

*in hac*

*in hæc toti acquiescunt, nunquam solutos ac liberos euadere, nec mali quicquam eos deficere harum disciplinarum ergò. Hunc igitur hic abusum damnat, non quem habent usum ipsis detrahit, eoq; non de disciplinis hic loquitur, sed de hominibus, cùm nimirum dicat, Nihilne mathematici &c. Pulchrè autem, & suæ sectæ conuenienter colligit, hos, quos dixi mathematicos nihil cæteris hominibus, ad hoc ut meliores efficiãtur, antecellere, huiusmodi quodam modo syllogismo usus. Qui, perinde ut alij, in bonorum & malorum discrimine decipiuntur, & omnis adhuc uitiositatis iugo premuntur, nihil cæteris hominibus, ad hoc ut meliores reddantur, antecellunt. Sed mathematici, perinde ut alij, in bonorum & malorum discrimine decipiuntur, & omnis adhuc uitiositatis iugo premuntur. Quam quidem minorem syllogismi propositionem experiẽtia probari ostendit, cùm inquit, Certè multos eiusmodi uidere est. Ergo mathematici nihil cæteris hominibus, ad hoc ut meliores reddantur, antecellunt. Atque hoc quidem est, quod iam proposita oratione uult autor. In ijs autem, quæ sequuntur, tum huius ipsis affectionis causam explicat, tum insuper ostendit, qua ratione hæ disciplinæ & obsint.*

Nullo, ut ex hac oratione apparet. Sed quænam est, inquam ego, causa? Nam in secundo uersantur ambitu, tanquam Veræ disciplinæ appropinquantes. Et quid hoc ipsos iuuat, inquit, cùm sæpenumero uidere sit, ex primo ambitu, ab Incontinentia & reliqua uitiositate, in tertium ambitum, ad Veram disciplinam accedentes, qui hos ma-

thematicos anteuertunt? Itaque quo'nam tandem modo antecellant? nempe aut immobiliores, aut ad discendum ineptiores sunt.

*Quòd præcedenti oratione à Sene conclusum est, approbat quidem Hospes, sed tamen qua ratione idipsum eueniat, miratur, atque adeo à Sene percontatur. Admirationis autem causa est, quòd illos quidem, quibus mathematici nihilo ad uirtutem præstantiores esse, sunt probati, in primo ambitu uersari animaduertat: hos autem in secundo, & proinde tum Veræ disciplinæ, tum Virtutibus esse uiciniores. Sic enim diuidenda hoc loco est oratio, ut quæ, Et quid hoc ipsos iuuat, præcedant, omnia Hospitis sint, quæ sequantur ad finem usque textus, ut uocant, Senis: qui nondum quidem percontationi propriè satisfacit, causamq; cur id eueniat ostendit: sed hoc, quòd in secundo uersentur ambitu, ac proinde Veræ disciplinæ propiores sint, nihil ipsis, ut facilius ad uirtutem perueniant, prodesse, usu & experientia docet, inquiens, Et quid hoc ipsos iuuat: cùm sæpenumero uidere sit, ex primo ambitu ab Incontinentia & reliqua uitiositate, in tertium ambitum ad Veram disciplinam accedentes, qui hos mathematicos anteuertunt. quasi diceret, nihil. Cæterùm hæc Senis uerba non sic intelligenda sunt, ut nonnulli sanè intelligere uidentur, quasi hi, qui mathematicos anteuertere dicuntur, è primo in tertium ambitum, tanquam ab extremo ad extremum citra medium trãsferantur: id enim falsißimum*

*omnino.*

*omnino. Nam & hos oportet per ſecundum permeare & tranſire ambitum, & per anguſtum illud hoſtiolum uiamq; accliuem & arduam ad Continentiam & Toleran tiam, & ab his ad Veram peruenire diſciplinam, ſed quod præterita & prætermiſſa Falſa diſciplina, rectà è primo ambitu per ſecundum in tertium contendant. Atque hæc quidem ea eſt uia, cuius ſuperius mentio eſt facta, cuiusq; explicationem tum autor, tum nos in hunc uſque diſtulimus locum. Sed quoniam non ſatis eſt, quid uſuueniat oſten dere, uerum oportet & cauſam eius, quam ſcire hoſpes deſiderat, explicare, quòd uera rei cuiuſq; cognitio ex cauſis pendeat, idcirco huc iam orationem commodè deflectit, ſimul & illud oſtendens, hos non ſolum cæteris hominibus nihilo præſtantiores, ſed ad Virtutem capeſcedam, etiam minus eſſe idoneos. Nam id ſibi uult, quod concluſioni ſubijcit. Nempe aut immobiliores, aut ad diſcendum ineptiores ſunt. Vtriuſque enim eædem ſunt cauſæ, quas deinceps ad Hoſpitis interrogationem explicat Senex.*

Qua nam id ratione, inquam ego? Quod in ſecundo hoc ambitu, ut nihil aliud, quòd ſcire ſibi aſſumunt, id ne ſciant. Quandiu autem hanc opinionem habeant, tandiu induci nequeunt, ut ad Veram diſciplinā ſeſe appellant. Deinde alterum illud non uides, quòd & Opiniones ex primo ambitu huc ad hos conſimili ratione ingrediantur? Nihil itaq; illis præſtantiores ſunt, niſi & hi pœnitudine ducantur, ijsq; perſuadeatur, quòd non Diſciplinā, ſed Falſam habeant diſciplinam, propter quam decipiuntur. Cæterùm ſic affecti, nulla unquam ratione ſeruentur.

*Duæ sunt præcipuæ causæ, cur qui cum Falsa discipli-na uersantur, cæteris nihilo, ut ad Ueram perueniant disciplinam ac Uirtutem, præstantiores sint: quarum altera, quæq; ab autore prior exponitur, non huius affectionis solum ipsis est causa, sed grauioris etiam, eius nimirum, ut cæteris immobiliores, ut dictum est, sint, & ad discendum ineptiores. Est autem ea, quam Græci δοξοσοφίαν uocant, opinio nimirum & persuasio, qua quis, quam non habet, eruditionem atque doctrinam inaniter & falso sibi assumit. Neq; uerò idipsum intelligere difficile est, sic affectos, non solum nihilo reliquis antecellere, sed etiam ἀκινητοτέρους καὶ δυσμαθεστέρους, id est, immobiliores & ad discendum ineptiores esse. Nam qui hanc de se persuasionem habent, eos in hac acquiescere necesse est, & ad Falsam huiusmodi disciplinam seu eruditionem, tanquam ad saxum adhærescere. Itaque nequeunt ad Ueram disciplinam & uirtutem promoueri. Et quoniam multis falsis & absurdis opinionibus, & insipientia τῇ κατὰ διάθεσίν τε καὶ διὰ συλλογισμοῦ animum corruptum & deprauatum habent, non solùm ἀκινητότεροι, sed etiam δυσμαθέστεροι sunt, quòd in his duplicato labore sit opus. Nam &, quæ perperam didicerunt sibiq; persuaserunt, dedocendi sunt, falsæq; opiniones horum animis euellendæ: & quæ ignorant, ac deinceps ignorare se sentiunt, docendi, cùm in iis, qui simplici tantummodo ignorantia laborant, alterum requiratur tantum, ut quæ nesciant, discant. Atque hæc quidem prior est causa. Posterior*

*rior uerò, quod Opiniones etiam in hunc ambitum, non minus quàm in primum ingrediantur, & eorum animos occupent. Cæterùm per Opiniones hoc loco, uulgares & communes intelligit, nō peculiares aliquas ac sophisticas: nam eæ ad priorem causam pertinent. Quare rectè subijcit, & his earum occasione, pœnitudine esse opus, quæ ipsis aliam opinionem conciliet & commendet, qua hanc Falsam esse, non Ueram disciplinam existiment: quòd quandiu in priori persistent sententia, fieri nequeat, ut seruentur.*

Proinde & uos, ô Hospites, inquit, nisi sic feceritis, & in ea, quæ dicuntur, incubueritis, donec in habitum firmentur. Sed de ijsdem his sæpenumero considerare oportet, minimeq; intermittere: reliqua uerò accessoria ducere. Quod ni feceritis, nullam utilitatem ex his, quæ auditis, reportabitis. Faciemus.

*Hic prioris illius, quæ hac operis parte tractanda, reliqua autori superius esse duo diximus, epilogus est: quo Hospites, quod & prius fecit, ab explicationis nimirum initio, aut potius ante ipsam, incitare conatur, ut quod ex tabulæ explicatione ei, qui ad beatitudinem peruenire uelit, ac incolumis conseruari, faciendum intelligunt, id & ipsi omni studio facere conentur. Pendet autem ex superioribus huius perorationis initium, seu, ut exactius loquar, ex superiori repetendum est, quod ad complementum huic orationi deest. Erit igitur ea plena hoc modo, Proinde & uos nulla unquam ratione seruemini, ô Hospites, nisi sic feceritis &c. Negat enim eos seruari posse incolumes, nisi sic faciant*

*ciant, quemadmodum Numen iubet. Cæterùm ut ſic faciant, neceſſe eſt, ut hæc in animo penitus inſcribant: ac ne id quidem ſatis eſſe uidetur, ſed perpetua exercitatione & conſuetudine hæc ſunt firmanda, ut in uita & moribus eluceant. Quare ſic ut faciant hortatur, atque animo uirtutibus ornando præcipuè & primario ſtudio incumbant: reliqua autem, id eſt, corporis & externa bona, πάρεργα, id eſt, acceſſoria ducant, quod, ut inquit Cicero, ita paruæ & exiguæ ſint iſtæ acceſſiones bonorum, ut quẽadmodum ſtellæ in radio ſolis, ſic iſtæ in uirtutum ſplendore ne cernantur quidem, ut hac ratione minus in his operæ ſit conſumendum. Videtur autem hoc & cum Chriſti præcepto cõgruere, quo inquit, Quærite primum regnum dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur uobis. Alioqui parum utile inquit uidetur, hanc explicationem audiſſe, cùm non finis hic cognitio, ſed actio potius ſit. Atque hoc quidem facturos ſe eſſe reſponſo: deinceps ad alterũ progreditur Hoſpes, & inquit.*

Sed hoc nobis explica, qua ratione bona non ſint, quæ à Fortuna homines accipiunt, ut ipſum uiuere, ſanum eſſe, ditari, bonæ eſſe exiſtimationis, liberos habere, uictoriam conſequi, & reliqua, quæ his ſunt finitima: aut rurſus contraria, quomodo non in malis habenda?

*Quam ſuperius diſtulit quæſtionem, & huic loco reſeruauit, eam nunc Hoſpitem proponere facit. Eſt autem ea, quæ ex bonorum notione & diuiſione tota pẽdet: quæ cùm apud alios alia ſit, fit ut in uarias quoque ſectas philoſophi*

hic

hic sint diuisi. Quam ob causam operæpretium facturi uidemur, si priusquam, quæ ab autore de hac disserũtur, inspiciamus, quæ præcipuorum sint philosophorum de bonis eorumq́ diuisione sententiæ, potissimum autem Platonis, Aristotelis, & Stoicorum ostenderimus. Videtur igitur Plato, quem hac parte secutus est & Aristoteles, primũ quidem sic bona diuisisse, ut alia eiusmodi esse statueret, quæ per se & sui causa affectantur & amantur, non alterius alicuius, quod inde nobis accedere possit, gratia, in quibus tanquam finibus acquiescimus: alia uerò his quodammodo contraria, quæ ipsa quidem sui causâ non expetuntur, sed utilia quædam sunt, & aliò semper destinantur. Prioris generis uirtutes sunt, &, ut absolutè dicam, uniuscuiusque rei sua per se cõsiderata perfectio. Posterioris autem, quæcunque horum uel efficientia sunt, uel conseruantia, aut etiam quæ his contraria, uel pellunt, uel arcent ac prohibent. Cæterùm inter hæc duo quasi contraria genera, tertium quoddam intermedium fecit, quòd utriusque extremorum naturæ particeps esset, & tum ipsum sui gratia expeteretur, tum usum aliò relatũ haberet. Huiusmodi sunt, quæ & finis quandã rationẽ subeunt, uel partiũ, uel instrumentorũ perfectiones cùm sint, & tanquam destinata quædam habentur, quòd & ea ipsa, quorum perfectiones sunt, huiusmodi naturam obtineant, ut prudentem esse, sanum & uisus acumine pollere. Deinde uere κατ' ἐπιδιαίρεσιν, id est, iterata totius generis diuisione (à qua, ut & hoc

*obiter dicamus, ὑποδιαίρεσις distat, quod hæc, membrorum ex priore diuisione resultantium, posterior quædam sit partitio: illa uerò, totius, ut dictũ est, generis, à capite ueluti repetiti) bonorum alia animi, alia corporis, alia externa facit. Animi quidem, ut iustitiam, prudentiam, fortitudinem, temperantiam, & cætera huiusmodi. Corporis autem, bonam habitudinem, quam Græci εὐεξίαν nominant, sanitatem, robur, pulchritudinem. Externa uerò, diuitias, generis nobilitatem, ciuilem potentiam, nominis celebritatem, & quæcunque his sunt finitima. Harum diuisionum prior, libro de Rep. secundo, apud Platonem habetur: posterior uerò, in eiusdem Euthydemo. In utraque autem magistrum sequitur Aristoteles, quanquam priorem bimembrem tantum faciat, quòd tertium in prioribus duobus ui, ac potestate contineatur. Stoici uerò ab utroq; dissentientes, nihil in bonis præter uirtutem habendam censent, ut nec in malis quicquam præter uitium. Reliqua uerò, tum neutra, tum indifferentia appellant. Cæterum quoniam huius ipsius opinionis & noster esse autor uidetur, ut tum quæ ab ipso dicuntur facilius intelligantur, tum de eorum ueritate exquisitius indicetur, fuerit, arbitror, non inutile, totam illam Stoicorum diuisionem cum argumentationibus etiam quibusdam adiunctis, hoc loco subiecisse, quæ apud Diogenem Laërtium, in Zenonis Cittiëi uita, hoc modo exponitur:* τῶν ὄντων, φασὶ, τὰ μὲν ἀγαθὰ εἶναι, τὰ δὲ κακὰ, τὰ δὲ οὐδέτερα. ἀγαθὰ μὲν οὖν τάς τε ἀρετάς, φρόνησιν, δικαιοσύνην, ἀνδρείαν,

ἀνδρείαν, σωφροσύνην, καὶ τὰ λοιπά. κακὰ δὲ τὰ ἐναντία, ἀφροσύνην, ἀδικίαν, καὶ τὰ λοιπά. οὐδέτερα δὲ ὅσα μήτε ὠφελεῖ, μήτε βλάπτει, οἷον ζωή, ὑγίεια, ἡδονή, κάλλος, ἰσχύς, πλοῦτος, εὐδοξία, εὐγένεια: καὶ τὰ τούτοις ἐναντία, θάνατος, νόσος, πόνος, αἶσχος, ἀσθένεια, πενία, ἀδοξία, δυσγένεια, καὶ τὰ τούτοις παραπλήσια, καθά φησιν Ἑκάτων ἐν ἑβδόμῳ περὶ τέλους, καὶ Ἀπολλόδωρος ἐν τῇ ἠθικῇ, καὶ Χρύσιππος. μὴ γὰρ εἶναι ταῦτα ἀγαθά, ἀλλ᾽ ἀδιάφορα, κατ᾽ εἶδος προηγμένα. ὡς γὰρ ἴδιον θερμοῦ τὸ θερμαίνειν, οὐ τὸ ψύχειν, οὕτω καὶ ἀγαθοῦ τὸ ὠφελεῖν, οὐ τὸ βλάπτειν. οὐ μᾶλλον δὲ ὠφελεῖ ἢ βλάπτει ὁ πλοῦτος, καὶ ἡ ὑγίεια. οὐκ ἄρα ἀγαθὸν οὔτε πλοῦτος, οὔτε ὑγίεια. ἔτι τέ φασιν, ᾧ ἔστιν εὖ καὶ κακῶς χρῆσθαι, τοῦτο οὐκ ἔστιν ἀγαθόν. πλούτῳ δὲ καὶ ὑγιείᾳ ἔστιν εὖ καὶ κακῶς χρῆσθαι. οὐκ ἄρα ἀγαθὸν πλοῦτος καὶ ὑγίεια. *id est: Eorũ quæ sunt, inquiũt, alia bona esse, alia mala, alia neutra. Et bona quidem, ipsas uirtutes, prudentiam, iustitiam, fortitudinẽ, temperantiã & reliqua. Mala uerò contraria, insipientiam, iniustitiam, & cætera. Neutra autem, quæ neque iuuant, neque nocent, ut uita, sanitas, uoluptas, pulchritudo, robur, diuitiæ, existimatio bona, nobilitas: & quæ his sunt cõtraria, mors, morbus, dolor, deformitas, imbecillitas, paupertas, ignominia, ignobilitas & quæ his sunt finitima, ut inquit Hecato, septimo de Fine, & Appollodorus in Morali, & Chrysippus. Neque enim esse hæc bona, sed indifferẽtia, speciatim producta. Nam ut calidi est propriũ calefacere, nõ refrigerare, sic & boni iuuare, non nocere. Sed diuitiæ & sanitas non magis iuuant quàm nocẽt. Non igitur bonũ, neq; diuitiæ neq; sanitas. Insuper, inquiũt, Quo bene & male est uti, id non est bonum. Diuitijs autem & sanitate bene & ma-*

le est uti. Non igitur bonum diuitiæ & sanitas. Atq; hæc quidem de bonis & malis Stoicorum est sententia, quæ pluribus etiam à Cicerone libro de Finibus bonorum & malorum tertio exponitur. Sed hæc in præsentia nobis sufficiũt. Neque tamen omnes, qui Stoicam sectam sunt secuti, in hac acquieuerunt opinione, sed Poßidonius, utpote in geometria educatus, ac proinde, ut arbitror, reliquis Stoicis acutior, quiq; magis ueras rationes & demonstrationes à falsis discernere poterat, ut in alijs plerisq;, ita & hic ab ipsis dißentit, ac diuitias & sanitatem, quæq; his sunt finitima, bona eße aßerit, neque id, ut ostendemus, malè. Nam quibus Stoici duabus fidere potißimum demonstrationibus uidentur, ijs nimirum, quas adduximus, hæ ueræ demonstrationes non sunt, sed paralogismi potius quidam. Uerùm hoc ut manifestum fiat, age utrãque excutiamus, à priore illa primum exorsi: cuius maior quidem propositio, ipsa per se & absolutè enunciata, uera est, nec quicquã incommodi habet: cum adiectione autem illa & collatione, non item, sic ut Stoici certè eam intelligunt, quos per calidum, ignem significare uelle existimo. Neq; enim, ut ignis proprium, quicquid contigerit, calefacere est, & non refrigerare, sic & boni, quo de nunc agimus, omnes iuuare, ac nulli nocere fuerit. Nam ille quidem, actu, ut loquuntur, est calidus, & proinde omnia statim adhibitus calefacit. Hoc autem, non actu, sed potestate eiusmodi & bonum eße dicitur. Quam ob causam, ut rectè eius uim exploremus, de

*eo prius constituere oportet, quænam huius sit norma, &, ut Græci uocant,* κριτήριον, *ad quod ipsum sit examinandũ. Id, ut cætera, breuiter simul & exquisitè, primo libro Magnorum moralium, docet Aristoteles, ubi in tria hæc diuisis bonis, honorabilia, laudabilia, & quas* δυνάμεις *uocat, id est, potẽtias, & prioribus duobus generibus, cuiusmodi sint explicatis & conuenientibus exemplis commonstratis, de tertio itidem, hoc modo disserit:* τὰς δὲ δυνάμεις, οἷον ἀρχὴ, πλοῦτος, ἰσχὺς, κάλλος. τούτοις γὰρ καὶ ὁ σπουδαῖος ἐὺ ἂν δύνηται χρήσασθαι, καὶ ὁ φαῦλος κακῶς. διὸ δυνάμει τὰ τοιαῦτα καλοῦνται ἀγαθὰ, ἀγατὰ μὲν δὴ εἰσι. δοκιμάζεται γὰρ τῇ τοῦ σπουδαίου αὐτῶν ἕκαστον χρήσει, οὐ τῇ τοῦ φαύλου. *id est, Potentias uerò, ut imperium, diuitiæ, robur, pulchritudo. His enim & bonus rectè uti potest, & malus perperam. Quapropter potestate eiusmodi appellantur bona, bona quidẽ certè sunt. Exploratur enim horũ quoduis boni uiri usu, nõ mali. Cæterũ hæc ita, ut Aristoteles asserit, se habere, non aliunde melius cognouerimus, quàm si, quod Stoici perperam, id nos rectè faciamus, & simile quoddam huc adhibeamus, in quo facilius & euidentius id, quod quærimus, conspiciatur. Uidentur igitur mihi diuitiæ, robur, pulchritudo, nobilitas, existimatio bona, sanitas, uita, perinde dici bona, ut salubria panis, oua, caro, & qui boni succi sunt cibi: rursus autem paupertas, imbecillitas, deformitas, ignobilitas, existimatio mala, morbus, mors, mala ut cicuta, scammonea, ueratrum, & quæ reliqua sunt medicamenta cibiq́ mali succi, insalubria. At-*

qui est tamẽ nõ raro inuenire, ubi hæc prosint, & salubria sint, illa uerò noceãt, & insalubria depræhẽdantur. Quare quod illic Stoicis, idem facile & hic alicui præcipitatioris iudicij usuueniat, atq; adeo hoc modo colligat. Salubris proprium est, sanitatẽ facere, eoq; cõferre, nõ eam oblædere, morbumq; excitare. Sed panis & oua non magis illud quàm hoc faciunt. Ergo panis & oua non sunt salubria. At qui solidioris est iudicij, & dialectices ac demonstrationis cognitione pollet, hic non, ut ille, promptè inconsideratèq; de re, quæ non exiguam commentationem ac meditationem requirit, constituet: sed primũ omniũ id ipsum distinguet, alia quidẽ simpliciter absoluteq; dici salubria, alia uerò cũ adiũctione semper. Deinde uero tum hæc, tum illa, ad quæ referantur & talia esse dicantur, inuestigabit, quòd normæ quæpiam hæ sint, ad quas illa examinari & dijudicari debeant. Et quoniam, quæ cum adiunctione dicuntur, manifestam, eam ipsam ob causam, relationem obtinent, hinc adeo cogitatione exorsus, hoc modo rationabitur. Quoniam quod cum adiunctione dicitur, ad id refertur, quod uarium quidem est & multiplex, omne autem morbosum, aut certè non naturaliter affectum (id enim ex inductione manifestũ) rationi certè est consentaneũ, quod huic opponitur, ac simpliciter & absolutè dicitur, ad id quod uniforme est, & quàm maximè secundũ naturã se habet, referẽdum esse, quòd oppositorũ opposita sint & huiusmodi, quibus de nunc agimus, normæ. Atq; hac quidẽ ratione, in-

uenta eorum, quæ absolutè salubria dicuntur, norma, si quid tale dici audiet, ad hãc id explorandum esse censebit, & sic de ipsius facultate constituendum: neque hic necessarijs illis distinctionibus omissis, quarum meminit Plato libro primo de Legibus, cùm de ebrietate & uini usu disserit, ne Euthydemus hic aliquis, aut Dionysodorus ipsum obturbet dicatq́, quandoquidem uitulinam, exempli causa, carnem salubrem iudicas, omne autem salubre, atque eius adeo quàm plurimum est assumendum, integrum igitur uitulum uno prandio aut cœna quàmmaximè conduxerit deuorare. Neque enim simpliciter hoc modo salubre quid dicitur, quacunque tandem quantitate adhibitum, sed ea demum, quæ ad assumentis uires, loquor autem de naturalibus, mediocris sit. Consimili autem ratione, non quocunq modo affectum, & quouis tempore assumptum, sed ritè quidem præparatum & coctum, & quibus cum oportet exhibitum, non saturo, sed ei, qui nutrimenti indiget, tempore maximè opportuno. Sic enim si de norma constituerit, &, quas diximus, distinctiones adhibuerit, rectè quid simpliciter sit salubre dijudicabit. Horum autem si quid omiserit, quanti omissum ipsum fuerit momenti, tantum & iudicio hunc quoque falli erit necesse. Pari igitur ratione, & si quis, sintne diuitiæ & sanitas reliquaq́ huiusmodi in bonis habenda, an non, rectè dijudicare uelit, huic primum etiam omnium necesse erit, ea, quæ Aristoteli, tum ὠφέλιμα, tū δι' ἕτερον αἱρετὰ appellantur bona, quod

&

& ille quinto Moraliũ libro facit, discriminasse, & alia quidem absolutè semper, alia uerò cuidam bona esse statuisse. Deinde hæc quidem nouisse morbosis animi constitutionibus quæq; à recto & uirtute desciuerunt, bona & dici & esse, ut intemperanti & luxurioso, exempli causa, quem sacræ nobilitant, aut potius subijciunt literæ, famem, nuditatem, miseriam, ut sic ad se reuersus, ad patrẽ, id est, deum proficiscatur, ipsiq; reconcilietur: illa uerò, incorruptæ atque integræ eiusdem affectioni, quæ una nimirum & simplex cùm sit, ac proinde perpetua & constans, nil mirum, si & id, quod simpliciter semper bonũ appellatur, ipsi conueniat, & ad eam explorandum sit, adhibitis huiusmodi, quas superius diximus, distinctionibus, uniuscuiusque eorum quantitatis, qualitatis, oportunitatis, & usus modi. Nam sic demum poterit rectum de his iudicium facere. Atque hæc si sic se habent, ut sanè habere quidem est manifestum, quomodo non Aristotelem maximè admiremur, duobus uerbis omnia hæc, quæ nos toto hoc sermone explicuimus, cõmodissimè complexum, cùm inquit, τῆ τοῦ σπουδαίου χρήσει. id est, boni usu: per uocem quidem boni significans, hanc esse normam & regulam, ad quam, quæ diximus bona examinãda sunt: usus autem nomine omnes eas, quas explicuimus, distinctiones comprehẽdens, quòd in eo, secundùm communiorem significationem, & quantitas, & qualitas, & oportunitas, & utendi modus cõtineatur. Sed his explicatis ad Stoicorum syllogismos reuertamur,

&

& quam multipliciter hic ab ipsis peccetur consideremus. Iam igitur primum omnium constat, quod ab ipsis adhibitum fuit simile, id ei ad quod accommodabatur, minimè consentaneum esse: sed sic potius propositionem enunciandam fuisse: Ut simpliciter salubris est proprium, sanitatis & non morbi causam esse, sic & boni simpliciter, iuuare & non nocere. Nam hac ratione nō solum uera, sed etiam distincta hæc esset propositio. Quæ uerò deinceps adijcitur assumptio, Sed diuitiæ & sanitas non magis iuuant quàm nocent, falsa est. Neque enim unquam hæc, si ad propriam suam referantur normam, cum ijs, quas diximus, distinctionibus, nocere, sed semper prodesse deprehendemus. Quare & conclusionem falsam esse necesse est. Non igitur bonum neque diuitiæ, neque sanitas. Ac prior quidem syllogismus talis ipsis fuerit. Posterior uerò, maiorē statim propositionē falsam obtinet, quæ inquit: Quo bene & malè est uti, id nō est bonū. Nam ex solo usu, nō autē abusu unumquodq; est iudicandū: alioqui quæ maximè salubria sunt: non salubria esse, fateamur necesse est, ut cibos, qui optimi sunt succi, quòd hi intēpestiuè plenoq; iam uentre magna ingesti copia morbū non raro creare solent. Eoq; etsi minor uera est, conclusionem tamen falsam esse cōstat. Quare nec secundo quicquam efficiunt syllogismo. Cæterùm præter hos duos, & tertio quodam ex ijs nonnulli uti solent, quem hoc modo in secūda figura proponunt. τὸ ἀγαθὸν ἀγαθοὺς ποιεῖ. ὁ πλοῦτος καὶ ἡ ὑγίεια ἀγαθοὺς οὐ ποιεῖ. οὐκ ἄρα ἀγαθὸν πλοῦτος καὶ ὑγίεια.

id eſt, Bonum bonos efficit. Diuitiæ autē & ſanitas bonos non efficiunt. Non igitur bonum diuitiæ & ſanitas. Sed & huius argumentationis ſolutio facilis, atque adeo ex maioris propoſitionis diſtinctione pēdet. Nam ſi hanc de omni in genere bono intelligas, falſa eſt: ſi uerò de uirtutib. quæq; ipſarum propriæ ſunt cauſæ, uera. Itaque illo modo nihil concluditur: hoc autē non id quod uolunt, Diuitias nimirū & ſanitatem prorſus non eſſe bona, ſed hoc tantummodo, eiuſmodi nō eſſe bona. Quòd uerò maior, ſi de omni intelligatur bono, falſa ſit, hinc percipere non difficile fuerit. Perinde enim dici uidetur τὸ ἀγαθὸν ἀγαθοὺς ποιεῖ, ac ſi quis diceret, τὸ τεχνικὸν τεχνικοὺς ποιεῖ, id eſt, artificioſum artificioſos efficit. Nam ut hæc propoſitio falſa eſt, quod quæ ad artem quamlibet exercendam idonea ſunt inſtrumenta, rectè artificioſa, aut certè Græcè τεχνικὰ dicantur, minimè tamen artifices faciant: ita & illa, quòd bona inuenire ſit non pauca, quibus bonus uir ad uirtutum actiones commodè utatur, etiamſi ipſum bonum non efficiant. Et Stoicorum quidem huiuſmodi ſunt rationes, quibus & ſibi & alijs perſuadere conati ſunt, tum corporis, tum externa Peripateticis appellata bona, nec in bonis, nec in malis eſſe habenda, ſed neutra quædam & media eſſe, quæ ἀδιάφορα nouè nominant: quorum cùm duplex faciant genus, & eorum alterius duas rurſus ſpecies, non tam rebus quàm uerbis à Peripateticis diſſentire uidentur. Apponam autem & eorum hic uerba, ut quod dico, uerum eſſe cognoſcatur.

*tur.* διχῶς δὲ, *inquiunt*, λέγεσθαι ἀδιάφορα. ἅπαξ μὲν τὰ μήτε πρὸς εὐδαιμονίαν μήτε, κακοδαιμονίαν συνεργοῦντα. ὡς ἔχει, πλοῦτος, δόξα, ὑγίεια, ἰσχὺς, καὶ τὰ ὅμοια. ἐνδέχεται γὰρ χωρὶς τούτων εὐδαιμονεῖν, τῆς ποιᾶς αὐτῶν χρήσεως εὐδαιμονικῆς οὔσης, ἢ κακοδαιμονικῆς. ἄλλως δὲ λέγεται ἀδιάφορα, τὰ μήτε ὁρμῆς μήτε ἀφορμῆς κινητικά, ὡς ἔχει τὸ ἀρτίας ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς τρίχας ἢ περιττάς, ἢ ἐκτεῖναι τὸν δάκτυλον ἢ συστεῖλαι, τῶν προτέρων ἀδιαφόρων οὐκ ἔθ' οὕτω λεγομένων. ὁρμῆς γὰρ ἐστιν ἐκεῖνα καὶ ἀφορμῆς κινητικά. διὸ τὰ μὲν αὐτῶν ἐκλέγεται, τὰ δὲ ἀπολέγεται, τῶν οὐδετέρων ἐπίσης ἐχόντων πρὸς αἵρεσιν καὶ φυγήν. τῶν ἀδιαφόρων τὰ μὲν λέγουσι προηγμένα, τὰ δὲ ἀποπροηγμένα. προηγμένα μὲν τὰ ἔχοντα ἀξίαν. ἀποπροηγμένα δὲ τὰ ἀναξίαν ἔχοντα. ἀξίαν δὲ, τὴν μέν τινα λέγουσι σύμβλησιν πρὸς τὸν ὁμολογούμενον βίον, ἥτις ἐστὶ περὶ πᾶν ἀγαθόν. τὴν δὲ εἶναι μέσην τινὰ δύναμιν ἢ χρείαν συμβαλλομένην πρὸς τὸν κατὰ φύσιν βίον· ὅμοιον εἰπεῖν, ἥν τινα προφέρεται πρὸς τὸν κατὰ φύσιν βίον, πλοῦτος ἢ ὑγίεια. τὴν δ' εἶναι ἀξίαν, ἀμοιβὴν δοκιμαστοῦ, ἣν ἂν ὁ ἔμπειρος τῶν πραγμάτων τάξῃ· ὅμοιον εἰπεῖν, ἀμείβεσθαι πυροὺς πρὸς τὰς σὺν ἡμιόνῳ κριθάς. προηγμένα μὲν οὖν εἶναι, ἃ καὶ ἀξίαν ἔχει, οἷον ἐπὶ μὲν τῶν ψυχικῶν, εὐφυΐαν, τέχνην, προκοπὴν, καὶ τὰ ὅμοια, ἐπὶ δὲ τῶν σωματικῶν, ζωὴν, ὑγίειαν, ῥώμην, εὐεξίαν, ἀρτιότητα, κάλλος· ἐπὶ δὲ τῶν ἐκτὸς, πλοῦτον, δόξαν, εὐγένειαν, καὶ τὰ ὅμοια. ἀποπροηγμένα δὲ, ἃ καὶ ἀναξίαν ἔχει, οἷον ἐπὶ μὲν τῶν ψυχικῶν, ἀφυΐαν, ἀτεχνίαν, ἀνακοπὴν καὶ τὰ ὅμοια· ἐπὶ δὲ τῶν σωματικῶν, θάνατον, νόσον, ἀσθένειαν, καχεξίαν, πήρωσιν, αἶσχος, καὶ τὰ ὅμοια, ἐπὶ δὲ τῶν ἐκτὸς, πενίαν, ἀδοξίαν, δυσγένειαν καὶ τὰ παραπλήσια. οὔτε δὲ προήχθη, οὔτε ἀποπροήχθη, τὰ οὐδετέρως ἔχοντα *id est:*

*Cæterùm dupliciter dicũtur indifferentia. Uno quidẽ modo, quæ neque ad beatitudinem, neque infelicitatem conducunt, ut puta, diuitiæ, bona existimatio, sanitas, robur, & his similia. Fieri nanque potest, ut sine his beatissimus, etsi horum usus quispiam ad beatitudinem aut miseriam*

faciat. Altero uerò indifferentia dicũtur, quæ neq; appeti tionẽ, neq; declinationẽ mouẽt, cuius generis sunt, pares in capite capillos, aut impares habere, digitũ extendere, aut cõtrahere, cùm priora indifferentia nõ sic dicerẽtur. Nam illa appetitionem & declinationem mouẽt. Quapropter eo rum alia seliguntur, alia reÿciuntur, cùm neutra ad selectionem & declinationem æquè sint affecta. Indifferentiũ alia producta, alia reiecta esse dicunt. producta quidem, quæ æstimationem merentur: reiecta uerò, quæ inæstimationem merentur. Aestimationem autem, aliam quidem esse dicunt, conducibilitatem quandam ad uitam consentaneam, quæ in omni uersatur bono. Aliam uerò, mediam quandam facultatem seu usum, qui ad eam, quæ secundũ naturam est, uitam conducit: cuiusmodi est, quem ad uitam secundùm naturam conferunt diuitiæ, aut sanitas. Ipsam autem æstimationem esse, æstimabilis pensitationem, quam rerum peritus statuat: eiusmodi fuerit, triticum hordeo cum mula pensitare & permutare. Producta igitur esse, quæ & æstimationem merentur, ut in ÿs quidem, quæ ad animum pertinẽt, ingenÿ bonitatem, artem, progreßionem, & similia: quæ uerò ad corpus, uitam, sanitatem, robur, bonam habitudinem, integritatem, pulchritudinem: quæ autem externa sunt, diuitias, bonam existimationem, nobilitatem, & finitima. Reiecta autem, quæ & inæstimationem merentur, ut in ÿs quidem, quæ ad animum pertinent, ingenÿ malignitatem, inertiam, retardationem,

tionem, & consimilia: quæ uerò ad corpus, mortem, morbum, imbecillitatem, malam habitudinem, mutilationem, quæq; his sunt finitima: quæ autē externa, paupertatem, ignominiam, ignobilitatem, & quæ his sunt confinia. Cæterùm neque producta, neque reiecta sunt, quæ neutram affectionem sustinent. Et Stoicorum quidem hæc sunt uerba, ex quibus diligentius inspectis, id quod prius à nobis dictum est, uerissimum esse patet, non esse rerũ ipsis cum Peripateticis controuersiam, sed nominum, quantum quidem ad hæc attinet. Neque enim aliud mihi toto hoc sermone sibi uelle uidentur, quàm quòd præcipuum beatitudinis momentum, quod τὸ κῦρος Græci nominant, in sanitate, diuitijs, & consimilibus minimè cōsistat, licet horum tamen rectus usus uitam beatiorem faciat. Id enim ipsis uerbis tantumnon mihi dicere uidentur, statim in eorum, quæ ad scripsimus, initio. Iam uerò & cùm eorum quæ ipsi primo modo indifferentia uocant, alia ὁρμῆς, alia ἀφορμῆς κινητικὰ esse dicant, ac proinde illa quidem seligi, hæc uerò reijci uelint, rursumq; προηγμένα illa & ἀξίαν ἔχοντα, hæc ἀποπροηγμένα & ἀναξίαν ἔχοντα appellent & definiant, nihil à Peripateticis, quantum quidem ad rerum notiones attinet, discrepant: in lingua tamen copiosa partim factis utuntur nominibus ac nouis, partim translatis, & à communi usu deflexis. Cæterùm manifestius idipsum apparebit, si huic Stoicorum sermoni quasi ex altera parte Peripateticorum principis Aristotelis uerba adhibeamus, uim quidem ean

dem obtinentia, ſed ab uſitati ſermonis proprietate minime recedentia, quæ apud ipſum habentur libro primo Ethicorum ad Nicomachum. Sunt autem hæc: ἢ τὸ μὲν ταῖς τύχαις ἐπακολουθεῖν οὐδαμῶς ὀρθόν. οὐ γὰρ ἐν ταύταις τὸ εὖ ἢ κακῶς· ἀλλὰ προσδεῖται τούτων ὁ ἀνθρώπινος βίος, καθάπερ εἴπομεν. κυρίαι δ' εἰσὶν αἱ κατ' ἀρετὴν ἐνεργείαι, τῆς εὐδαιμονίας· αἱ δ' ἐναντίαι, τοῦ ἐναντίου. id eſt: An fortunas conſequi neutiquam rectum. Neque enim in his ipſum bene aut malè ſitum eſt, ſed horũ humana, ut diximus, uita adindiget. Principes autem beatitudinis cauſæ, uirtutum ſunt operationes: & contrariæ, contrarij. Et paulo pòſt: πολλῶν δὲ γινομένων κατὰ τύχην καὶ διαφερόντων μεγέθει καὶ μικρότητι, τὰ μὲν μικρὰ τῶν εὐτυχημάτων, ὁμοίως δὲ καὶ τῶν ἀντικειμένων, δῆλον ὡς οὐ ποιεῖ ῥοπὴν τῆς ζωῆς· τὰ δὲ μεγάλα καὶ πολλά, γιγνόμενα μὲν εὖ, μακαριώτερον τὸν βίον ποιήσει. καὶ γὰρ αὐτὰ συνεπικοσμεῖν πέφυκε, καὶ ἡ χρῆσις αὐτῶν καλὴ καὶ σπουδαία γίγνεται, ἀνάπαλιν δὲ συμβαίνοντα, θλίβει καὶ λυμαίνεται τὸ μακάριον. λύπας τε γὰρ ἐπιφέρει καὶ ἐμποδίζει πολλαῖς ἐνεργείαις· ὅμως δὲ καὶ ἐν τούτοις διαλάμπει τὸ καλόν, ὡς ἐπειδὰν φέρῃ τις εὐκόλως πολλὰς καὶ μεγάλας ἀτυχίας, μὴ δι' ἀναλγησίαν, ἀλλὰ γεννάδας ὢν καὶ μεγαλόψυχος. id eſt: Cæterùm cùm multa fortuito fiant, & magnitudine ac paruitate differt, pãaruæ quidẽ proſperitates, conſimili autem ratione & afflictæ fortunæ, quod nullam in alterutram partem, uitæ inclinationem faciant, manifeſtũ eſt. Magnæ autem & multæ res proſperè procedentes, uitam beatiorem efficient. Nam & uitam cohoneſtare ſolent, atque ipſarum uſus honeſtus eſt & bonus. Contra autem euenientes, beatitudinem opprimunt & euertunt.

Nam & dolores inferunt, multisq́ actionibus impedimento sunt. Attamē & in his honestū elucet, utpote cum quis multa magnaq́ infortunia facile ferat: non sensus stupore, sed ut generosus & magnanimus. At enim dicat aliquis, si cum Peripateticis Stoici tum in rebus, tum in notionibus hic consentiant, quid tandem ipsis persuasit, ut non & uerbis iisdem, maximeq́ cùm eadē uterentur lingua, easdē rerū notiones explicarēt interpretarenturq́? Dicimus igitur horū plerosq́ id non animaduertisse, sed imperitia quadam quæ de nomine & quæ de re sit cōtrouersiæ discernendæ cùm uerbis dissiderent tātum, arbitratos esse sibi cum Peripateticis rerum esse controuersiam. Nonnullos autē, quāuis & id intellexerint, uel cōtentionis nimio studio, uel curiositate quadam, uel alio quouis animi uitio, à semel recepta nominum in secta sua nouatione discedere noluisse. Itaque quæ non propter se, sed alterius gratia sunt expetenda, ut utilia, non, ut Peripatetici, bona appellāda censent, sed producta: & horum contraria, non mala, sed reiecta. Videtur autem ipsis huius ipsius nouationis occasionem dedisse, Socratis quædam in Platonis Euthydemo, non rectè ab ipsis intellecta disputatio. Nam cùm uitæ actionūq́ prosperitatem non in bonorum appellatorum possessione, sed usu potius recto consistere, cuius causa sciētia est, quam & sapientiam & prudentiam in eadem disputatione interdum quasi ἐκ παραλλήλου nominat, licet aliàs distinguantur, ut superius est traditum, conclusisset: ex hoc deinceps

cuius-

cuiusmodi horum bonorũ natura esset docere uolens, quòd nimirum per se spectata, nec aliò relata, bona non sint existimanda, huiusmodi quendã syllogismũ subijcit: Qui pauciora agit, minus est infelix. Sed paucioribus instructus bonis instrumentarijs, pauciora agit. Igitur qui paucioribus instructus est bonis instrumẽtarijs, minus est infelix. Et utraq; propositione, hac quidẽ inductione probata, illa uerò duabus adhibitis propositionib. alijs, ad id, quod euidẽs est, reducta, ad extremũ hæc subiũgit: ἐν κεφαλαίῳ δ', ἔφην, ὦ κλεινία κινδυνεύεις σύμπαντα, ἃ τὸ πρῶτον ἔφαμεν ἀγαθὰ εἶναι, οὐ περὶ τούτου ὁ λόγος αὐτοῖς εἶναι, ὅπως αὐτά γε καθ' αὑτὰ πέφυκεν ἀγαθὰ εἶναι ἀλλ' ὡς ἔοικεν ὧδ' ἔχει· ἐὰν μὲν αὐτῶν ἡγῆται ἀμαθία, μείζω κακὰ εἶναι τῶν ἐναντίων, ὅσῳ δυνατώτερα ὑπηρετεῖν τῷ ἡγουμένῳ κακῷ ὄντι· ἐὰν δὲ φρόνησίς τε καὶ σοφία, μείζω ἀγαθά· αὐτὰ δὲ καθ' αὑτὰ οὐδέτερα αὐτῶν οὐδενὸς ἄξια εἶναι. φαίνεται ἔφη, ὡς ἔοικεν οὕτως ὡς σὺ λέγεις. τί οὖν ἡμῖν συμβαίνει ἐκ τῶν εἰρημένων; ἄλλο τι ἢ τῶν μὲν ἄλλων οὐδὲν ὂν οὔτε ἀγαθὸν, οὔτε κακόν· τούτοιν δὲ δυοῖν ὄντοιν, ἡ μὲν σοφία ἀγαθόν, ἡ δὲ ἀμαθία κακόν. id est: In summa, inquam, ô Clinia propemodũ concluseris, omnia, quæ prius bona esse diximus, nõ huc ipsis disputatio nẽ spectare, ut ipsa per se bona sua sint natura: sed, ut uidetur, sic se res habet: si quidem ipsis inscitia præsit, maiora contrarijs esse mala, quo maiorẽ uim habeant adiumenta malo duci subministrandi: si uerò prudentia & sapientia, maiora bona: eorum autem neutra ipsa per se alicuius esse momenti. Uidetur, inquit, meo iudicio ita esse, ut dicis. Quidnam igitur nobis ex ijs, quæ dicta sunt, efficitur? Aliúdne quàm reliquorum quidem neque bonum neque

malum

malum esse quicquam: horum autem duorum, sapientiam quidem, bonum, inscitiam autem malum esse? Cùm igitur in hac oratione, eiusq; postrema parte dicat Socrates, Aliúdne quàm reliquorum quidem neque bonum, neque malum esse quicquam: intelligat autem, ut ex præcedentibus patet, ex hac disputatione confici, ut præter scientiam & inscitiam reliquorum nihil in ijs, quæ per se & actu iam aut bona, aut mala sunt, quæ, si recipitis, ut ab alijs distinguantur, formalia appellabimus, sit habendū, sed ea omnia materialia quædam & instrumentaria esse, alioq; relata, & potentia, ut dictum est, bona: Stoici id minimè animaduertentes, existimantesq; ab omni simpliciter bonorū & malorum consortio hæc à Socrate excludi, in medijs ea reponenda esse censuerunt, & ἀδιάφορα, id est, indifferentia nominarunt. Uerùm meo hic plurimum iudicio à ueritate aberrant, partim generalius quàm oportet conclusionem accipientes, partim & particularius. Nam quòd tum corporis, tum externa appellata bona, in nullo prorsus bonorum, nec contraria, contrariorum genere reponenda esse, Socratem concludere arbitrantur, hoc sanè terminum in conclusione prædicatum latius quàm oportet, quamq; Socratis mens est, quod & prius est dictum, extendunt. Quòd uerò non his etiam animi bona, id est, ipsas uirtutes, prudentia & sapientia exceptis, adiungant, ad quæ nō minus quàm ad reliqua Socratis accommodatur demonstratio, certè in minoris propositionis probatione, quam per indu-

ctionem fieri, ſuperius diximus, nominatim fortitudinis & temperantiæ mentionem facit, hoc rurſus concluſionis terminum ſubiectum iuſto & debito anguſtiorem faciunt. Atque hactenus quidem eo genere peccant, quod Ariſto teles libro Topicorum ſecundo, τὸ ψεῦδος uocat. Iam uerò quoniam conſuetis & uſitatis relictis uocabulis, nouis & inauditis nulla cogente neceßitate utuntur, fit ut & in alterũ incurrant uitium, τὴν κειμένην παραβαίνοντες λέξιν: atq; ita non ſimplici, ſed uaria quadam & multiplici ratione errent, ac de his rebus longè deterius, quàm Comici ex communi intelligentia & prudentia, ſtatuant, inter quos Terentius in Heautontimorumeno, ſic de his Chremetem filio diſſerentem facit.

Miſerum? quem minus credere eſt?
Quid reliqui eſt, quin habeat quæ quidem in homine dicuntur bona?
Parentes, patriam incolumem, amicos, genus, cognatos, diuitias:
Atque hæc perinde ſunt, ut illius animus, qui ea poſſidet:
Qui uti ſcit, ei bona: illi qui non utitur rectè, mala.

Nam hæc quidem certè & rectæ rationi & Socratis ſententiæ adamußim congruunt, cùm Stoicorum illa ab utro que plurimum dißideant. Et quídnam igitur eſt, quod Socrates rectaq; ratio inquit? Nihil aliud profecto, quàm quod ſuperius à nobis eſt dictum, nihil horum, quanquam abſolu-

*absolutè simpliciterq́ bona dicuntur, per se tamen & actu bonum esse, sed potentia, & propter eum, quem sui præstant usum omnia non hominum cuiuis, sed qui sapientia & prudentia, à qua reliquæ uirtutes, ut sexto Ethicorum libro probat Aristoteles, disiungi nequeũt, sit instructus, quod hic demum κριτήριον sit, ad quod ea examinari debeant, & à quo, quod potentia antea erant, id actu nunc ut sint recipiant. Cæterùm incipienti & prudentia destituto, tantum abesse, ut hæc prosint bonaq́ sint, ut contrà potius mala esse deprehendantur, plusq́ quàm ipsorum contraria plerunque obsint. Cuius & à Socrate apertè satis redditur ratio, & ex ijs etiam, quæ prius à nobis sunt dicta, ea intelligi facile potest. Verùm his commentatione ac contemplatione hoc modo præceptis, ad nostrum reuertamur autorem, apud quem Hospes proposita, quam reliquam esse superius diximus quæstionem, sic deinceps inquit:*

Admodum enim nobis quod dicitur improbabile ac incredibile uidetur.

*Non immerito hoc autoris nostri decretum παράδοξον, id est, ut nos uertimus, improbabile, est autem id, quod contra opinionẽ est, ab Hospite esse dicitur, & incredibile. Reuera enim huiusmodi est, quod cum communi intelligentia & opinione pugnet, quæ tum uitam, sanitatem, bonam habitudinem, robur, diuitias, & cõsimilia, bona, tum horum contraria, mortem, morbum, malam habitudinem, infirmitatem, paupertatem, quæq́ his sunt finitima, mala existimat.*

*stimat. Itaque omnes illa naturaliter appetimus, nobisq́ asciscimus, hæc aspernamur & depellimus, non solùm nos hominum, ut Stoici dixerint, uulgus, sed illi etiam ipsi huius nobis præclaræ sententiæ autores. Atqui quod ita omnium animis insitum esse uidetur, ut ij etiam, qui uerbo tenus id negare in animum inducunt, factis tamen manifestè loqui deprehendantur, hoc certè penitus omniq́ ex parte falsum esse, minime uerisimile est: immo, si quid ego iudico, in eo quidem, quòd illa bona, hæc mala esse opinantur, haud sanè falluntur: quòd uerò aliusmodi quàm sunt, uel bona uel mala, hoc uerò est, quod uitam multifariam conturbet, & in quo omnis cõsistat error. Hinc enim fit ut ea, quæ per se bona sunt, & primo loco affectanda, præ his quæ instrumentaria ut diximus sunt, & posteriore habenda loco, aut penitus negligant, aut minus certè quàm par sit curent. Quare de genere quidem ipso rectè constituunt homines, ut absolutè dixerim, omnes: de qualitate autem & differentia non omnes: sed ij tantum, qui elegantioris ingenij cùm sint, & dialectices ac demonstrationis cognitione instructi, iustam ad hæc excutienda commentationem ac meditationem adhibent. Atque sic quidem patet rectè ab Hospite dictum esse, improbabile hoc sibi & incredibile uideri. Nunc quomodo hoc probabile & credibile efficere conetur Senex, audiamus.*

Age igitur enitere, inquit, quod uidetur respondere de ijs, quæ te interrogauero. Atqui id faciã, inquam ego.

*Antequã*

*Antequam ipsam disputationem aggrediatur, cum Hospite depaciscitur, ut de ijs, quæ interrogaturus ipsum est, non aliter atque animo affectus sit ac sentiat, id enim uocat τὸ φαινόμενον. id est, quod uidetur, respondeat. Nam alioqui fieri nequit, ut in quibus dissentiunt, quæq; inter ipsos sunt controuersa conueniant, nisi iam dicta ratione respondeat. Ut enim uera dissensio & controuersia, non in eo consistit, quòd sibi mutuo aliqui uerbo tenus contradicant, sed quòd re ipsa utrique sic persuasum sit: ita & consensio uera opinionisq; conciliatio non ex eo pendet, si uoce & oratione inter se conueniant, sed si ijsdem de rebus eadem sentiant, quod ut sit, cùm prius diuersæ fuerint sententiæ, necesse est, ut alter legitimè interrogando, alterum uerè & ut animo affectus est respondentem in suam adducat opinionem. Hanc igitur uim Senis habet oratio. Hospes autem se id facturum esse pollicetur. Quare disputationem aggreditur Senex ab hac exorsus interrogatione.*

Nunquid ergo & si malè uiuat quispiam, ipsum uiuere illi bonum erit? Mihi sanè non uidetur, sed malum, inquam ego.

*Ut tota hæc disputatio & melius intelligatur, & maiori cum fructu à studiosis legatur, altius aliquanto rem repetentes, primum de quæstione constituemus, ad quódnam genus ex quatuor ijs, quæ libro primo Topicorum ab Aristotele traduntur, pertineat. Neque enim exiguum id usum habere deprehendetur ad autoris argumenta dis*

*cutienda, locosq́ unde hæc sumpta sunt, cōmodius annotandos. Est igitur hoc problema, ut certè ab autore & proponitur & tractatur, accidentis, cùm hoc nimirum inquirat solum, utrum hoc illi insit, an non, puta, utrum uita bonum sit, an non. Talis etiam est, quæ à Cicerone libro Tusculanarum quæstionum primo de huius contrario, morte nimirum proponitur, utrum malum sit, an non. Et quæstionis quidem genus tale est. Locus autē è quo, quod apud autorem habetur, depromptum est argumentū, libro Topicorum secundo sic ab Aristotele exponitur. Præterea si accidenti quid sit contrarium, id considerandum est, an insit, cui accidens inesse dicebatur. Nam si hoc insit, illud non inerit. Neque enim fieri potest, ut contraria simul eidem insint. Interrogat igitur, an ipsum uiuere, ei, qui malè & miserè uiuat, bonum sit. Ad quod & rectè respondet Hospes, Sibi id minimè uideri, sed contrà potius, ipsum uiuere ei malum esse. Sed quid ex hoc tandem concludatur uideamus, maiore adiuncta propositione, quam Senex omisit. Est autem ea, Nullum quod alicui malum est, bonum est. Minor uero huiusmodi, Sed aliquod uiuere, nēpe malè & miserè, malum. Igitur aliquod, seu non omne uiuere est bonum. Verùm Senex non hanc infert conclusionem, quòd non de hoc sit quæstio, sed de ipso uiuere in uniuersum: sed callide, quod ui propositionum nequit, id interrogationis quodam modo extorquere conatur, cùm inquit:*

Quo'nam igitur modo uiuere bonum est, siquidem

huic

huic sit malum? Quoniam ijs quidem, qui malè uiuunt, malum mihi esse uidetur, qui uerò bene, bonum.

*Quanquam Senex conclusionis particularis loco, uniuersalem, seu potius indefinitã, quæ uniuersalis sit instar, interrogationis quadam, ut dictum est, forma extorquere conetur, minimè tamen id obtinet: sed Hospes distinctione quadam adhibita, eius frustratur conatum, inquiens sibi uideri, ijs, qui malè uiuunt, ipsum uiuere malum esse, qui uerò bene, bonum. Atque hactenus quidem animosè & fortiter resistit. In sequentibus autem nimis cito dat manus, uinciq́ se patitur.*

Ergo & malum esse asseris ipsum uiuere, & bonum? Ego uero. Atenim noli absurdè dicere. Fieri enim nequit, ut eadem res & mala & bona sit. Nam hac quidem ratione & utilis & nocua fuerit, & expetenda & fugienda simul semper.

*Ad contradictionẽ deduxisse Hospitem uelle uidetur. Id uerò ita minimè se habet. Neque enim sequitur, si quoddam uiuere sit malum, & quoddam bonum, igitur ipsum absolutè uiuere malum esse & bonum, ita ut terminum eum, τὸ ζῶν, uniuersè accipias. Nam si particulariter & non uniũersè accipiatur, contradictionem non efficit. Et quidnam igitur inquit autor, Atenim noli absurdè dicere. & quæ sequuntur. Nempe, ut quod res est dicatur, decipitur. Atque id apertè & ingenuè confiteor. Neque enim unquam eas leges mihi imponi patiar, quas sibi præfiniunt nonnulli, ut quæcunque ab autore, quem enarrandum*

*dum suscepi, dicantur, siue uera, siue falsa sint, defendā: sed utraq; qualia sint, talia & esse pro ingenij mei uiribus docebo, & cōuenienti adhibita explicatione, ut quodq; maximè potest, illustrare connabor. Id enim uerè philosophici ingenij, & apud quod in pretio ueritas est, esse puto. Igitur, ut dictum est, non ad contradictionē deductus est Hospes, & malè à Sene urgetur, & pacti admonetur. Neque enim unum idemq; uiuere, & bonum & malum esse dixit, sed diuersum, quod minimè est absurdum. Quare neque, etsi bona quidem, utilia sunt, & expetenda, mala uerò nocua & fugienda, à consequentium repugnantia coargui potest, cùm non magis inter hæc contradictio, quàm inter antecedentia notetur. Minimè igitur hic deficere debuit Hospes, & absurditatem confitendo, dicere:*

Absurdum quidem: sed quomodo, si malè uiuere cui adsit, ei mali quid adest, malum ipsum uiuere non est? Atqui non idem est, inquit, uiuere, & malè uiuere: non'ne tibi uidetur? Neque mihi scilicet idem esse uidetur.

*Quod malè absurditatē, sic enim* τὸ ἀπίθανον *uerto, confiteatur Hospes, dictū iam est. Quod uerò, ab eo, quod cum adiunctione dicitur, ad id, quod absolutè & simpliciter, aut à coniuncto ad disiunctum argumentando progrediatur, in eodem hic peccat Hospes, quo antea Senex, quod mirum adeo mihi uidetur, cùm inter prima dialecticæ initia hæc statim tradantur. Cæterùm, quam Senex adfert solutionem, ea rectè se habet, ex distinctione nimirum deprompta,*

*pta, quòd aliud sit uiuere, aliud malè uiuere, cui & rectè aßentitur Hospes.*

Ipsum igitur uiuere non est malum, quod si malum esset, ijs, qui bene uiuerent, malum utique adesset, quod ipsum uiuere ijs adesset, quod malum est. Vera mihi dicere uideris.

*Quod hoc loco à Sene dicitur, uerum est, & argumentatio rectè ipsi procedit: diligenti tamen & accurata distinctione tota indiget oratio, quòd alioqui facile hic decipi sit. Nam ut coniunctum hoc integrè constet, Si ipsum uiuere est malum, ijs, qui bene uiuunt, adest malum: ita illud uitiosum fuerit, Si ipsum uiuere est malum, ijs, qui bene uiuunt, adest quod ipsis est malum. Neque enim in antecedenti erat, quod in consequenti infertur: eßet autem si sic enuntiatum antecedens fuißet, Si ipsum uiuere, quibuscunq; adsit, ijs malum est. Sed cuius gratia, dicat aliquis, tam accuratè & exquisitè hæc nunc distinguenda putas? Dicã, quòd non minima paralogismi occasio in hac disputatione in eo consistat, quòd hoc animaduersum & distinctum non sit: & quæ sequitur falsa apud autorem illatio, & quasi conclusio hoc potißimum fundamento nititur. Cæterùm, ut id euidentius appareat, totam argumentationem omnibus suis partibus explicatã, ad quam, quæ sequitur, illatio infertur, hic subijciam. Constat autem ea duobus Hypotheticis syllogismis, quorum uterque secundi est modi, seu formæ, seu quomodocunque tandem has ratiocinationum*

nationum differentias quis appellare uelit: quorum prior huiusmodi est. Si ipsum uiuere esset bonum, ijs, qui malè ui uunt, bonum adesset. Non adest autē ijs qui malè uiuunt, bonum. Ergo ipsum uiuere non est bonum. Huius syllogismi coniunctum, Græci συνημμένον uocant, est autem propositio ea, quæ ex antecedente & consequente constat, omisit autor. Assumptionem autem, nō eam, quam oportuit, quamq; noster habet syllogismus, apud ipsum inuenias, neque enim hæc ipsi concederetur, causam autem mox dicemus: sed eius loco, Ipsum uiuere ijs, qui malè uiuunt, bonum non esse. Ex quo confectum, sed malè, ut docuimus, putat, Ipsum absolutè uiuere non esse bonum. Cæterùm cur assumptio ipsi concedenda non esset, hinc quilibet facile intellexerit. Nam qui male misereq; uiuunt, ijs cùm ipsum uiuere adsit, id quidem quod absolutè simpliciterq; est bonum (huiusmodi enim uitā & ipsum uiuere esse, superius est demonstratum) adest: non tamen quod ipsis est bonum. Neque enim idem est, sed diuersum, huic alicui quid bonum esse, & simpliciter. Quare falsa quidem hæc est assumptio: falsa autem & conclusio quæ inquit, Ergo ipsum uiuere non est bonum. Et prior quidem hypotheticorum syllogismorum, huiusmodi est, & ea, qua diximus, ratione falsus. Secundus autem, talis, Si ipsum uiuere esset malum, ijs, qui bene uiuunt, adesset malum. Minimè autem ijs, qui bene uiuunt, adest malum. Igitur ipsum uiuere non est malum. Cæterùm huius syllogismi conclusionem, & coniunctum,

*iunctum, & coniuncti probationem apertè habet autor: aßumptio autem, ut quæ facilè ſubintelligatur, prætermittitur. Vera autem hæc eſt ratiocinatio, utpote in qua & coniunctum ex antecedente & conſequente aptè & legitimè ſit connexum, & aßumptio uera, eaq; de cauſa rectè ab Hoſpite hic dictum eſt, Vera mihi dicere uideris. Sed his explicatis, ad id, quod ſequitur, progrediamur.*

Quoniam igitur utriſq; ipſum uiuere, & malè & bene uiuentibus contingit, neque bonum, neq; malum fuerit ipſum uiuere, quemadmodum neq; ſecare ac urere ægrotantibus inſalubre & ſalubre. Igitur & in ipſo uiuere hæc ſic ſe habent.

*Quod hic ab autore infertur falſum eſſe, iam dictũ eſt, & qua ratione itidem ſit falſum, prioris nimirum ſyllogiſmi uitio. Neque enim quoniã & ijs, qui male uiuunt, contingit ipſum uiuere, idcirco non bonum eſt: quamuis quod ijs, qui bene uiuunt, accidat, neceßario ſit non malum, quod ſic intelligendũ eſt, ut ſuperius eſt dictum, abſolutè & ſimpliciter. Quod uerò hoc loco ſimile adfert, id meo quidẽ iudicio, prorſus eſt dißimile, magisq; ſi de contrario, morte nimirũ, aut alio quopiã alterius ordinis ageretur, cõgrueret. Nam ſecare & urere, ipſum quidem abſolutè & per ſe, inſalubre: huic autem, & in tali neceßitate & affectione conſtituto, ſalubre: non quouis modo, ſed rectè & ſecundùm artem adhibitum. Cæterùm quod ipſe uult autor hac ſimilitudine, eiuſmodi eſt. ut ægrotis ipſum ſecare & urere*

*nec salubre, nec insalubre, sed rectè quidem secare & urere, salubre, perperam autem, insalubre: ita & uiuere, neq; malum, neque bonum, sed bene uiuere, bonum, malè autē, malum fuerit. Sed hæc uitiosa est à simili argumentatio: primum, quòd illic subiectum, cui secare & urere nec salubre, nec insalubre esse asseritur, cum corporis affectione & morbo definitè expressum proponatur: hic uerò cui uiuere nec bonum sit, nec malum, reticeatur, neque uitiosæ animi, neque rectæ eius constitutioni, neque omnino subiecti alicuius mentione ulla facta. Deinde, quod illic deterioris, hic præstantioris sit ordinis, de quo contrariarum affectionum utraque negatur. Sunt autem & alia huius argumentationis uitia, sed quæ ex præcedentibus facile intelligi possunt. quare ad ea quæ sequuntur pergamus.*

Cæterùm tu sic contemplare. Vtrum malè uiuere malles, an honestè & fortiter mortem oppetere? Honestè ego quidem certè mortem oppetere. Non igitur ipsum mori malum est, quandoquidem sæpenumero magis mori quàm uiuere expetendùm est. Vera prædicas.

*In præcedentibus de uita hactenus ab ipso est disputatum. Hoc autem loco de morte disserere instituit, ostendereq; ipsam non esse malam. Sed quónam tandem pacto hoc ipsum probet, uideamus, toto syllogismo, cuius apud autorem minor tantum & conclusio est, integrè explicato, qui talis nimirum fuerit: Quod non malo magis est sæpenumero expetendum, nec ipsum est malum. Mors autem non malo, nempe uita, sæpenumero magis est expetenda. Igitur*

*mors*

mors non est malum. In hoc syllogismo propositio maior falsa est, quod, cum ex eo, quod consequitur, de eo, quod prius est, constituit, conuenientiam non seruet. Nam quo genere, aliquo non malo quid magis expetendum est, eodem & non malum est. Quare sic enuncianda maior erat propositio. Quod aliquo non malo magis sæpenumero est expetendum, nec ipsum sæpenumero est malum: minimè autē simpliciter dicere oportebat, nec ipsum est malum. Verùm hoc modo si maior proponatur, nihil aliud concluditur, quàm quod mors sæpenumero non sit malum: quod & nos uerum esse fatemur. Nam quæ per se & simpliciter sunt mala, ea, ut superius uidimus, nihil obstat, quominus alicui nō sint mala, immo uerò & bona, ut insalubria simpliciter, alicui salubria. Quod uerò ad minorem eiusq; probationem attinet, scire oportet, quòd duobus propositis malis, id quod minus est, semper eligendum uideatur, ut mors honesta & generosa potius, quàm uita turpis & infamis. Cuius causam, primo libro de Arte dicendi ad Theodecten esse uult Aristoteles, quòd quanto minus malum, maiorem sit minus, tantum etiā mali depelli & abyci uideatur. Et quod ad hunc syllogismum pertinet, sic se res, ut dixi, habet, nec id, quod uult autor, eo effici potest, ut mors malum non sit simpliciter, sed sæpenumero alicui ob certas quasdam circunstantias, quas Græci περιστάσεις uocant. Cæterùm qua ratione hic ab autore peccatum est, eadem & in eo quod de sanitate & morbo subycitur.

*nec salubre, nec insalubre, sed rectè quidem secare & urere, salubre, perperam autem, insalubre: ita & uiuere, neque malum, neque bonum, sed bene uiuere, bonum, malè autem, malum fuerit. Sed hæc uitiosa est à simili argumentatio: primum, quòd illic subiectum, cui secare & urere nec salubre, nec insalubre esse asseritur, cum corporis affectione & morbo definitè expressum proponatur: hic uerò cui uiuere nec bonum sit, nec malum, reticeatur, neque uitiosæ animi, neque rectæ eius constitutioni, neque omnino subiecti alicuius mentione ulla facta. Deinde, quod illic deterioris, hic præstantioris sit ordinis, de quo contrariarum affectionum utraque negatur. Sunt autem & alia huius argumentationis uitia, sed quæ ex præcedentibus facile intelligi possunt. quare ad ea quæ sequuntur pergamus.*

Cæterùm tu sic contemplare. Vtrum malè uiuere malles, an honestè & fortiter mortem oppetere? Honestè ego quidem certè mortem oppetere. Non igitur ipsum mori malum est, quandoquidem sæpenumero magis mori quàm uiuere expetendùm est. Vera prædicas.

*In præcedentibus de uita hactenus ab ipso est disputatum. Hoc autem loco de morte disserere instituit, ostendereque ipsam non esse malam. Sed quónam tandem pacto hoc ipsum probet, uideamus, toto syllogismo, cuius apud autorem minor tantum & conclusio est, integrè explicato, qui talis nimirum fuerit: Quod non malo magis est sæpenumero expetendum, nec ipsum est malum. Mors autem non malo, nempe uita, sæpenumero magis est expetenda. Igitur*

*mors*

mors non est malum. In hoc syllogismo propositio maior falsa est, quod, cum ex eo, quod consequitur, de eo, quod prius est, constituit, conuenientiam non seruet. Nam quo genere, aliquo non malo quid magis expetendum est, eodem & non malum est. Quare sic enuncianda maior erat propositio. Quod aliquo non malo magis sæpenumero est expetendum, nec ipsum sæpenumero est malum: minimè autē simpliciter dicere oportebat, nec ipsum est malum. Verùm hoc modo si maior proponatur, nihil aliud concluditur, quàm quod mors sæpenumero non sit malum: quod & nos uerum esse fatemur. Nam quæ per se & simpliciter sunt mala, ea, ut superius uidimus, nihil obstat, quominus alicui nō sint mala, immo uerò & bona, ut insalubria simpliciter, alicui salubria. Quod uerò ad minorem eiusq; probationem attinet, scire oportet, quòd duobus propositis malis, id quod minus est, semper eligendum uideatur, ut mors honesta & generosa potius, quàm uita turpis & infamis. Cuius causam, primo libro de Arte dicendi ad Theodecten esse uult Aristoteles, quòd quanto minus malum, maiorem sit minus, tantum etiā mali depelli & abijci uideatur. Et quod ad hunc syllogismum pertinet, sic se res, ut dixi, habet, nec id, quod uult autor, eo effici potest, ut mors malum non sit simpliciter, sed sæpenumero alicui ob certas quasdam circunstantias, quas Græci περιστάσεις uocant. Cæterùm qua ratione hic ab autore peccatum est, eadem & in eo quod de sanitate & morbo subijcitur.

Atqui de sanitate & morbo eadem est ratio. Sæpenumero enim sanum esse non conducit, sed cõtrario potius affectum esse modo, cum casus huiusmodi quempiam ci cunstet. Vera dicis.

*Quemadmodum in præcedenti ἀπὸ τοῦ αἱρετοῦ, id est, ex petendo, ita hic ἀπὸ τοῦ συμφέροντος, id est, eo quod conducit, utrunque enim ad bonum consequitur, argumentum sumit. Sed solutio & huius eadem est, quæ superioris, quòd eadem & hic paralogismi sit causa. Quare ad id, quod de diuitijs sequitur, progrediamur.*

Age porrò & de diuitijs simili ratione consideremus, an'ne ita se res habeat, quod plerunque uidere sit alicui diuitias suppetere, qui malè tamen & miserè uiuat. Per Iouem & multos quidem. Nihil igitur his prosunt diuitiæ ad bene uiuendum. Non uidentur. ipsi enim mali sunt. Non igitur ut boni simus, diuitiæ efficiunt, sed disciplina. Verisimile id quidem. Ex hac igitur ratione, diuitiæ bonum non sunt, si quidem ijs, qui eas habent, adiumento non sunt, ut meliores reddantur. Ita prorsus apparet.

*Ut melius, quæ hic ab autore dicuntur, excutiantur, ipsius orationem, secundum methodum, primo τῶν προτέρων ἀναλυτικῶν, ab Aristotele traditam, in syllogismos resoluemus. Sunt igitur duo hic syllogismi: alter quidem, quem Græci προηγούμενον συλλογισμὸν, id est, primariũ syllogismum nominant, quo id cõcluditur, quod primo & per se intendit & uult autor, alter uerò prosyllogismus quidã, quo minor primarij syllogismi propositio probatur. Cæterùm prior ille huiusmodi fuerit. Quod ijs, qui idipsum habent, adiumen-*

*to non*

to non est, ut meliores reddantur, id bonũ non est. Sed diuitiæ, ijs, qui ipsas habẽt, adiumento nõ sunt, ut meliores reddantur. Ergo diuitiæ bonũ non sunt. Harum propositionũ syllogismum hunc constituentiũ, maior apud autorem non habetur, sed ex minore & cõclusione, quæ manifestè atque illis ipsis adeo uerbis ab ipso exponũtur, facile intelligitur. Quid igitur, ut hũc prius examinemus, antequã ad alterũ illum progrediamur, de hoc dicemus syllogismo? An scilicet superius hunc à nobis quodãmodo solutũ esse, quod idem cum eo sit, qui ibi hoc modo proponebatur, Bonũ bonos efficit. Diuitiæ autẽ bonos non efficiunt. Non igitur bonũ sunt diuitiæ. Etsi enim qui hic apud autorẽ habetur, in prima proponitur figura, ille autẽ superior in secunda, hoc nihil ad rem facit, neq; propterea solutionẽ diuersam postulat: sed ex maioris distinctione pari ratione soluitur uterque. Nam si uocabulũ boni in maximè uniuersali significatione accipias, falsa maior est propositio. Si uerò ad uirtutes earumq; proprias & per se causas cõtrahas, nõ id concluditur, quod uult autor, ut prorsus diuitiæ bonũ non sint, sed non eiusmodi bonũ. Atq; hac ratione siue minorẽ quis ueram, siue falsam statuat, nihil sanè, quod ad hanc conclusionem attinet, retulerit. Sed tamẽ quoniã & hanc probat autor, age & eam examinemus probationẽ. Videtur autẽ in tertia figura hoc modo argumentationẽ proponere. Aliquis, Sardanapalus, exẽpli causa, est diues. Sardanapalus malè & miserè uiuit. Igitur diues miserè & malè uiuit,

*& ex consequenti, nō bene. Quare diuitiæ nihil ad bene uiuendum prosunt. Neq; bonos igitur efficiunt. Verùm hæc quàm multis obnoxia sit uitijs argumentatio, quis non uidet? Primùm quòd cùm uniuersale in syllogismo non sit, nihil ex his propositionibus concludi posßit. Deinde quòd nihil ad rem, ut secundo priorū resolutoriorū libro docet Aristoteles, huiusmodi faciat syllogismus. Neq; enim si Sardanapalus malè & miserè uiuat, ob hoc & quemuis diuitem malè & miserè uiuere est necesse. Ad hæc & quæ sequuntur, Et ex cōsequenti, non bene: id rectè, si priora uera esse concederentur, inferri uideo: reliqua autē, Quare diuitiæ nihil ad bene uiuendū prosunt. &, Neq; bonos igitur efficiunt. nō item, ut taceam interim, autorē ipsum paulo pòst sibi quodammodo cōtradicere, cùm aßerat, si quis diuitijs rectè & peritè uti nouerit, eum bene uicturum: quod cum eo manifestè pugnat, quod hic dicit, nihil diuitias ad bene uiuendum conferre. Sed de eo paulo pòst considerabimus. nunc ad sequentia pergamus.*

Neq; igitur quibusdam ditari conducit, cum uti diuitijs non sciant. Sic mihi uidetur. Quomodo igitur id quis bonum esse iudicet, quod plerunq; non adesse satius est? Nullo modo.

*Rursus & hic paralogismi causa eadem, quæ in superioribus exposita est, ubi de uita & morte, sanitate & morbo ab autore agebatur. Quare & solutionis modus idem. Neq; enim, quod ei, qui his uti non nouit, bona non sunt, id-*

*circo simpliciter bona non sunt: sed contrà potius res se habere uidetur. Nam, ut ei, qui uti ipsis non nouit, bona non sunt, ita econtra, qui rectè & peritè diuitijs uti nouit, ei bona esse uidentur. atque huius sententiæ Horatium Stoicorum alioqui æmulum fuisse apparet, in quibus ad Albium Tibullum hoc modo scribit:*

*Non tu corpus eras sine pectore. di tibi formam,*
*Di tibi diuitias dederant, artemq́ue fruendi.*
*Quid uoueat dulci nutricula maius alumno,*
*Quàm sapere, & fari possit, quæ sentiat, & cui*
*Gratia, fama, ualetudo contingat abundè,*
*Et mundus uictus non deficiente crumena?*

*Sed quid Horatiũ dico, cũ & noster autor in his, quæ proximè sequũtur, idẽ prorsus confiteri uideatur, cùm inquit:*

Siquidẽ igitur quis diuitijs rectè & peritè uti sciat, bene uiuet: sin minus, malè. Verissimè mihi id dicere uideris.

*Hæc, ut diximus, cum superioribus pugnare quodammodo uidentur. In illis enim negauit, diuitias quicquã ad bene uiuendũ conferre. Hic autẽ asserit, ei, qui ipsis uti rectè & peritè sciat, cõmodas & opportunas esse ad bene uiuendum. Cæterùm res ita se habet, ipsas diuitias ad uirtutis habitũ comparandũ prodesse quidẽ nihil, nisi quis fortè dicat, eum cui hæ suppetãt, habeatq́ue quod in pædagogos & præceptores impendat, non paruam ad uirtutẽ facilius certiusq́ue perueniendi habere prærogatiuã: sed sic nõ per se, uerum per accidens uirtutũ fuerint causæ: ad earũ autem*

etsi

*etsi nõ omnium, nonnullarũ tamen certè, ut liberalitatis, magnificentiæ & consimiliũ actiones exercendas non minimi esse momenti, utpote quarũ tum materia, tum instrumenta quæpiã sint, ut prius est traditũ. Quare patet quòd etsi diuitiæ bonos non faciunt, aptiorem tamen actionum secundùm uirtutem reddant profectum, ac proinde uitam beatiorem efficiant. Itaque hac parte rectè inquit noster autor. Eum qui diuitijs rectè & peritè uti sciat, bene uicturum: qui autem nesciat, male.*

Ad summã, hæc uenerari ut bona, aut aspernari ut mala, id uerò est, quod homines turbat & lædit, cũ ipsa tum colant, tum in his solis beatitudinem positã esse arbitrentur, omniaq; consequenter horũ gratia agant, quæ etiam maximè impia esse uidentur. Hæc uerò ipsis accidunt ex ipsius boni ignoratione.

*Hic ueluti epilogus quidã est eius, quæ de corporis & externis cõmodis, quæ fortunæ bona omnia nõ raro appellari solent, ad finem huius operis autori reseruata, ut diximus, fuit disputatio. Docet autẽ in hoc, quidnam id sit, quod hominũ uitã maximè turbet & affligat, non multũ quidem hic à ueritate aberrans, sed quàm proximè ad eam accedens. Uera enim uitæ perturbationis causa est, nõ simpliciter, quæ Stoici indifferentia nominant, horũ alia quidem, quæ melioris scilicet sunt ordinis ac seriei, bona existimare, ac proinde appetere: alia uerò, quæ deterioris, mala, eamq; ob causam declinare: sed tanquã primaria quædã, & per se suiq; causa uel expetenda, uel fugienda, illa quidẽ bona*

colere ac uenerari, hæc uerò mala aspernari & respuere. Sic enim fit, ut turbato rerũ ordine, & homines perturbentur, nihilq; non horũ gratia tum dicant, tum faciant, quæ primo ab ipsis reposita sunt loco: ea autẽ aut penitus negligant, aut minori certè his cõparandis studio incũbant, quæ præposterè ab ipsis ex primo in secundũ, aut tertiũ, aut inferiorẽ etiam aliquẽ locum translata sunt bona. Atq; sic quidem si autoris sententiam commoda expositione moderemur, non solùm uerißimã, sed etiam utilißimã continere doctrinam hunc deprehendemus epilogũ. Nam si bonorum ac malorũ ordines cõfundere atque perturbare, uitæ quoq; rationes uertit, uarieq; turbat & affligit, necessario etiam sequitur, in eorundẽ conseruatione uitæ honestatẽ atq; ornatum omnẽ consistere. Neq; uerò id mirum uideri debet. Cùm enim omnes natura id, quod bonũ esse uidetur, appetamus, declinemusq; contraria, certè usuuenire necesse est, ut quo quodq; loco uel bonorũ, uel malorũ habeamus, eo etiã uel uehementius, uel remissius, illa quidem expetamus, hæc uerò fugiamus. Itaq; accidere oportet, ut qui rectè de his iudicans, in expetendarũ fugiendarumq; rerum descriptione minimè errauerit, primã quidẽ animi rationẽ habeat, & hunc uirtutibus ornare & ad perfectionẽ suam adducere conetur. Deinde uerò, quoniã non solũ animi corpus est instrumentũ, sed etiam ita ad se mutuo affecta sunt, ut & animi in corpus, & corporis econtra in animũ redundent affectiones, ut omnibus præstantißimis experientia & ratione

tione magistra philosophis uisum est, Pythagorici praecepti memor, neq; sanitatẽ reliquaq; corporis bona negligat, neq; nimium studiũ, nimisq; multã operã ponendam in ijs arbitretur. Consimili autem ratione & externorũ, quæ corporis necessitatibus & usibus à deo & natura destinata sunt bona, cõditione cognita & percepta, nec in his com parãdis ab officio honestateq; in ullo recedat, & horũ amissionem, si quæ forte, quæ ipsorũ est lubrica & incerta natu ra, incidat, placatè & moderatè ferat, atque hac ratione cõpositè ornateq; uitam degens sibi conuenientem adipisca tur beatitudinẽ. Qui uerò contrà confusò perturbatoq; expetendorũ fugiendorũq; ordine, uel primis ac medijs postre ma, uel media postremaq; primis eligẽdo præferat, aut quo modocunq; aliter ordinem inuertat, huic omnia contraria eueniant necesse est, & cum incõposita turpiq; uita ad infe licitatẽ & miseriã detrudatur. A quã spiritus sui sancti lumine menti nostræ eiusq; actionibus præferendo, nos conseruare dignetur, & ad beatitudinẽ adducere, qui omnis boni fons est & origo, Dominus noster Iesus Christus, æterni patris æterna sapientia. Atque hic quidem commentariorum nostrorum in Cebetis Thebani tabulam finis esto.

Reliquum est, ut quam nos scribendò & commentando, eam uos legendo intelligendoq; præstetis operam.

FINIS.



UB